COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE

FR. EUGENIO CORNELISSE O. F. M.

PROV. SS. MARTYRUM GORCOMIENSIUM IN HOLLANDIA

S. THEOL. LECTORE IUBILATO

TOMUS I.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae

1908.

31324

Proprietas litteraria

PRAEFATIO

Paucis accipe, Benevole Lector, huius operis scribendi causam et tractandi rationem.

Causam exponere liceat verbis sanctorum Bonaventurae et Augustini. S. Doctor seraphicus quidem in prologo ad opusculum *De sex alis Seraphim,* allatis verbis Sapientis in Prov. IX, 9: « Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia », haec addit, uno tantum verbo a me, pro re de qua scribo, mutato: « Quum igitur ex levi saepe occasione sapiens materiam sumat altioris sapientiae, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior, praesens scriptum potest novis, et nondum in officio [confessarii] ad plenum exercitatis, ad perfectam discretionem boni et mali aliqualem dare occasionem ulterius cogitandi, et, ex defectibus quos hic considerat, diligentius requirendi altiora, sive utiliora, et etiam plura, quam hic ponantur ». S. Augustinus autem, Lib. I *De Trinitate,* uno pariter mutato verbo, ait: « Quisquis cum legit, dicit: hoc non bene dictum est quoniam non intelligo, locutionem meam reprehendat, ... et forte vere potuit dici planius; verumtamen, nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus

ab omnibus intelligeretur. Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet, utrum alios in talibus rebus quaestionibusque versatos intelligat, cum me non intelligit, et eis potius quos intelligit, operam et tempus impendat. Non tamen propterea putet, me tacere debuisse.... Neque enim omnia, quae ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt; et fieri potest ut nonnulli, qui etiam haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros et in istos saltem incidant. Ideoque utile est plures a pluribus fieri libros diverso stilo, non diversa [doctrina], etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad illos sic, ad alios autem sic ». Quae tantorum virorum dicta, quantumvis de me certe meoque opere multo fortiori iure quam de ipsis eorumque operibus dici talia possint, haec nihilominus scribendi animum mihi addiderunt.

Et ratio tractandi haec est: sicut tempore Lectoratus mei traditis a Doctore zelosissimo S. Alphonso et a Patre Patritio Sporer O. F. M. praecipue semper incubui, ita partim ipsius eorumdem, prae aliis plerumque, doctrinae, partim ex iis, quae ipse hoc modo didici, quaeque alumnos auditores meos docui, compendium concinnare studui, iis tamen quae alii, sive veteres sive recentiores AA., tradiderunt, minime neglectis. Et Patris Sporer quidem saepius, praesertim in Theologia generali, ipsis verbis usus sum. At, ubi neque ipsi DD. inter se consentiunt, salva uniuscuiusque auctoritati debita reverentia, nec in nominatorum Magistrorum, nec in aliorum AA. verba iurare volui, sed id, quod consideratis atque collatis auctoritatibus rationibusque allatis concludendum putavi, candide aperire.

In tres partes opus hoc dispertitur, et unaquaeque pars suo seorsum volumine edetur. Prima pars continet

Theologiam generalem et decalogalem, excepto tractatu de iustitia, at additis praeceptis et censuris ecclesiasticis. Secunda pars ex Theologia decalogali ea comprehendit, quae ad ius et iustitiam pertinent: haec autem, quantum ad placita iuris positivi civilis, Theologis singularum regionum ut adaptentur relinquenda censui. Tertia pars Theologiam sacramentalem complectitur.

Utere, Benevole Lector, hoc qualicumque opere, id quod bonum in eo repereris, Deo et Auctoribus, quos sectatus sum, id quod minus bonum, mihi tribuendo; ususque cedat in maiorem Dei gloriam et tuam ipsius utilitatem: quod faxit ipse Deus.

Scribebam Ammerzoden, prope Silvam Ducis, in Hollandia.

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS

TRACTATUS I.

DE ACTU HUMANO.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO ET DIVISIO.

Notio. Actus humanus est actus hominis cum ratione liber; seu: qui ex voluntate deliberata procedit. 1.

Actus humanus tripliciter dici potest:

1° Latissime dici potest omnis actio, quae fit *ab homine*, sive propria ea hominis est, sive communis cum brutis, ut comedere, bibere, ambulare ex solo naturae impulsu.

2° Magis proprie dicitur omnis actio, quae fit *a solo homine*, ut loqui, (ridere), intelligere, velle, qui ideo solent vocari actus hominis.

3° Proprie in proposito actus humanus dicitur, qui fit ab homine ut homo est seu *modo hominis proprio*, nimirum ex praevia deliberatione et libera electione, per quae homo est sui actus dominus; qua ratione actus infantium et amentium, etsi fiunt ab homine, non tamen dicuntur actus humani, sicut neque actus hominis dormientis vel ebrii.

Actus humanus, actus liber, actus moralis reipsa in idem redeunt. Humanus dicitur, quatenus est proprius hominis tam

quoad substantiam, quam quoad modum operandi. — Liber, quatenus procedit a principio operandi indifferente ad agendum vel non agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. — Moralis, quatenus procedit a principio morali, quod sc. regitur secundum regulas rectae rationis. Sporer, n. 110 sqq.

2. **Divisio.** Actus humani

I. Relate ad proximum eorum principium sunt:

1° *Eliciti,* qui consummantur in ipsa voluntate, ut amor et odium; *imperati* qui imperante voluntate ponuntur ab alia potentia sive interna sive externa, ut actus vel professio fidei, oratio mentalis vel vocalis. Potest etiam actus voluntatis ab alio voluntatis actu imperari, ut odium peccati a timore, dilectio proximi ab amore Dei.

2° *Interni,* qui internis potentiis perficiuntur, *externi* qui ad potentias externas progrediuntur;

3° *Naturales* vel *supernaturales;*

II. Relate ad finem ultimum et regulas morum sunt:

4° *Boni, mali* et *indifferentes;*

5° *Liciti* vel *illiciti;*

6° *Praecepti* vel *liberi.* Liberi *permissi* tantum vel *consulti;*

III. Relate ad effectus sunt:

7° *Validi* vel *invalidi.* Validi *irrescindibiles* vel *rescindibiles,* seu firmi vel infirmi. *Rati* vel *irriti* dicuntur actus praecipue prout satisfactum est vel non est conditionibus iure requisitis; quae divisio eadem est quandoque cum priore, quandoque cum posteriore ex mox indicatis.

8° *Meritorii* vel *demeritorii.*

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPIIS ACTUS HUMANI.

Sunt 1° intellectus, 2° libera voluntas; alii dicunt: 2° voluntas, 3° libertas.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS EX PARTE INTELLECTUS.

Assertio. Ad actum humanum moraliter bonum vel malum requiritur advertentia ad ipsum actum, cognitio omnium, quae ad eum ut talem concurrunt, aliqua deliberatio formalis vel virtualis, denique, saltem ut bonus esse possit, iudicium practicum de honestate actus. 3.

I. Requiritur advertentia ad ipsum actum: quia actus non est in dominio et potestate operantis, ut nimirum eum elicere vel non elicere, continuare vel abrumpere possit, nisi advertat ad ipsum actum. Quia autem non potest cognosci actus bonus vel malus, nisi per ordinem ad obiectum et circumstantias, hinc:

II. Requiritur cognitio omnium, quae ad eum ut talem concurrunt. Quacumque enim ratione aliquid ad actum concurrens non est cognitum, eadem ratione non erit actus voluntarius, nec consequenter humanus, bonus vel malus. Atque haec quidem cognitio obiecti et circumstantiarum iam sufficeret, si illorum bonitas vel malitia semper clare et distincte proponeretur sine admixtione oppositi. Et hinc:

III. Requiritur deliberatio: quia actus humanus debet tendere in obiectum ut practice cognitum secundum suam bonitatem vel malitiam (nihil enim volitum, nisi praecognitum); atqui hoc non fit absque aliqua deliberatione. Nullum enim obiectum particulare homini in hac vita proponitur et apparet ita ex omni parte bonum, quin simul appareat admixta aliqua ratio mali, et econtra.

Porro deliberatio seu consultatio nihil aliud est, quam discursus intellectus de re quapiam agenda vel non agenda, considerando rationes in utramque partem. — *Formalis* quidem et explicita his fere actibus absolvitur: 1. Est apprehensio simplex obiecti, furti v. gr., eiusque alicuius bonitatis vel malitiae, puta, esse bonum utile ac malum inhonestum. 2. Est consultatio velut speculativa, sitne absolute obiectum illud censendum potius bonum an malum;

hic stat dubium speculativum. 3. Est consultatio practica, sitne obiectum illud mihi hic et nunc amplectendum ob rationes bonitatis, an fugiendum potius ut malum ob rationes malitiae propositas: hic stat dubium practicum. 4. Denique vi synteresis ratio practice concludit, furtum omittendum esse ut simpliciter malum, quae conclusio seu dictamen practicum est ipsa recta conscientia. — Sufficit autem deliberatio *virtualis* et implicita, ut dum quis, facta apprehensione obiecti boni vel mali, ob evidentiam rei vel acumen intellectus aut bonam dispositionem voluntatis ex synteresi statim concludit: hoc bonum agendum, hoc malum fugiendum. Et hinc:

IV. Saltem ut bonus esse possit actus humanus, requiritur iudicium practicum de honestate actus. Qui enim cum dubio practico agit, peccat secundum dicenda n. 52. Sporer n. 118 sqq.

ARTICULUS II.

DE VOLUNTARIO IN GENERE.

4. **Definitur** voluntarium: id quod est a principio intrinseco cum cognitione finis.

« Est autem duplex cognitio finis. Perfecta cognitio est, quando non solum apprehenditur res, quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio eius quod ordinatur in finem ipsum; et talis cognitio finis competit soli rationali naturae. Imperfecta cognitio est, quae in sola finis apprehensione consistit sine hoc quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem; et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum et aestimationem naturalem ». S. Th. 1. 2. q. 6, a. 2 c.

Proprie ergo, ut homini competit, voluntarium est id quod procedit a voluntate ex praevia cognitione intellectuali finis. Quod nonnulli dicunt: « cum cognitione singulorum, circa quae actio versatur », vide n. pr.

Quod procedit ab appetitu sensitivo cum sensitiva cognitione finis, improprie dicitur voluntarium (imperfectum), proprie spontaneum. Si omnis cognitio desit, habes naturale.

Differunt *voluntarium* et *volitum;* illud comparatur ad voluntatem ut effectus ad causam, hoc vero ut obiectum ad suam potentiam. De ipsis actibus voluntatis et, positis ponendis, de horum

effectibus, utrumque sub diverso respectu dici potest; voluntarium proprie de hisce solis, volitum de pluribus aliis quae e voluntate nostra non dependent, voluntate tamen amplectimur desiderando, approbando etc.

Involuntarium et *non-voluntarium* opponuntur voluntario ut contrarium et contradictorium; saepe tamen promiscue sumuntur.

Voluntarium aliud est *necessarium,* aliud *liberum.* Illud procedit a voluntate determinata ad unum; hoc a voluntate indifferente, seu elective agente. Quia tamen in homine viatore, qui agit sui compos, nullus actus voluntatis circa media ad finem est necessarius, imo ipse actus circa finem sc. beatitudinem seu bonum in genere non est necessarius quoad exercitium actus, ideo haec divisio omitti potest, et voluntarium et liberum promiscue dici solent.

Assertio. Actus humanus debet esse voluntarius et liber non tantum a coactione seu violentia extrinseca (1), sed etiam a coactione seu determinatione intrinseca ad necessario agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Sporer n. 128. Secus enim actus non foret hominis proprius, seu homo non esset sui actus dominus. Cfr. n. 1.

Distinguitur voluntarium: 5.

I. *Elicitum* et *imperatum* ut n. 2.

II. *Perfectum* et *imperfectum* distinguitur voluntarium, prout cognitio et deliberatio satis perfecta sunt vel semiplena tantum. Imperfecte voluntarii sunt v. gr. actus semidormientis vel semiebrii; item actus interni seu motus voluntatis plenam mentis advertentiam antecedentes, iique actus externi qui ex tali motu, puta subitae irae, procedunt.

Secundum hanc distinctionem hoc sensu sumptam iudicandum est de imputatione actuum malorum, non solum ad maius aut minus, sed omnino ad grave aut leve peccatum; ita ut voluntarium imperfectum numquam, quantumcumque gravis sit materia, sufficiat ad peccatum mortale; quare

(1) Huc spectat Baji prop. 66 damnata: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali;* et Iansenii 3 (cf. 4) damnata uti haeretica: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Denzinger, Enchiridion Symbolorum et Definitionum (Würzburg, Stahl) nn. 946, 968 s.

praestat, ut in quaestionibus moralibus hoc solo sensu hi termini adhibeantur; itaque reapse communiter adhibentur. — Consensum et voluntarium ob defectum plenae inclinationis voluntatis minus perfectum seu, rectius forte dictum, minus completum spectamus in sequente distinctione.

III. *Plenum* et *mixtum*, prout homo agit cum plena voluntatis inclinatione ad rem vel cum aliqua repugnantia.

In hac distinctione inclinationem et repugnantiam intelligimus non mere naturales, sed rationales seu deliberatas. Sic si quis tentatus et vehementer sollicitatus ad aliquod peccatum, tentationi voluntate rationali prorsus resistit, id quod eligit dicimus plene voluntarium, non obstante inclinatione naturali ad oppositum. Non plenum, sed mixtum solum dicimus voluntarium, quum quis deliberate agit, sed cum aliqua repugnantia etiam deliberata, seu quum quis eandem rem absolute vult et conditionate non vult, utrumque deliberate.

In mixto itaque distinguitur voluntarium *simpliciter* et *secundum quid;* voluntarium simpliciter est, cui voluntas definitive adhaeret et consensum praebet absolutum, efficacem, qui nim. procedit ad imperium; voluntarium secundum quid est id, quod voluntas definitive respuit, seu cui denegat consensum efficacem; illud itaque est etiam *involuntarium secundum quid*, hoc *involuntarium simpliciter*. Et sic habes mixtum ex voluntario et involuntario. Ita si vir mulierem renuentem metu perducit ad adulterium, hoc viro erit plene voluntarium; mulieri vero erit voluntarium simpliciter, simulque involuntarium secundum quid; per se tamen perfecte voluntarium.

Nonnulli aliter haec sumunt: aliis voluntarium simpliciter idem est ac perfectum, secundum quid idem ac imperfectum; aliis etiam voluntarium simpliciter idem est ac plenum.

IV. *Actuale, virtuale, habituale, interpretativum.*

Actuale est, quod hic et nunc actu elicitur vel imperatur. Id durat et cessat cum attentione animi reflexa, i. e. tum ad voluntatem elicientem vel imperantem, tum ad ea quae vi huius voluntatis aguntur.

Spectato fine, in quem obtinendum voluntas tendit, dicitur intentio: de qua saepius in aliis tractatibus. Haec est aut *explicita*, qua intenditur aliquid in terminis seu conceptibus distinctis, aut *implicita*, qua intenditur aliquid in conceptu confuso seu in aliquo generali volito; ceterum distinguitur ut voluntarium hoc loco.

Virtuale est, quod vi actus praeteriti (voluntarii actualis), nondum revocati, in operatione morali perseverat. Tria ergo requirit.

Habituale dicitur, quod ab actuali voluntario praeterito, non retractato, at non iam moraliter, sed physice solum in agentem influere pergente, dependet. Frequentius habetur in iis quae fiunt ex solo habitu, unde nomen.

V. gr. Sacerdos volens celebrare sumit paramenta, pergit ad altare, caeremonias peragit, verba profert; erit voluntarium actuale quandiu durat attentio reflexa; qua cessante erit voluntarium virtuale quandiu, ut fit, pergit sui compos, non totaliter distractus; sed si forte in somnum vel amentiam incideret, itàque pergeret, foret voluntarium habituale.

Interpretativum (quod pluribus, i. q. Sporer n. 129, idem est ac imputatum, et comprehendit indirectum et tacitum), communius dicitur id, quod pendet a voluntate, quae reipsa neque adest, neque adfuit, quam tamen adfuturam esse, si homo attenderet, ex iustis rationibus colligitur.

Patet ad actum humanum requiri voluntarium saltem virtuale; quia per habituale actus non procedit ab homine ut homo est; interpretativum vero, ut a nobis sumitur, proprie nihil est, et nihil efficit nisi ut actus censeatur non esse contra voluntatem positus.

Voluntarium habituale sufficere potest ad effectus indirecte voluntarios et imputandos, puta blasphemias inadvertenter prolatas ex habitu non retractato, tum ad alios effectus morales qui e voluntate habita et continuata pendent, ut praecipue contingit in contractibus et Sacramentis. Interpretativum potius refertur ad sequentem divisionem, in quantum nim. influit in actiones alterius.

V. *Expressum* et *tacitum*, — in ordine ad externam manifestationem, maxime de iis, quae pendent ab alicuius consensu influxum exercente in alios immediate agentes — dicuntur, prout verbis vel signis aequivalentibus explicite significatur, vel solum ex facto aliquo vel omissione voluntarium esse ostenditur vel intelligitur. Quodsi consensus alterius neutro modo patet, sed solum ex ipsius dispositione aliunde cognita adesse vel adfuisse colligitur, *praesumptum* dicitur; a quo differt *interpretativum* in eo quod consensus alterius in priori ponitur adesse vel adfuisse, in posteriori contra non adesse nec adfuisse ponitur, sed adfuturum, si etc.

Etiam interpretativum quandoque servire potest, puta ad formandam conscientiam subditi, vel ad utendum epiqueia, vel etiam ad dirigendum confessarium quoad monendum vel non monendum poenitentem obligationis suae ignarum vel immemorem.

VI. *Positivum* et *negativum*, prout est a voluntate positive operante, vel agere omittente, cum agere possit et debeat. Alii haec dicunt directum et indirectum. Cum Sporer et aliis potius dicimus.

VII. *Directum* seu *in se* id quod per se intenditur, elicitur, imperatur vel admittitur a voluntate; *indirectum* seu *in alio* seu *in causa* id quod in se non intenditur, sed ratione alicuius alterius per se voliti praevidetur consequi, idque subdistinguimus in voluntarium aliud in causa *positiva*, aliud in causa *negativa*; cfr. n. sq.

Adverte 1°. Ut aliquid dicatur voluntarium in se, necesse non est, ut pro fine habeatur, seu propter se appetatur; sufficit, ut appetatur qua medium ad alium finem; quod si fit, utrumque directe voluntarium est, et medium et finis. Lehmkuhl, n. 4. sub 4.

Adverte 2°. Indirecte voluntaria dicuntur non solum effectus qui sequitur ex sua causa, sed etiam id quod positae causae accedit sive ut pars toti, sive ut accessorium principali. Ut discernatur, quinam effectus mali (non intenti) homini imputentur ut voluntarii in causa, sequitur:

ARTICULUS III.

DE VOLUNTARIO IN CAUSA SPECIATIM.

6. **Distinguendae** hic maxime sunt causae:

I. *Per se*, quae natura sua tendit ad talem effectum producendum, sive physice sive moraliter i. e. per aliam causam liberam; et *per accidens*, quae talem effectum non producit per se, sed vi adiunctorum (quae nimirum non ex communiter contingentibus, sed tamen hic et nunc supponuntur adesse). V. gr. Potus excessivus vini est causa physica per se ebrietatis, per accidens blasphemiarum, homicidiorum, actionum turpium; pravum mandatum vel consilium causa moralis per se peccati alieni; doctrina discipulis tradita de rebus periculosis causa moralis per accidens evadere potest peccatorum audientium.

Additur causa *occasionalis* (quae proprie non est causa, sed occasio), quae scilicet nata non est talem effectum producere, sed qua posita effectus ab alia causa producitur; sic dans eleemosynam esse potest causa occasionalis ebrietatis alienae; item puella in publicum prodiens occasio desideriorum turpium aliorum. Practice causae per accidens et occasionalis confunduntur, et revera moraliter vix differunt.

II. *Proxima* et *remota*, prout effectus magis vel minus prope connectitur cum tali causa; v. gr. praeparare chartam est causa remota, ordinare typos causa proxima pravi libri imprimendi.

III. *Graviter* et *leviter influens;* sic tactus valde impudici graviter, parum impudici leviter influunt in motus venereos.

Hae tamen divisiones plerumque concurrunt; vid. exempla allata. — Addi potest:

IV. *Positiva* (actio) et *negativa* (omissio actionis debitae); verum semper causa intelligitur positiva, nisi aliud exprimatur.

Regula I. Ut effectus malus sit voluntarius in causa et imputabilis, tres requiruntur conditiones: 7.

1° Ut agens advertat, vel advertere debeat — i. e. non sine culpa ignoret — consecuturum talem effectum vel ejus adesse grave periculum; seu ut effectus sit praevisus saltem in confuso.

2° Ut possit causam non ponere, vel positam auferre.

3° Ut teneatur etiam causam non ponere vel positam auferre, et quidem ideo teneatur, ne sequatur talis effectus.

V. gr. Non adesset conditio 1ª si bibens, ignarus fortitudinis vini, inebriatur; 2ª si necessario equitans advertit inde periculum pollutionis vel haec reapse contingit; 3ª si confessarius audiens confessiones feminarum experitur periculum carnis; si ex esu carnis immodico vel die prohibito sequitur pollutio nocturna.

Ratio 1ⁱ est, quia nil volitum nisi praecognitum; 2ⁱ et 3ⁱ quia imputatio in culpam supponit libertatem in agente tanquam fundamentum imputationis, et obligationem, qualem supra diximus, tanquam causam imputationis.

Ad 3ᵐ. I. Tertia haec conditio (per se) adest, quando causa est positiva et per se; tum enim, propter ipsum nexum inter causam et effectum, hic in ista censetur praecontineri, ita ut ponens causam eo ipso censeatur moraliter velle quoque effectum, quantumvis forte reapse malit hunc non secuturum. 8.

Si vero causa est negativa vel per accidens vel occasionalis, quia tum non adest ille nexus, pro causa imputationis requiritur ut obligatio impediendi effectum, et inde obligatio ponendi vel omittendi actionem, aliunde existat, sc. ex virtute vel lege etiam particulari quae laedenda praevidetur.

In quo iudicio ferendo adverte facilius imputari effectus honoris divini laesivos vel nocivos bono proximi, praecipue bono communi, vel bono spirituali ipsius causam ponentis, prae aliis effectibus non vel vix nocivis etsi forte materialiter malis. V. gr. qui intemperanter bibendo praevidet secutura blasphemias, vel homicidium, vel sermones scandalosos, vel fornicationem, neglectam curam necessariam familiae vel omissionem Missae proxime ex praecepto audiendae, is ideo ab illa intemperantia cavere debet ex religione, ex iustitia, ex charitate, ex castitate, ex officio status, vel ex praecepto Ecclesiae; sed contra mera pollutio nocturna non imputaretur.

II. Fieri potest ut obligatio, de qua agitur, per se quidem adsit, sed de facto ob causam excusantem, quandoque ob concurrentem graviorem obligationem, cesset. Quo casu dic potius neque verificari 2^m^ conditionem, illud « possit » nimirum intelligendo de potentia non solum physica sed et morali. Huc facit:

9. **Regula II.** Licet ponere actionem, ex qua duplex effectus secuturus praevidetur, bonus unus, alter malus, modo

1° Actio in se sit licita (bona vel indifferens), abstrahendo sc. a malo effectu de cuius imputatione quaeritur. Ratio per se patet. Attamen deficiente hac conditione, non ideo malus effectus imputatur, nisi actio etiam ideo prohibita sit, ne sequatur talis effectus; v. gr. negligenti curam necessariam valetudinis non ideo imputatur violatum ieiunium ad quod factus est impotens.

2° Effectus malus ne intendatur, neve approbetur, sed bonus. V. gr. is, qui causam ponendo delectationis venereae, vel damni proximo probabiliter orituri, per se attentis adiunctis licite agit; si tamen effectus istos simul cum bono effectu intendat, desideret, approbet, hac ratione peccat. Quare etiam in his et similibus rebus attendi debet ad periculum talis intentionis vel consensus postea secuturi. Lehmk. n. 12, II.

3° Effectus bonus ne sequatur mediante effectu malo; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; Rom. III. 8. Sic mulieri gravidae non licet procurare neque permittere abortum, ut per hunc famam vel ipsam etiam vitam servet.

4° Adsit causa relative gravis ad effectum malum permittendum; hic namque supponitur per se ex obligatione impediendus, consequenter etiam ponenti causam imputatur per se, i. e. nisi ob causam proportionatam ab eo impediendo excusetur.

Ad 4m. I. Ratio illa permittendi effectum malum repetenda est ex effectu bono eiusdem causae; attamen non tantum comparandus est effectus quasi in particulari, sed etiam expendendum quis et qualis tandem effectus totalis et quasi ultimus futurus sit pro tota hominum societate et pro communi bono, si vel ob malum effectum aliqua causa, quae aeque immediate tendit in aliquem finem bonum, omittenda sit, vel ob bonum effectum malus permitti possit (1). 10.

II. Causa requiritur eo gravior, *a*) quo magis actio in effectum malum influit, vel propius ei connectitur, vel magis necessaria est ut effectus ille sequatur; — *b*) quo pejor et gravior est effectus malus; — *c*) quo maior est obligatio impediendi istum effectum, vel quo minus est ius ponendi actionem.

Sunt, qui hanc conditionem sic enuntiant: modo effectus bonus malo effectui praeponderet, vel saltem eum compenset. Verum hoc vel minus recte, vel nimis obscure est dictum. Quid enim v. gr. si bonum minus proxime, malum gravius remote ex eadem actione sequatur; vel si agatur de gravi peccato alieno permittendo?

Quoad omissionem ut causam negativam effectus mali eadem valet regula sub iisdem conditionibus; sed in praxi fere sufficiet attendisse ad causam excusantem ab obligatione ponendi actionem, de cujus omissione quaeritur.

Iis in casibus, quibus secundum supra dicta quis licite effectum malum permittit, plerique hunc effectum ne voluntarium quidem dicunt. Alii voluntarium quidem sed non imputabilem; hi nim. ad hoc, ut effectus indirecte voluntarius sit etiam imputabilis, quartam assignant conditionem, sc. ut quis causam illicite posuerit ponendo vel omittendo actionem. 11.

Ex regula 1a deducitur haec alia bimembris: 12.

Regula III. *a*) Effectus in causa voluntarius non est magis voluntarius quam ipsa causa.

Pariter *b*) Effectus malus in causa voluntarius in tantum imputatur, in quantum continetur in causa.

Intelligitur maxime de causa proprie dicta, sed suo modo applicatur etiam causae improprie dictae, scilicet negativae vel occasionali.

(1) Frins, *De Act. hum. ontol. et psychol. consideratis*, n. 197.

Sunt, qui hanc regulam hoc modo proponunt: effectus in causa voluntarius non est magis peccaminosus quam ipsa causa. Verum ita proposita non potest regula applicari, nisi quando causa fuerit imperfecte tantum voluntaria, seu respicit solum imputationem pro ratione advertentiae et liberi consensus, non autem pro ratione difformitatis actus a regulis morum.

13. **Resolutiones** generales ex praedictis:

I. Ut effectus indirecte voluntarius imputetur ad mortale, requiritur, ut causa notabiliter in eum influat. Supponitur effectum esse graviter malum, seu quoad causas negativam, occasionalem et per accidens, adesse gravam obligationem impediendi talem effectum.

II. Si causa remota vel leviter influens in malum effectum sit de se licita, et simul ex ea sequatur effectus bonus, quamvis malum non compenset, licitum est hanc causam ponere.

III. Si similis, ut supra, causa in se licita nullum effectum bonum producat, vel si sit venialiter mala et simul bonum effectum producat, imputatur effectus, sed solum in veniale.

In quibusdam rebus attendi debet ad periculum consensus in effectum graviter malum.

14. **Quando** committitur peccatum indirecte voluntarium?

Tunc, quando culpabiliter ponitur vel non aufertur causa (cum quis sc. et sciat, et possit, et debeat auferre) vel quando voluntas causam ponendi vel non auferendi adest. Peccatum itaque iam est, etiamsi effectus non sequatur, vel causa non ponatur.

CAPUT TERTIUM.

DE VOLUNTARII IMPEDIMENTIS.

15. **Quatuor** communiter enumerantur: ignorantia, violentia, metus et concupiscentia. Quia enim voluntarium debet procedere ex praevia cognitione, hinc ei repugnat ignorantia; et quia debet procedere a principio intrinseco, hinc ei repugnat violentia; et quia liberum debet procedere a principio indifferente ad agendum et non agendum, hinc illud impedire videntur metus et concupiscentia. Sporer, Sect. IV, ante n. 138.

ARTICULUS I.

DE IGNORANTIA.

Dividitur ignorantia: 16.

I. Ex parte subiecti: ignorantia *negativa* est carentia notitiae in subiecto non apto habere talem notitiam (est proprie nescientia); *privativa* est carentia notitiae in subiecto apto (proprie dicta ignorantia); *positiva* insuper coniuncta est cum positivo errore contrario (proprie error). — Alii distinguunt ignorantiam (proprie dictam) in positivam et negativam prout est de notitia debita vel non debita.

II. Ex parte obiecti: ignorantia *iuris* est, qua ignoratur legis existentia vel extensio seu sensus; *facti*, qua ignoratur factum aliquod seu res particularis a qua, ut a conditione sine qua non, applicatio legis, i. e. huius obligatio subiectiva seu in actu secundo dependet.

Vox « facti » hic, ut saepius in sequentibus, sumitur in sensu lato, ita ut comprehendat omnia e quibus, praeterquam ex ipso iure, pendet legis applicatio.

III. Ex parte effectus: ignorantia *antecedens* est causa operis, quae nim. si abesset, effectus non fieret; ut si occidisti amicum ratus esse feram; *concomitans* non est causa operis, sc. cum qua tantum, non ex qua vel propter quam fit effectus, adeo ut etiamsi illa abesset, effectus tamen fieret; ut si ratus occidere feram occidisti inimicum quem occidere paratus eras.

IV. Ex parte voluntarii et culpae: ignorantia *invincibilis* est, quae morali studio vinci vel tolli non potuit: utpote quia vel nunquam venit in mentem cogitare de tali re, vel etiamsi in mentem venisset aut venerit, tamen morali et ordinaria adhibita inquirendi diligentia, cognitio veritatis acquiri non potuisset aut non potuerit. *Vincibilis* et culpabilis est, quae morali adhibita diligentia superari poterat et debebat. — Dicuntur etiam antecedens et consequens, nim. in ordine ad actum voluntatis.

Ignorantia vincibilis alia dicitur *affectata*, et est directe voluntaria, cum quis data opera vult ignorare et ideo non

inquirere veritatem, sive ob taedium discendi, sive ut liberius peccare vel legis ignoratae transgressiones excusare possit. *Non affectata* seu indirecte tantum voluntaria alia dicitur lata, crassa, supina, ad quam superandam nulla vel vix ulla diligentia est adhibita; alia levis vel stricte vincibilis, quae vel oritur ex levi negligentia vel tam facile superari non potuit. — Inter utramque plures distinguunt ignorantiam quae ex gravi quidem negligentia oritur, quin tamen sit crassa; dicitur simpliciter vincibilis. Nisi aliter exprimatur, ignorantia vincibilis intelligitur saltem simpliciter talis.

17. Assertio. Voluntarium adeoque actum humanum et peccatum omnino tollit ignorantia quaevis invincibilis, iuris et facti, non tantum antecedens, sed etiam concomitans; non item tollit, sed minuit tantum ignorantia vincibilis et culpabilis, saltem non affectata. Sporer n. 143 sqq.

I. Ignorantia invincibilis, saltem antecedens, omnino tollit voluntarium, atque excusat ab omni culpa. Ratio: quia omne voluntarium sufficiens et requisitum ad actum humanum necessario debet esse praecognitum, et quacumque ratione non est praecognitum, ea ratione non potest esse voluntarium.

II. Etiam concomitans, quia stante hac eo ipso id quod agitur est vere et invincibiliter incognitum.

III. Non item tollit ignorantia vincibilis et culpabilis. Ratio quia quod fit ex vel cum tali ignorantia habet omnia requisita ad voluntarium in causa. Minuit tamen, saltem non-affectata, seu ut loquuntur Doctores, excusat a peccato non in toto, sed in tanto. Ratio: quia voluntarium in causa minus est tale quam voluntarium in se. Minuit autem proportionaliter quo minus est voluntaria et culpabilis; ideoque non excusabit a mortali (toto, sed solum a tanto).

Ignorantia affectata num augeat, an aliquantum minuat voluntarium et peccatum, dissentiunt. Videtur dependere ab affectu seu motivo ex quo procedit; nam si procedat ex reverentia et timore legis, puta in eo qui praeceptum notum violare nolit, et ideo affectet ignorare num hodie sit ieiunii dies, videtur aliquantum minuere; si vero procedat ex magno affectu ad rem a qua nullo modo retrahi velit, neque certa scientia retraheretur, et ignorantiam

quis affectet solum ut liberius, cum minori remorsu, peccet, videtur potius augere, i. e. esse signum maioris propensionis, consequenter et peccati. Cfr. Sporer n. 146; Ball.-Palm. n. 51 sq.

Nota 1° Nomine ignorantiae etiam inadvertentia, inconsideratio, oblivio comprehenduntur.

2° De ignorantia quae ipsa in se est peccaminosa, sc. earum rerum quas ratione finis sui homo scire debet, agitur in Tr. de Virt. Theol.

ARTICULUS II.

DE VIOLENTIA.

Violentum seu coactum absolute seu simpliciter est, cuius principium est extra, passo renitente et resistente. Cfr. n. 4. — Quod si vim passus vel non interne, vel non externe, vel non quantum potest, resistit, dicitur coactum secundum quid. 18.

Actus eliciti non possunt esse coacti; imperati (imperari soliti) possunt esse coacti, vel etiam vi externa impediri.

Assertio. Coactum absolute tollit omne voluntarium omnemque culpam. Coactum secundum quid relinquit voluntarium et culpam in quantum vim patiens utiliter potest et rationabiliter debet resistere et non resistit. Cfr. Sporer n. 149 sqq. 19.

ARTICULUS III.

DE METU.

Notio: Metus est instantis vel futuri mali causa mentis trepidatio. Dig. l. 4, tit. 2, c. 1. 20.

Est 1° *ab extrinseco* vel *intrinseco,* prout procedit a causa libera (homine) vel non; 2° *gravis* (absolute) vel *levis,* prout cadit vel non cadit in virum constantem; verum de his universalis regula tradi non potest, sed prudenti iudicio discernendum est, consideratis circumstantiis, praesertim personae tam passae, quam incutientis metum, sexus, aetatis etc.

Praecipue metus reverentialis qui dicitur, saepissime evadit gravis, quamvis secundum se consideratus gravis non censeatur. Sporer n. 154 sqq.

21. **Assertio.** Metus quicumque non perturbans rationem non causat involuntarium simpliciter, sed mixtum: simpliciter sc. voluntarium et secundum quid tantum involuntarium; adeoque per se nec tollit actum bonum, nec in toto excusat a peccato. — Pars prior patet ex notione voluntarii mixti (n. 5. III); posterior sequitur ex priori. Excusat autem a peccato in tanto, proportionaliter eo magis quo gravior est metus.

Potest tamen metus gravis mali totaliter excusare a peccato indirecte, quatenus in casu tanti mali vel periculi ipsa lex obligare cessat. Sporer n. 158 sqq.

Nota 1° Praedicta intellige de iis, quae ex metu fiunt (quorum metus est causa), non vero de iis, quae solum cum metu fiunt (quorum metus non est causa, sed comes tantum); in his enim nullum involuntarium includitur.

2° Quid metus circa actuum valorem efficiat, suis locis dicetur.

ARTICULUS IV.

DE CONCUPISCENTIA.

22. **Notio.** Concupiscentia hoc loco dicitur passio seu motus appetitus sensitivi prosequentis aliquod bonum delectabile, ut amor, desiderium, spes, audacia, gaudium seu voluptas et delectatio, aut contra fugientis malum oppositum, ut odium, fuga, timor, desperatio, tristitia et ira maxime. Sporer n. 169.

Antecedens passio dicitur, quae ex sola apprehensione obiecti delectabilis vel contrarii exsurgit, omnemque deliberationem et actum voluntatis praevenit; non est ergo voluntaria. *Consequens* vero est voluntaria, idque vel in causa, quando oritur ex resultantia, quando nim. motus voluntatis redundat in appetitum sensitivum; vel in se quando sc. eam aut ex proposito excitat, aut eam, naturaliter excitatam, admittit seu fovet.

Adverte hoc loco, non quaeri de ipsis motibus concupiscentiae, num vel quantum reatum contineant; (quae tractatio spectat ad Tr. de peccatis; vid. ibi cap. IV, art. III) neque de effectibus inde secutis, num

sint necne indirecte voluntarii et imputabiles; (de quo iudicandum est secundum dicta supra n. 6. sqq.) sed de actionibus, ad quas concupiscentia impellit, et quae cum concupiscentia actuali ponuntur.

Assertiones: I. Concupiscentia antecedens minuit voluntarium et liberum. Ratio, quia impedit intellectus deliberationem et iudicium indifferens, ac facit ut intellectus magis ponderet rationes pro parte concupita, quam rationes in oppositum: quare, etsi auget propensionem voluntatis, minuit tamen peccatum utpote minus perfecte voluntarium sub ratione liberi. Imo penitus a peccato excusat, si totaliter usum rationis aufert. Quod tamen non ita frequens; et, si contingit, advertendum adhuc est actionem plerumque fore nihilominus indirecte plus minusve voluntariam et imputabilem ratione negligentiae in reprimendo motu concupiscentiae. Quinimo haec negligentia et consequenter ratio voluntarii in causa saltem negativa practice ut plurimum praesumenda est in passione, quae ad agendum impulit et adduxit; nam quando vel quandiu « passio non est tanta quod totaliter intercipiat usum rationis, tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum, quia membra non applicantur operi nisi per consensum rationis. S. Th. 1. 2. q. 77. a. 7 c. 23.

II. Concupiscentia consequens, cum praesupponat liberum voluntatis actum sitque effectus, non vero causa voluntarii, consequenter in hoc non influit, sed indicat voluntarium, idque eo magis quo ipsa est vehementior. Itaque loquendo de gradu reatus in actionibus

1° Concupiscentia consequens ex resultantia non minuit peccatum, sed « est signum magnitudinis eius, in quantum sc. demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati ». S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6 c.

2° Concupiscentia consequens in se voluntaria, maxime ea quae ex proposito excitatur, augendo intensionem motus voluntatis in malum, auget peccatum.

De concupiscentia quae initio seu origine antecedens, consequens solum est, quia et in quantum mere admissa seu non repressa, vide dicta sub I.

CAPUT QUARTUM.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM (1).

Quae praecedunt primario spectant actum humanum qua talem, seu ipsius esse physicum; iam agendum est de eodem qua morali seu secundum esse morale.

ARTICULUS I.

NOTIO ET REGULAE MORALITATIS.

24. I. **Actus moralis** in re significata idem est ac actus liber seu perfecte humanus (n. 1); alius tamen est conceptus « moralis » a conceptu « liberi ». Morale in actu humano primo concipitur esse id, secundum quod homo per actum suum est et dicitur laude vel vituperio dignus. Id autem actus humanus per libertatem habet ex habitudine ad regulam suam.

Moralitas hinc communiter **definitur**: habitudo actuum humanorum ad suam regulam.

Non tamen convenit inter AA. in quo praecise consistat essentia moralitatis proprie dictae seu formalis, quae sc. proprie soli actui interno voluntatis inest. Actui vero externo et imperato attribuitur per denominationem extrinsecam, ob suam dependentiam ab actu voluntatis interno quocum constituit unum actum humanum.

Actus regulae suae conformis est moraliter bonus, honestus; actus difformis est moraliter malus, inhonestus; actus qui vel in quantum neutrum positive est, dicitur moraliter indifferens.

II. **Regula** autem distinguitur alia *fundamentalis,* alia *formalis:* quoad posteriorem conveniunt AA., non ita quoad priorem.

1. Regula fundamentalis secundum alios est ipsa natura humana ut rationalis est, eiusque ad varia entia relationes (2); breviter alii dicunt, idem intelligentes: rectus ordo vel ordo recti honesti. Secundum alios est finis ultimus hominis. Hic autem dissensus theoreticus est, non praecticus, utpote non conducens ad

(1) Cfr. Frins, *De actibus humanis moraliter consideratis.*
(2) Cfr. Sporer n. 176; Elbel n. 59.

diversas conclusiones de ipsa morali indole actuum humanorum, iidem enim actus prout conveniunt aut disconveniunt naturae rationali qua tali, — puta: amare vel blasphemare Deum, succurrere proximo indigenti vel ei iniuriam facere, caste vel luxuriose vivere — iidem respective promovent aut impediunt finem ultimum consequendum.

2. Regula formalis moralitatis seu actuum humanorum est lex aeterna, quae naturaliter (1) per rationem homini manifestatur; et hinc communiter regula haec distinguitur duplex:

1° *Primaria,* obiectiva et remota est *lex aeterna,* quae est regula constituens. Deus enim, sicut est omnium rerum creator, ita et gubernator. Gubernat autem seu ad finem suum dirigit omnia creata per legem aeternam, quae sic considerata est « ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum ». S. Th. 1. 2. q. 93. a. 1 c.

2° *Secundaria,* subiectiva et proxima regula est recta ratio humana huiusque dictamen, seu *conscientia,* quae est regula proponens. Deus sc. cuncta creata gubernat diverso, pro diversa eorum natura, modo: naturae irrationales solum diriguntur; rationales vero, ut essentialiter liberae, sic diriguntur ut etiam seipsas dirigant per rationem, qua regulam a se sequendam cognoscant, idque quod regulae huic convenit, ab eo quod disconvenit, discernant.

Ipsa autem lex aeterna ex quo et in quantum per rationem creatam cognosci potest, dicitur lex naturalis, atque ex eo et in tantum est homini regula moralitatis actuum suorum, et hoc sensu latiori est et dicitur lex.

Haec de moralitate actus humani sub solo conceptu generali 25.
actus boni vel mali, honesti vel inhonesti. Quam moralitatem multi dicunt philosophicam, ut distinctam a moralitate theologica, quae actus humanos afficit praeterea sub conceptu liciti et illiciti.

Theologicae moralitatis regula est lex stricte dicta, quae sc. veram obligationem homini inducat. Ratio namque non solum dictat actuum humanorum convenientiam cum natura rationali, sed praeterea dictat voluntatem Dei, creatoris et guber-

(1) Dicimus solum de regula naturali, non de regula supernaturali, quae est revelatio.

natoris, qua ordinem naturalem servari iubet, perturbari vetat. Sic a lege aeterna, per hanc manifestationem homini factam, primo — quoad necessaria ordini recto servando — derivat lex naturalis ut proprie et stricte dicta lex; dein vero omnes aliae leges positivae, tum divinae cum humanae. Ita ergo omnium legum lex aeterna est fons atque exemplar, quamvis ipsa, ut talis, non sit propria lex, deficiente promulgatione seu applicatione homini facta; itaque considerata definitur a S. Augustino: « ratio aeterna vel voluntas Dei ordinem naturalem servari iubens, perturbari vetans. — Porro ex sola lege aeterna, ut tali, sine lege proprie dicta, non oriri veram homini obligationem sub peccato, haec, ut ait S. Alph. (1), est doctrina omnium theologorum.

Frustra igitur nonnulli ad legem aeternam, ut antecedentem omnem humanam cognitionem, provocant ut inde, deficiente alia lege certa, obligationem in casibus dubiis deducant.

26. I. **Dividitur** moralitas in tres species genericas, n. 24 iam indicatas: *bonitatem, malitiam* et *indifferentiam.*

Multi moralem indifferentiam sumunt negative, quasi nim. actus in quantum indifferentes sunt, in tantum etiam sint prorsus extra ordinem moralitatis, ita ut proprie loquendo non detur tertia species moralitatis. Alii vero hanc indifferentiam positive accipiunt, quia secundum regulam morum tales actus, quamvis positive neque suadeantur neque dissuadeantur, tamen positive permittuntur.

Nobis fere solum dicendum est de bonitate et malitia, iisque secundum legem stricte dictam consideratis.

II. **Distinguitur** bonitas et malitia 1° *intrinseca*, quae est ex ipsa lege naturali, et *extrinseca* quae est ex lege positiva; cfr. n. 29. — 2° *materialis* quae est habitudo actus ad legem, et *formalis* seu habitudo ad rectam rationem seu conscientiam.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS MORALITATIS.

27. **Fontes** (etiam principia dicta) moralitatis dicuntur ea, quae actibus humanis speciem aut speciei modificationem in genere moris tribuunt. Sunt tres, sc.: 1° obiectum, 2° circumstan-

(1) Mor. Syst. n. 72, Ed. Gaudé n. 70.

tiae, quarum praecipua, adeoque speciatim consideranda, est 3° finis (operantis).

I. **Obiectum**, ut principium moralitatis, dicitur id circa quod voluntas, velut circa suam materiam versatur, seu in quod tendit proxime et primario; quibus ultimis verbis distinguitur a circumstantiis. Accipitur magis respectu ipsius voluntatis huiusve actus interni, quam respectu actuum imperatorum aliarum potentiarum. Sc. hi posteriores actus ipsi hoc loco dicuntur obiectum actus interni voluntatis; actuum autem imperatorum obiectum solum est obiectum remotum actus ipsius voluntatis; v. gr. in actu fidei ipse hic actus ab intellectu elicitus est obiectum actus voluntatis imperantis, veritas revelata est eiusdem actus obiectum remotum tantum; in largitione eleemosynae haec largitio est obiectum proximum, res data obiectum remotum actus voluntatis. Quoad ipsos actus elicitos voluntatis, res circa quam versatur actus magis accedit ad rationem obiecti, et dicitur etiam obiectum. Sed quia circa eandem rem voluntas variis modis versari potest, puta amando vel abominando, hinc melius forte in his actibus distinguitur voluntas imperans et eliciens, et actus ut eliciens dicitur obiectum voluntatis imperantis: exempla habes in actu amoris erga Deum, cupidinis pecuniarum. Ita semper obiectum dici potest esse actus in abstracto seu ut ab intellectu voluntati propositus. 28.

Ipse actus est obiectum *materiale;* finis, propter quem fit, obiectum *formale.*

II. **Circumstantiae** dicuntur ea actus humani accidentia, quae ipsum actum moraliter afficiunt, non tamen ad eius substantialem constitutionem moralem concurrunt. V. gr. in furto rei sacrae: quod res aliena invito domino aufertur, est obiectum quo actus constituitur in ratione furti; quod res illa est sacra, est circumstantia quae furtum reddit sacrilegum.

III. **Finis** dicitur id, cuius gratia aliquid fit, seu id ad quod consequendum operamur.

Distinguitur finis *operis* seu intrinsecus, et est id, ad quod opus vel actus ex natura sua ordinatur, atque in ipso opere vel eius obiecto intrinsece includitur; sic levamen pauperis est finis operis eleemosynae datae; et finis *operantis* seu extrinsecus,

quem sc. operans mero arbitrio suo operi praestituit, ipso fine operis sive intento sive excluso; ut si eleemosyna datur ad satisfaciendum pro peccatis. De posteriori fine hic agitur.

§ I. — *De moralitate ex obiecto* (1).

29. **Assertio.** Actus humanus sumit suam bonitatem aut malitiam essentialem specificam ac primariam ab obiecto bono vel malo cognito; bonitate quidem directe, malitia vero indirecte volita vel intenta.

I. Essentialem, specificam ac primariam. Sicut enim omnis actus in esse naturae, ita etiam actus humanus in esse moris suam essentiam et speciem primario sumere debet ab ipso obiecto.

II. Ab obiecto bono vel malo. Talia autem sunt obiecta vel *per se* vel *per accidens*. Quaedam sc. obiecta ex se seu sua natura sunt conformia rectae rationi, seclusa etiam omni alia lege; alia per accidens sc. ratione legis per accidens supervenientis tali materiae. Illa dicuntur *intrinsece* bona vel mala, et quia talia sunt, ideo praecipiuntur vel prohibentur ipsa lege naturali, cum hoc discrimine tamen, quod praecipiuntur sola bona necessaria recto ordini servando, mala vero prohibentur quaecumque. Alia dicuntur *extrinsece* bona vel mala, et talia sunt ideo, quia praecipiuntur vel prohibentur lege positiva.

Obiecta autem intrinsece mala talia sunt vel 1° *absolute*, quia nim. repugnant ordini fundato in ipsis naturis rerum, ita ut licita evadere nequeant, uti v. gr. blasphemare; vel 2° *propter ius* (2) Dei vel hominis, et haec licita fieri possunt, ut occisio hominis, rei alienae occupatio; vel 3° *propter periculum*, quod natura sua secum ferunt: quae etiam data causa et remoto periculo licita fiunt, ut aspectus vel tactus rei turpis.

III. Ab obiecto bono vel malo cognito sc. qua tali, ut nim. moralitas reipsa contrahi seu fieri formalis possit. Nihil enim volitum nisi praecognitum.

---

(1) Sporer n. 180 sqq.

(2) Intellige: *abdicabile*.

IV. Bonitate quidem directe, malitia vero indirecte volita vel intenta. Ratio: quia bonum morale, ut recta ratio dictat, non solum materialiter (id quod materialiter bonum est) sed formaliter (ideo quia tale est) prosequendum seu appetendum est; malum vero morale fugiendum et vitandum est. Unde sequitur ut secundum regulam moralitatis non agat, neque qui bonum faciens illud qua tale non prosequitur, neque qui malum facit etiamsi illud qua tale non vult; et ulterius ut a priore non contrahatur bonitas obiecti, posteriori vero malitia obiecti imputetur. Sic, qui eleemosynam dat solum ut ab importunitate pauperis liberetur, non ponit actum formaliter bonum; et qui furatur solum ut eleemosynam dare queat, ponit actum formaliter malum. — Idemque est de moralitate ex circumstantiis.

§ II. — *De moralitate ex circumstantiis* (1).

Assertio. Actus humanus, etiam internus efficax, sumit suam moralitatem etiam a circumstantiis cognitis et aliquo modo volitis, semper quidem accidentalem actui, sed aliquando aggravantem tantum, aliquando vero etiam speciem mutantem. — *Aliquo modo volitis*, sc. directe vel indirecte ut n. pr. sub IV expositum est de obiecto. 30.

Ratio quoad actum externum, et consequenter quoad actum internum efficacem, est: quia actus externus in individuo tendit in obiectum, prout cognoscitur esse a parte rei affectum suis circumstantiis; ac proinde voluntarie eliciens actum, censetur etiam indirecte saltem velle omnes eius circumstantias cognitas.

Porro actus internus efficax, non item inefficax sumit malitiam a circumstantiis indirecte tantum volitis. V. gr. actus efficax est, si quis absolute proponit furari rem sacram, non quia sacra, sed etsi sacra est; inefficax vero si quis vellet furari eandem rem, nisi esset sacra. Ratio est: quia actus internus inefficax fertur in obiectum praecise ut obiective proponitur in intellectu, ideoque facile abstrahit a circumstantiis annexis quamvis cognitis. At vero actus internus efficax tendit in ipsum actum externum, ut subie-

(1) Sporer n. 194 sqq.

ctive exercendum circa obiectum, prout est a parte rei, ideoque minime potest abstrahere a circumstantiis annexis.

31. I. Circumstantiarum sufficiens est numerus septenarius vulgari versu comprehensus: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Sc. respiciunt agentem, obiectum, locum, medium, finem, modum, tempus.

II. Circumstantiae 1° aliae *superaddunt* actui *novam speciem* moralem, et vocantur mutantes speciem (moralem).

2° Aliae solum *augent vel minuunt* moralitatem in eadem specie, et dicuntur aggravantes vel diminuentes. Ex his

3° Quaedam ita *aggravant vel diminuunt* malitiam actus, ut de veniali faciant mortale vel vice versa; dicuntur mutantes speciem theologicam.

III. Actum bonum circumstantia 1° *graviter mala* totum corrumpit; ita saltem ut supernaturalis vel meritorius non sit; puta si materfamilias ecclesiam petat, filiam cum amasio solam cum solo, gravi cum periculo peccandi, relinquens; — 2° *venialiter mala* probabiliter non ita, nisi intrinsece obiectum afficiat, v. gr. si detur eleemosyna contra superioris prohibitionem. Hinc si in allato exemplo ponas mulierem leviter solum suo officio deesse, si ceteroquin devote Missae assistat, hic actus probabiliter retinet suam bonitatem ex obiecto. Idemque resolve in similibus casibus, qui praecipue occurrere possunt ratione finis extrinseci seu operantis, sed solum secundarii. Dixi ad 1^m^ ita saltem etc., et ad 2^m^: probabiliter; quia absolute loquendo, num unus idemque actus voluntatis simul partim moraliter bonus partim moraliter malus esse possit, necne, non una est DD. sententia.

A circumstantiis proprie dictis distinguendi sunt actus incidentes, qui actui principali, de cuius moralitate quaeritur, extrinseci sunt, puta si sacerdos confessiones excipiens interim impatientiae aliquando indulget.

§ III. — *De moralitate ex fine* (1).

32. **Assertio.** Actus internus voluntatis sumit suam moralitatem primariam et specificam; externus

(1) Sporer. n. 185. sqq.

vero secundariam tantum et accidentalem a fine, propter quem fit.

Ratio: omnis actus accipit suam specificationem non tam ab obiecto materiali, in quod tendit, quam potius ab obiecto formali seu a motivo, secundum quod et propter quod tendit in obiectum materiale; atqui hoc formale obiectum est finis intentus; ergo finis est fons moralitatis, isque praecipuus, quum ipsi quoque obiecto dominetur. Sic enim, v. gr. eleemosyna data puellae pauperi ad eam seducendam, iam in ratione actus humani non est actus misericordiae, sed potius illi oppositus. Quae autem in assertione affirmantur de actu tum interno, tum externo, ea liquent ex eo, quod ipsi soli actui interno voluntatis per se primario competit intendere finem et propter finem agere eligendo media et imperando actus externos in ordine ad talem finem; actibus vero externis mere per accidens est, quod ita eligantur, ordinenter ad talem extrinsecum finem; ergo finis actui interno tantum tribuit moralitatem primariam, specificam, actibus vero externis imperatis solum secundariam et accidentalem, tanquam mera circumstantia.

Finis itaque recte quidem numeratur inter circumstantias nomine *cur*, et est verissima circumstantia respectu actuum externorum. Differt autem singulariter ab aliis circumstantiis respectu actuum internorum. Finis enim semper directe est volitus, ideoque tanquam obiectum moralitatem tribuit actui interno. Aliae vero circumstantiae solum indirecte sunt volitae cum actu externo vel obiecto ita circumstantiato, ideoque moralitatem primarie tribuunt actui externo, et, hoc mediante, secundarie solum actui interno. Ceterum si aliae etiam circumstantiae directe volitae et intentae sint, respectu actus externi quidem manebunt circumstantiae ut ipse finis; at respectu actus interni desinunt esse circumstantiae et fiunt obiectum, saltem partiale, principale, sicut finis.

Septem modis actus potest esse propter finem: 33.

I. Actus bonus propter finem bonum. — Accipit a fine novam speciem bonitatis, imo tot species bonitatis accipit, quot ei diversi fines boni praefiguntur.

II. Actus malus propter finem malum. — Accipit a fine novam malitiam, imo tot malitias, quot fines mali diversi praefiguntur.

III. Actus bonus propter finem malum. — Destructa bonitate ex obiecto simpliciter redditur malus ex fine, si hic est graviter malus, vel si venialiter sed totalis aut primarius, ceu causa finalis; secus dicendum si finis venialiter malus esset tantum secundarius seu haberet se solum ut causa impulsiva, vel consecutive vel etiam concomitanter ad actum bonum.

IV. Actus malus propter finem bonum. — Est et manet malus, neque ab ullo fine quantumvis bono ullius bonitatis est capax.

Animadvertendum tamen est: 1° In legibus positivis intentio boni et necessarii finis saepe excusat a transgressione, ut si die festo velis laborare aut omittere sacrum ad succurrendum pauperi vel infirmo. — 2° Finis bonus videtur aliqualiter minuere culpam. — 3° Hac in re saepissime bona fides excusat a peccato.

V. Actus indifferens propter finem bonum. — Unicam bonitatem habet a fine.

VI. Actus indifferens propter finem malum. — Habet unicam malitiam ex fine.

VII. Actus indifferens proper finem indifferentem. — Num indifferens maneat etiam in individuo, dicetur n. 36.

34. De agente propter delectationem nota:

I. Agere *propter solam delectationem,* ita nempe ut ulterior finis positive excludatur, malum est. Hoc enim est invertere ordinem ab Auctore naturae institutum, secundum quem delectatio est propter operationem, et non vice versa. Haec autem deordinatio per se non est gravis, nisi nempe delectatio haberetur pro fine ultimo.

II. Agere *propter delectationem* (non solam) non est malum. Nam quod ad opus quis moveatur appetitu delectationis, sicut et ad laborem spe praemii et mercedis, id ordini naturae est consentaneum. Cfr. Ball.-Palm. n. 101, et infra n. 36. Practice, qui agit debito modo, ordine et tempore, non censetur agere propter solam delectationem.

SCHOLIA.

35. I. Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu: huius axiomatis sensus ex praecedentibus intel-

ligitur, et secundum praedicta intelligendum est. Sc. ut actio aliqua sit simpliciter bona, talis esse debet attentis omnibus tribus fontibus moralitatis; non quod ex parte singulorum debeat esse bona, sed si reliqua sint indifferentia, aliqua saltem bona intentio adesse debet. — Ut vero actio sit mala, sufficit ut ex una, non refert qua parte, a rectitudinis regula discedat.

II. Dari actus indifferentes in specie, ex obiecto seu 36.
in abstracto, omnes admittunt. Num dentur etiam attentis circumstantiis, maxime fine operantis, in individuo seu in concreto, controvertitur. Affirmant (praesertim) Scotistae; negant (praesertim) Thomistae.

Quocirca praevie observo:

1° Quaestio intelligitur de actibus deliberatis ordinis naturalis, atque exclusis iis, quibus ab Auctore naturae praestitutus est certus finis nesitatis vel utilitatis alicuius honestae, quales v. g. sunt actus edendi et bibendi, loquendi: qui actus ideo in individuo vel boni sunt, si cum moderatione rectae rationis fiant, vel, si secus, eo ipso mali sunt. Seu intelligitur quaestio de iis actibus quorum finis operis non est nisi aliqualis commoditas vel relevatio naturae, uti fricare barbam, expuere, ambulare. Sporer n. 204. Quamquam alii latius, alii minus late harum actionum genus extendunt; sunt etiam qui huc referunt actum omissionis voluntariae seu nolitionis maioris perfectionis.

2° Dissensus Auctorum huc redit, quod actus in una opinione indifferentes in altera sunt naturaliter boni. Scilicet:

Ratio affirmantium huc redit: nihil obstat, quominus in huius generis actionibus finis operantis idem sit ac finis operis; atqui: ergo. — Neque probatur praeceptum omnes actus nostros positive referendi ad finem bonum et honestum.

Ratio negantium vero: in hisce actionibus finis operantis est ipse finis operis; atqui finis operis est conformis intentioni Auctoris naturae; quod autem tale est, est rectum. Ergo. — Neque obstat, quod in hypothesi huiusmodi actiones videantur fieri ob solam delectationem. Nam qui solam delectationem actu cogitat, non ideo necesse est propter eam solam agere, quum implicite saltem et interpretative (virtualiter alii dicunt) ulteriores fines, finemque ultimum possit intendere, quod fieri censetur, quamdiu hi fines positive non excluduntur. Etenim omne delectabile natura sua tendit in utile, utile in honestum, honestum in Deum; consequenter qui vult delectabile recte et ordinate, ut supponitur, censetur velle et fines ulte-

riores et ipsum finem ultimum. Atque hac intentione interpretativa consentiunt Auctores satis fieri obligationi dirigendi omnes actus humanos ad Deum, tanquam finem ultimum. Cfr. Ball.-Palm. n. 102 sqq.

37. Quod autem attinet ad quaestionem: Utrum relatio supernaturalis Christianis praecepta sit necne, per verba Apostoli I Cor. X. 31. « Sive ergo manducatis etc. » et Col. II. 17. « Omne quodcumque facitis etc. » negat S. Bonaventura, secundum quem haec verba merum consilium continent; affirmat S. Thomas, qui in verbis citatis agnoscit praeceptum affirmativum (de praecepto negativo sc. nihil agendi contra gloriam Dei, quaestio, uti patet, esse non potest). Verum secundum ipsum S. Thomam hoc praeceptum confunditur cum praecepto charitatis, huiusque actus eliciendi, quo actu, quamdiu non retractatur per peccatum mortale, satis omnia referuntur in Deum.

38. III. Actum externum per se addere actui interno efficaci distinctam bonitatem vel malitiam Scotistae affirmant, Thomistae aliique communiter negant.

Ratio praecipua negantium: sicut tota libertas, ita etiam tota moralitas actui externo praecise communicatur ab actu interno; ego huic ille nullam potest addere moralitatem.

Praecipua ratio affirmantium: cum moralitas non oriatur praecise ex libertate actus, sed haec sit tantum illius conditio, hinc potest una libertas sufficere ad distinctas bonitates vel malitias; atqui in actu externo est bonitas vel malitia distincta a moralitate actus interni; non enim solum efficaciter velle orare v. gr. sed etiam ipso facto orare bonum est; ergo (1).

Augeri plerumque ob varias rationes in externa executione moralitatem actus omnes consentiunt. Sporer n. 206 sqq.

De actu externo in sacramentali confessione declarando suo loco dicetur.

---

(1) De hac quaestione sub ratione *meriti* vid. P. Claudius Frassen, *Scotus Academicus* (Editio Romana, 1901) tom. 8 pag. 407.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

Conscientia physice sumpta est facultas cognoscitiva in proprios actus redeundi, tum etiam magis speciatim est instrumentum veritatis assequendae: sic autem sumpta ad psychologiam et ad logicam pertinet. Moraliter sumpta ad philosophiam atque ad theologiam, utramque moralem, pertinet: de hac itaque sola nobis agendum est.

CAPUT PRIMUM.

DE CONSCIENTIA MORALI GENERATIM.

ARTICULUS I.

NOTIO ET DIVISIO.

Ad conscientiam formandam concurrunt Synteresis, Scientia moralis et aliquo etiam modo Prudentia; ipsa autem Conscientia est conclusio particularis alicuius syllogismi: quae omnia patebunt per explicationem. 39.

Synteresis est habitus (naturalis), quo cognoscuntur *prima principia practica.*

Scientia moralis est habitus (acquisitus), quo cognoscuntur *conclusiones universales* ex primis illis principiis deductae. Distinguitur naturalis seu *ethica,* quae ex principiis naturalibus seu lumine naturae notis; et supernaturalis seu *theologia moralis,* quae ex principiis supernaturalibus seu revelatis concludit.

Prudentia est recta ratio agibilium, seu habitus cum recta ratione activus: quo nim. intellectus principia et conclusiones universales practicas applicat ad actionem in particulari.

Hic actus prudentiae est ipsa conscientia, saltem recta et vera practice. Sporer n. 2 sqq.

40. Definitur conscientia: dictamen intellectus practicum, ex principiis communibus iudicans aliquid in particulari seu hic et nunc agendum ut bonum honestum vel fugiendum ut malum inhonestum esse, fuisse vel fore.

I. Dictamen intellectus practicum, nim. iudicans aliquid *agendum ut* bonum *honestum*, vel *fugiendum ut* malum *inhonestum*.

Adverte 1°. Dictamina intellectus practica alia dicuntur improprie seu *speculative practica*, quae sc. versantur circa operationem in communi, abstracte a singularibus, v. gr. cuilibet ius suum reddendum; et haec si vera sint, ad synteresim vel scientiam moralem spectant. Alia dicuntur proprie seu *practice practica*, quae sc. versantur circa operationem in particulari seu hic et nunc exercendam in suis circumstantiis v. g. hanc rem restituere debeo.

Adverte 2°. Saepius formatur etiam dictamen secundum rationem, non honestatis, sed utilitatis vel voluptatis: v. gr. hanc rem auferre debeo, quia mihi valde utilis vel iucunda est. Porro in dictamine honestatis consistit essentialiter conscientia.

II. Ex principiis communibus iudicans aliquid in particulari seu hic et nunc agendum. Conscientia ergo dictamen discursivum est, nitens non quidem semper formali, sed saepe virtuali et implicito tantum discursu seu syllogismo, cuius *maiorem* ponit synteresis, *minorem* subsumit ratio, *conclusionem universalem* infert scientia moralis, *particularem* vero prudentia et conscientia. V. gr. malum fugiendum est (synteresis); furtum est malum (ratio); furtum fugiendum est (scientia moralis); ergo hanc rem non debeo auferre (conscientia).

Conscientia itaque est conclusio ultima seu ultimi syllogismi huius discursus. Cuius ultimi syllogismi *maiorem* ponit scientia moralis, estque generatim lex, ius seu obligatio in abstracto; *minor* actionem particularem, de qua hic et nunc agenda vel omittenda agitur, cum ista lege etc. comparat; *consequens* ex praemissis conclusio est conscientia.

III. Iudicans aliquid agendum vel fugiendum esse, fuisse vel fore. Conscientia enim respicit bonum et malum non tantum ut praesens, sed etiam ut praeteritum vel futurum.

1° Prout respicit *a*) bonum in praesenti, approbat, inclinat, confortat; *b*) malum, reprehendit, recalcitrat, obmurmurat.

2° Prout respicit *a*) bonum in futuro, consulit, excitat, urget; *b*) malum, retrahit, terret, ligat.

3° Prout respicit *a*) bonum in praeterito, complacet, testatur, laetatur; *b*) malum, remordet, accusat, convincit, condemnat. Sporer n. 5 sqq.

Divisio. 1°. Conscientia, quae praecedit actum, dicitur *antecedens;* quae sequitur, *consequens*. Sola antecedens, ut patet, potest esse regula morum; cfr. n. sq.; ea proin semper intelligitur, nisi aliud dicatur. 41.

Errant itaque atque insipienter agunt, qui vel Theologiae Morali studendo, vel post auditam concionem vel factam lectionem angi incipiunt quoad actiones praeteritas bona fide positas. Quanquam talis conscientia consequens fieri potest antecedens in ordine ad actiones futuras; cfr. n. 57. Praeterea distinguitur:

2°. *Recta* vel *erronea* seu *vera* vel *falsa,* prout obiective verum vel falsum dictat. Ita plerique promiscue hisce terminis utuntur. Alii rectam dicunt conscientiam omnem, quae errorem vincibilem excludit atque ex praemissis legitime concludit, ita ut comprehendat quoque conscientiam invincibiliter erroneam; eique opponunt conscientiam falsam. Cfr. cap. II.

3°. *Certa* vel *dubia,* prout assensus, isque firmus, datur vel suspenditur. Ratione motivi cui innititur, distinguitur praecipue conscientia *certa* vel *probabilis*. Cfr. cap. III. — Conscientia, quae ne probabilis quidem sit, utpote motivo probabili destituta, erit stricta, laxa vel scrupolosa, prout fundatur in motivo nimis stricto vel laxo vel prorsus inani; cfr. cap. IV; sed haec de habituali cuiusque statu seu in rebus practicis iudicandi consuetudine, potius quam de actuali eius conscientia dicuntur. — A conscientia stricta distinguenda est conscientia tenera quae minima etiam peccata vel defectus vivide apprehendit.

4°. *Obligans* (praecipiens vel prohibens) aut *consulens* (ex se honestum) vel mere *permittens* (ex se indifferens).

ARTICULUS II.

NECESSITAS CONSCIENTIAE CERTAE, EIUSQUE VIS DIRECTIVA.

Sermo hic est de necessaria certitudine, non speculativa sed practica, seu non integri ratiocinii cuius consequens est conscientia, sed huius solius conscientiae seu ultimi iudicii practici; cfr. n. 39 sq.

42. **Assertio generalis.** Conscientia, ut sit regula morum, debet esse certa, saltem late moraliter. Explicatur:

I. Ut sit regula morum, intellige tum 1° ut reddat actionem (vel omissionem) licitam; tum 2° ut reddat actionem (vel omissionem) obligatoriam, seu ut inducat obligationem (subiectivam, in actu secundo).

II. Certitudo moralis distinguitur duplex: *stricta* seu *perfecta* quae omne dubium, et *lata* seu *imperfecta* quae prudens dubium de opposito excludit.

43. Probatur assertio quoad necessitatem conscientiae certae.

I. Generatim tum ad liceitatem tum ad obligationem actus ponendi vel omittendi, idque ex ipsa notione conscientiae, ex ratione, quam habet, regulae morum, atque ex communi sensu et consensu.

1. Aliquam conscientiam *requiri* ad formalem moralitatem uniuscuiusque actus humani, sed etiam in homine ratione utente eam *non posse plane deesse*, hoc èt ratio probat (n. 24 sqq.) èt experientia ostendit, èt omnes norunt atque admittunt. Sed conscientia proprie dicta non est nisi certa, ut ex ipsa eius notione liquet (n. 40). Eà nim. proprie intelligitur iudicium, non quo dubium de moralitate, sed quo simpliciter de licito pronuntiatur; ita ut is, qui practice non est certus de moralitate actionis suae, rectius non habere conscientiam, quam habere dubiam dicatur.

2. Conscientia, eaque sola, est regula proxima morum. Sed iterum sine certitudine regula morum admitti nequit. Regula enim morum una sit oportet pro omnibus qui eà dirigi debent; at una omnibus esse non potest regula, nisi haec certa sit.

3. De communi hominum sensu vide dicta sub 1. Communis Theologorum consensus liquet ex ipsorum modo agendi. In quae-

stionibus namque dubiis omnes Theologi, sive stant pro libertate sive pro obligatione, semper quaerunt rationem certam ex qua alterutrum, sive licitum sive illicitum, ut certum tandem deducant.

II. 1. Speciatim quoad liceitatem probatur assertio ex revelatione, sc. ex Rom. XIV, 23; « omne quod non est ex fide [i. e. ex certa persuasione liciti] peccatum est » (1).

2. Quoad obligationem: conscientia, ut proxima regula morum, non est nisi applicatio alicuius legis ut regulae primariae et remotae. Applicatio autem non fit per dubium, sed per solam scientiam seu certam notitiam. Hinc S. Thomas et Theologi communiter cum eo: « nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti ». De Ver. qu. 17 a. 3 c; cfr. infra n. 61.

Resolves ex 1°: peccat agens practice incertus de liceitate suae actionis; cfr. n. 52; — ex 2° vero: vera tamen reapse obligatio in actu secundo non datur, nisi de ea certo constet; unde illud; obligatio dubia obligatio nulla.

Probatur assertio quoad sufficientiam moralis cer- 44.
titudinis latae, cum S. Thoma: « In actibus humanis... non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis [i. e. lata seu imperfecta] certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat ». 2. 2. qu. 70 a. 2 c. Nim. ut dictum est, conscientia est consequens alicuius syllogismi, cuius propositio maior est generatim aliqua lex vel ius; propositio minor comparatio actionis particularis hic et nunc ponendae cum illa lege vel iure. De utraque ergo propositione est requirenda, ut necessaria et sufficiens, certitudo « secundum proprium modum », ut alibi loquitur idem S. Thom. (2), et pro circumstantiis; consequenter atque ut plurimum, maior certitudo, i. e. demonstrativa seu perfecta quoad propositionem maiorem, minor certitudo, i. e. probabilis

---

(1) Cf. Denz. nn. 364 et 1168.

(2) 2. 2. qu. 47 a. 9 ad 2: « Secundum Philosophum (Ethic. l. 1 c. 3 circa princ. et c. 7 circa fin.) *certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum.* Quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur ».

seu lata, quoad propositionem minorem. Haec enim posterior considerat particularia contingentia et variabilia, eaque plura, puta, non tantum num actio ista particularis per se sub lege cadat necne, sed praeterea circumstantias personae, loci etc., antequam ad conclusionem deveniatur. Quare, quia » peiorem semper sequitur conclusio partem », haec, i. e. conscientia, ut plurimum non potest habere nisi moralem certitudinem latam.

45. **Vis directiva**, seu obligandi, conscientiae certae ita ex praecedentibus sequitur, ut per ipsa sit etiam probata. Si enim conscientia certa est regula proxima morum, eaque sola, necessario sequitur:

1.° Id quod conscientia dictat aut faciendum aut omittendum necessario esse, id sub peccato aut fieri aut omitti debet.

2°. Id quod conscientia dictat aut consultius aut licite saltem fieri vel omitti, id aut consultius aut licite saltem fit aut omittitur.

De 1° egregie dicit S. Doctor Seraphicus: « Conscientia est sicut praeco Dei et nuntius, et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut praeco cum divulgat edictum regis; et hinc est quod conscientia habet virtutem ligandi » (1). Cfr. supra n. 43, II. 2. — Quod idem suo modo dici potest de 2°.

Quae vis directiva conscientiae magis explicatur in sequentibus; ubi etiam de certitudine obiectiva vel subiectiva, directa vel indirecta.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA.

46. **Praenotanda.** I. Certitudo alia est *obiectiva*, quae fundatur in obiectiva rei veritate cognita; alia est *subiectiva*, quae sistit in firmo assensu et coniungi potest cum errore sive vincibili sive invincibili.

II. Similiter veritas vel falsitas ultimi iudicii practici seu dictaminis conscientiae alia dicitur *speculativa* seu obiectiva, prout nim. iudicium istud seu dictamen est reapse conforme vel difforme suo obiecto; alia dicitur *practica* seu subiectiva, prout formatum est ex motivo secundum conditionem operantis sufficienti

(1) S. Bonav. Sent. 2 d. 39 a. 1 q. 3 ad 3 *pro parte negativa:* editionis criticae *Quaracchi* Opera omnia etc. tomo 2 pag. 907.

ac rationabili vel sine tali motivo, seu prout est conforme vel difforme rectae rationi practicae. Quare etiam veritas practica stat cum errore, sed tali solummodo qui vel in quantum est invincibilis.

Notiones. — I. **Conscientia recta** est, quae ex princi- 47.
piis veris, et certe cognitis et recte applicatis iudicat in particulari, aliquid agendum vel fugiendum; haec itaque habet certitudinem obiectivam et veritatem speculativam.

II. **Erronea** vero, quae ex principiis falsis vel falso applicatis, creditis tamen pro veris iudicat, aliquid agendum ut bonum vel fugiendum ut malum, cum revera non sit.

Conscientia erronea duplex distinguitur: una *invincibilis* et inculpabilis, cuius error morali studio vinci seu deponi neque potuit neque potest, ideoque adhuc practice vera est atque subiective certa; altera *vincibilis* et culpabilis cuius iterum duplex est hypothesis: Si error morali adhibita diligentia vinci seu deponi potuit in praeterito, sed iam actu deficiente advertentia non potest, habetur conscientia erronea vincibilis proprie dicta, quae actu est subiective certa et practice vera. Si autem actu adest advertentia sufficiens ad necessitatem rem melius inquirendi, habetur conscientia, quae dicitur dubia. In sola priori hypothesi huc pertinet, in posteriori ad cap. sq. Cfr. Sporer n. 10 sqq.

Assertio. Conscientia recta est per se, erronea 48.
vero per accidens est regula morum, quam sequi oportet vel licet, prout est obligans vel non obligans. Cfr. n. 45.

Pars prior probata est n. 43-45. Pars posterior probatur ex priori; voluntas enim tendit in obiectum ut hoc ipsi proponitur per dictamen conscientiae. Praeterea probatur et explicatur cum S. Thoma: » Ille, qui conscientiam erroneam habet, credens eam esse rectam... [quae est hypothesis], inhaeret quidem per se loquendo rectae conscientiae, sed erroneae quasi per accidens. in quantum hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse erroneam. Et exinde est, quod per se loquendo ligatur a conscientia recta, per accidens vero ab erronea ». — « Esset simile... si praeceptum imperatoris nunquam ad aliquem pervenire posset, nisi mediante proconsule, et proconsul non praeciperet nisi recitans imperatoris praeceptum. Tunc enim idem esset contemnere praeceptum

imperatoris et proconsulis, sive proconsul verum diceret sive mentiretur». De Ver. q. 17 art. 4 c. et ad 2. Quae dicta de conscientia obligante, pari modo quadrant in conscientiam consulentem vel permittentem. Cfr. Sporer n. 15 sqq.

49. Differentia quoad hoc inter conscientiam erroneam invincibilem et vincibilem est in huius posterioris culpa seu negligentia culpabili praeterita, cuius ratione vincibiliter errans numquam simpliciter excusatur a peccato; sed agens contra conscientiam erroneam obligantem gravius tamen peccat, quam agens secundum eam, quia insuper actu peccat. — Quodsi autem ponas, culpam praeteritam, per sincerum dolorem et moralem diligentiam adhibitam, esse rectractatam, sed veritatem detegi non potuisse, ex tunc conscientia iam erit invincibiliter erronea.

50. Ea specie eaque gravitate peccati agens contra conscientiam erroneam obligantem peccat, qualem apprehendit; ut per argumenta iam allata patet.

Difficultas de eo cuius conscientia confuse indistincte dictat aliquid esse malum, nim. sine distinctione inter mortale et veniale, huc pertinet si talis revera nihil cogitavit de mortali vel veniali. Et practice resolvenda erit per praesumptionem, sc. mortaliter peccatum esse, plerumque saltem, si vèl res est manifeste gravis, vèl agitur de homine minus timoratae conscientiae, seu peccata etiam gravia parum curante: tunc nim. praesumenda erit sufficiens advertentia et consensus in peccatum mortale; Cfr. Elbel n. 140. — Si vero cogitatio de mortali vel veniali inciderit, casus plerumque erit dubii practici vel neglectae culpabiliter inquisitionis; quandoque casus erit conscientiae scrupolosae; et resolvendi casus secundum dicta vel dicenda de iis.

CAPUT TERTIUM.

DE CONSCIENTIA IN DUBIO FORMANDA.

Dubium, pariter ac certitudo, primo et stricto sensu dicitur de dispositione animi seu de statu mentis; dein et latius de iudicio, de re iudicata, de rationibus seu motivis; cfr. S. Thom. de Verit. q. 14, art. 1. Dicitur etiam de ipsa conscientia, quamvis minus proprie, quum vel in quantum dubium ante actionem non est depositum; cfr. n. 43, I, 1.

ARTICULUS I.

DISTINGUUNTUR DUBIA.

51. **I. Dubium negativum et positivum** duplici sensu dicitur:

1° Ex parte actus dicitur, prout quis, apprehensa utraque parte, neutri assentiens vèl absque ullo positivo actu suspensus manet, vèl actu positivo indicat rem esse dubiam.

2° Ex parte motivi, prout intellectus inter utramque partem suspensus manet ex eo quod *nullum* omnino occurrit motivum assentiendi vel dissentiendi, sed intellectus mere ignoranter se habet, vel ex eo, quod occurrunt motiva *aequalia* pro utraque parte. In utraque hac hypothesi habetur dubium proprie dictum seu strictum.

Nota 1° verba « *suspensus manet* ». In hoc enim differt dubium etiam positivum ab opinione, quae significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis (ei adhaeret seu assentitur) cum formidine alterius. — Quodsi intellectus inclinatur quidem in alterutram partem, quin tamen ei adhaereat, habetur suspicio.

2° Si intellectus non tam fluctuat inter utramque partem contradictionis, sed pro una tantum parte vèl caret omni motivo assentiendi vèl habet motivum sed non sufficiens ad certitudinem gignendam, habetur, quod vocant improprie, dubium latum, et hoc dicunt *negativum* ex una parte, sive nulla sive levis ratio habeatur, *positivum* ex una parte, si gravis ratio apprehendatur. Practice autem, si aliquod saltem motivum apprehendatur, intellectus vix non semper a statu dubii proprie dicti transit ad statum opinantis vel suspicantis.

II. Dubium speculativum et practicum dicitur in re morali, prout dubitatur *in genere* seu de actionis honestate secundum se, in abstracto, v. gr. an die festo liceat pingere; vel *in particulari* seu de honestate actionis hic et nunc exercendae in suis circumstantiis particularibus, v. gr. an debeam hanc confessionem repetere.

Eodem sensu distinguitur conscientia speculative et practice dubia.

III. Dubium iuris et facti inter se differunt ut de ignorantia dictum est n. 16, II. — Ex dubio facti plerumque oritur dubium iuris.

ARTICULUS II.

NECESSITAS ET MODUS CONSCIENTIAE IN DUBIO FORMANDAE.

52. **Assertio.** Cum conscientia practice dubia nunquam licet agere, sed semper peccatur pro ratione materiae et dubii. — Prior pars sequitur ex necessitate conscientiae certae. Ratio praeterea ab AA. passim allata est: quia agens se exponit periculo peccandi. Verum potius dicas: quia non satisfacit certae obligationi veritatem seu legem inquirendi. Etenim qui tenetur legem servare, tenetur etiam ad eam, si ignorat et inde periculum legem transgrediendi imminet, inquirendam. Atqui dubie agens advertit se legem ignorare et inde periculum legem violandi instare. Ergo reus est legis violatae; idque sive lex, de qua dubitat, vere existat, sive reipsa non existat.

Ex eadem ratione patet insuper eum peccare pro ratione materiae et dubii. Qualem enim et quantam obligationem apprehendit, tale et tantum peccatum vult, consequenter et committit. Cfr. n. 50. Hinc oritur:

53. **Quaestio.** Quomodo in dubio procedendum, ut peccatum vitetur?

Resp. Vel stante dubio practico tutior pars est eligenda, vel dubium practicum est deponendum. Quoad modum deponendi varii casus sunt distinguendi dubii tam negativi quam positivi. Ex necessitate autem huius distinctionis sequitur necessitas primo loco attendendi vel inquirendi num dubium conceptum sit negativum an positivum; cfr. n. 56, I.

54. **Casus dubii negativi.** I. Dubium negativum latum seu ex una parte tantum, sive iuris sive facti, est spernendum, ita ut altera pars haberi practice possit vel debeat ut certa. Ratio: quod sine ulla vel absque sufficienti ratione est conceptum, merito sine nova ratione deponitur.

II. Dubium negativum strictum seu ex utraque parte,

1° Si est *iuris* — hoc intelligendo de dubio circa existentiam iuris — resolvi potest pro libertate. Tum enim lex mere et invincibiliter, ut supponitur, ignoratur, si forte existat.

2° Si, supposita lege certo lata et promulgata, dubium est *facti,* duae sunt sententiae:

Cum pluribus aliis, si omnibus consideratis dubium manet strictum, resolvimus ut ad 1^m^, i. e. pro libertate, et ob eandem rationem, quia nim. etiam in hac hypothesi lex eiusve obligatio hic et nunc urgens ignoratur. — Sed frequenter praesumptio favet alterutri parti, facitque ut dubium iam non sit strictum; id quod praecipue accidit in dubiis de factis proprie dictis. Ast aliud contingere maxime potest, ubi dubitatur de factis minus proprie dictis, puta de tempore vel loco. Qua de re infra, n. 68 sqq.

Plures alii tum hoc dubium, tum generatim, etiam positiva, dubia facti resolvenda docent ex principiis praesumptionis et possessionis, resolvuntque contra libertatem si dubium est *de cessatione* legis vel obligationis. Sed de hac opinione eiusque fundamento plura infra, l. c. et n. 71 sqq. Cfr. Sporer n. 78 sqq.

55. **Casus dubii positivi.** Dubium positivum omne, sive iuris sive facti, cum ratione seu prudenter est deponendum, i. e. non solo voluntatis imperio, sed adhibità debità et pro conditione personae ac circumstantiarum moraliter possibili diligentia inquirendi veritatem; cfr. Sporer n. 74. Ratio patet ex supposito: dubium enim supponitur cum ratione conceptum; consequenter cum ratione deponendum est. Quodsi veritas diligenter quaesita non est detecta, — quia tamen conscientia, ut sit regula morum, tam ad liberandum, quam ad obligandum, debet esse certa (n. 42 sqq.) — nihil restat nisi ut certitudo, sive pro libertate, sive pro lege, indirecte quaeratur. Quod fit applicando principia generalia certa, quae ideo dicuntur reflexa. Conscientia autem hoc modo formata dicitur conscientia probabilis, de qua art. seq., ubi docebitur in quem sensum, pro lege seu obligatione an pro libertate, dubia positiva, quorum directa solutio non invenitur, practice sint deponenda. — Prius vero duo sunt notanda:

56. I. Moralis diligentia, de qua supra, adhiberi seu veritas inquiri et dubium prudenter deponi potest etiam petendo consilium. Quare dici potest dubium prudenter deponi vèl *ratione* vèl *auctoritate.* Ad auctoritatem autem refertur exemplum bonorum.

Porro pro indoctis vel minus doctis, qui nempe per se veritatem inquirere, adeoque dubium ratione deponere non possunt, practice non restat nisi posterior hic modus. Quamquam hoc non ita intelligendum est, ac si hic modus exclusive pro indoctis, et non etiam pro doctis sufficeret. Idem dicendum est de iis, qui distinguere nequeunt, utrum dubium quod conceperunt sit negativum, (vanum et contemnendum), an positivum (fundatum et prudenter deponendum). Ii sc. veritatem inquirere debent ob dictum n. 52.

II. Scholion de conscientia perplexa. **Quid**, si quis neque veritatem ullo modo inquirere, neque dubium deponere seu se resolvere, neque ab agendo abstinere potest? — Est casus conscientiae perplexae ex praeceptorum conflictu. Casus adest v. gr. si quis dubius haeret et manet inter obligationem assistendi Missae die dominica et obligationem manendi apud infirmum.

Resp. 1°. Loquendo de solo conflictu praeceptorum et abstrahendo a conscientia perplexa, praevalet in theoria praeceptum, quod est gravius, in praxi id quod videtur gravius. Pro theoria solent hic tradi regulae, quibus statuitur utrum praeceptorum in conflictu praevaleat seu gravius sit ceteris paribus. Et dicunt praevalere praeceptum naturale positivo, divinum humano, negativum affirmativo, id quod est superioris ordinis alteri inferioris ordinis. Optime, sed in theoria et caeteris paribus. At enim plerique ignorant, vel non capiunt has regulas; praeterea circumstantiae non raro tales sunt, ut vel doctissimus dubius haereat. Qua de causa dico: in praxi praevalet praeceptum, quod videtur gravius.

Si vero utrumque videatur aeque grave, eligatur pro libitu, et non peccabitur; quia deest in hypothesi libertas, et non datur peccatum necessarium.

Sed quid iam si quis alterutrum necessario faciens, nihilominus putat se peccare?

Resp. 2°. Loquendo iam de conscientia perplexa, hoc errore non obstante, tamen non peccat, ob rationem supra datam. Excipe: nisi forte eligat, id quod sibi gravius peccatum videatur; tunc enim peccabitur pro rata excessus apprehensi. Cfr. Sporer n. 24.

ARTICULUS III.

DE CONSCIENTIA PROBABILI, DE LICITO USU OPINIONIS PROBABILIS ET DE PROBABILISMO.

Conscientia probabilis est, quae ex principiis probabilibus tantum practice certo dictat aliquid licere vel non licere. 57.

I. Ex principiis probabilibus *directis* nempe.

II. Practice certo dictat, sc. ope principii *reflexi certi*, ita ut ultimum conscientiae dictamen sit vere, quamvis indirecte tantum, certum.

III. Aliquid licere vel non licere. Ut enim n. 42 sqq. dictum est, conscientia ad hoc, ut reddat actionem (vel omissionem) sive licitam sive obligatoriam, semper debet esse certa. Secus non est regula, quam sequi sive liceat sive oporteat.

Quod advertant tum illi, qui solum mente versantes diversorum Auctorum opiniones, interim ipsi se non resolvunt practice, sed manentes dubii ac velut problematici non curant quid agant; tum illi qui post actum commissum vel omissum revolvunt Auctores, ut inveniant sibi faventem sententiam vel opinionem, quasi opinio subsequens possit iustificare praecedentem actionem. — Ante factum, si quis valde propensus ad aliquem actum dubii iuris, sitne licitus necne, data opera volvat et inquirat varios Auctores et opiniones, ut tandem inveniat sibi faventem, si quidem bona fide procedat, ut inveniat sententiam vel opinionem sibi faventem vere probabilem, is inde conformata conscientia tuto aget. Negari tamen non potest modum istum procedendi esse valde periculosum. Sporer n. 31 sqq.

Assertio I. Licitum est in conscientia et operatione sequi opinionem vere probabilem. Communis et in his terminis certissima doctrina. Sporer. n. 36. « *In his terminis* », sed in plerisque dubiis moralibus duae opiniones sibi invicem opponuntur, ita ut comparatione instituta formulanda sit hoc modo: 58.

Assertio II. Inter opiniones diversas et oppositas de eadem re, quarum quaelibet est vere probabilis, *per se loquendo et quantum est de honestate actionis,* licite quilibet potest sequi quamlibet, etiam minus probabilem et minus tutam; *etiam contra propriam opinionem probabiliorem vel tutiorem visam; et quidem*

aliquando etiam debet, praesertim subditus et confessarius in iudicio sacramentali.

Haec etiam adhuc est communior et tuta: ita Sporer n. 42. — Hodie dici potest absolute communis et certa. Coniungimus autem assertiones, quia sic integra nostra doctrina clarius, facilius et brevius proponitur et explicatur. Probationi vero praemittimus

PRAENOTANDA.

59. I. **Opinio probabilis** dicitur illa, quae nititur ratione gravi, et sic vocatur probabilis *intrinsece;* vel auctoritate gravi, et sic vocatur probabilis *extrinsece.*

Hinc iam intelligitur, quaenam *certe* (proprie), quaenam *dubie* vel *tenuiter* (utrumque improprie) sit probabilis. Praeterea distinguitur

II. Opinio probabilis *speculative* et *practice,* idque duplici sensu sc. 1° ut de dubio dictum est (n. 31, II); 2° prout abstrahitur a circumstantiis, quae actionem ordinarie concomitantur, vel prout hae circumstantiae sunt consideratae. Nos, nisi aliud dicamus, semper posteriorem sensum intelligemus.

III. Opinio probabilis *absolute* et *comparative* seu relative, prout talis videtur in se sola spectata, vel comparatione instituta cum oppositae propositionis fundamentis. — Comparative est

IV. Opinio *magis, minus* vel *aeque* probabilis.

V. Dicitur insuper *tuta, tutior,* vel *minus tuta,* prout removet idque magis minusve a periculo peccati; quod quidem plerumque intelligitur de periculo peccati materialis, quandoque etiam de periculo peccati formalis.

VI. Probabile et positive dubium quoad rem iudicatam nobis idem est, sed sub diverso respectu; dubiam dicimus rem in quantum recedit a certitudine, probabilem vero in quantum accedit, non tamen pervenit, ad certitudinem.

VARIA SYSTEMATA.

60. I. **Tutiorismus absolutus** seu **Rigorismus,** damnatus (1), qui requirit ut sententia favens libertati sit *moraliter certa.*

(1) Propos. inter 31 ab Alexandro VIII die 7 Dec. 1690 damnatas tertia: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Denzinger, Enchir. n. 1160.

II. Tutiorismus mitigatus, qui requirit, ut opinio libertati favens sit *probabilissima*.

III. Probabiliorismus (etiam tutiorismus mitigatus dictus), qui requirit, ut opinio favens libertati sit *probabilior* quam opposita.

IV. Aequiprobabilismus (seu probabilismus moderatus), qui requirit, ut opinio libertati favens sit aeque vel fere *aeque probabilis*, atque opposita (adde, in sensu S. Alphonsi; neque sit dubium facti de legis cessatione).

V. Probabilismus (absolutus), qui licitum declarat usum opinionis benignioris etiam minus probabilis, modo sit *vere probabilis*, sensu supra in assertionibus magis exposito.

VI. Laxismus, damnatus, qui licitum habet usum opinionis benignae etiam *tenuiter vel dubie probabilis*. Cfr. Denz. n. 1020 et 998.

Ex istis systematibus primum, et ultimum, quia damnata, eo etiam ipso ab omni discussione sunt exclusa. Ex reliquis, cum nostrum faciamus Probabilismum, isque minorem, quam alia systemata, probabilitatis comparativae gradum requirat, eum solum probasse sufficiet. Eo enim ipso maioris probabilitatis necessitas erit refutata.

PROBATUR PROBABILISMUS.

I. ARGUMENTUM INTRINSECUM.

61. **Lex ut vere existat, seu virtutem obligandi habeat, debet esse promulgata; ut existens virtutem obligandi de facto exerceat, debet esse nota.**

Propositio probatur ex natura tum legis tum libertatis, seu ex utriusque inter se relatione: « Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, qui regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem ». Ita S. Thomas, 1. 2. q. 90 a. 4 c. Cfr. S. Alph. Diss. a^{i}. 1755, Ed. Gaudé, n. 57; ubi

S. Dr. iisdem hisce S. Thomae verbis suum systema probare inchoat. Ubi adverte necessitatem promulgationis probari ex necessitate notitiae.

Duo itaque requiruntur:

1° Promulgatio legis ad hoc ut virtutem obligandi sibi propriam obtineat, seu *ut existat.*

2° Notitia seu scientia legis, eaque proprie dicta seu certa, ad hoc *ut existens etiam subiective obliget.* Applicatio enim legis non fit sola promulgatione, sed per hoc quod « in notitiam deducitur ».

Quod posterius idem S. Doctor clarius etiam, si opus sit, explicat et probat hoc modo: « Nec ex imperio alicuius regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam; unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.... Sicut (enim) in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus praeceptum non ligat nisi per scientiam ». De Verit. q. 17, a. 3 c. — Stat itaque propositio maior.

Atqui: quoties contra legem, seu pro libertate habetur opinio vere probabilis, tum lex vel non est promulgata vel saltem non certo cognita: idque etiamsi opinio opposita sit probabilior.

Ergo tum lex vel non existit, vel virtutem obligandi non exercet; cfr. n. 65 in fine.

Illud prius praecipue contingit in dubiis iuris et publicis; posterius hoc in dubiis privatis vel facti.

Quod autem hic dicitur de necessitate scientiae ipsius praecepti, dictum intelligatur de scientia eorum omnium, a quibus obligatio in actu secundo dependet. Valet enim eadem ratio, quippe quia horum omnium scientia requiritur, ut lex dici possit subiecto applicata. Quamquam quoad ea quorum, praeterquam ipsius legis vel praecepti, notitia requiritur, puta circumstantiarum personae subditi, loci vel temporis, haec notitia in praxi, propter ipsam harum circumstantiarum naturam, plerumque sufficere debet, ut sit late moraliter certa; id quod n. 44 ex eodem S. Thoma probavimus. — Alii tamen quoad haec, si dubium facti habetur, ut plerumque accidit, aliter ratiocinantur; alii aliter etiam sentiunt et resolvunt

ubi quaestio est *de cessatione* legis vel obligationis. Utrique hisce dubiis applicant principia praesumptionis et possessionis; sed cfr. dicenda de his n. 68 sqq. Ceterum hic observo: 1° sicut verum vero, ita etiam principium principio contradicere non potest. 2° Si doctrina in praecedentibus tradita de necessaria certitudine tum legis tum conscientiae, atque exinde de probabilismo, vera est, semper vera esse debet et veram exceptionem admittere non potest. Cfr. Bucceroni n. 120 sq.

II. ARGUMENTUM EXTRINSECUM SEU EX AUCTORITATE THEOLOGORUM ET IPSIUS ECCLESIAE.

62. S. Alphonsus, Moralistarum facile princeps, pro sua sententia « *licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum* » allegatis innumeris Auctoribus, pergit: « Nec valet dicere, sententiam benignam fuisse in Ecclesia omnino novam et prioribus [XVI°] saeculis inauditam.... Nam respondetur quod, licet haec doctrina ab antiquis numquam tradita fuerit in terminis,... attamen in substantia terminis aequivalentibus eam satis tradiderunt.... Nequit autem negari, quod spatio centum annorum circiter vel saltem usque ad mediatem saeculi XVII (ut contrarii fatentur) benigna sententia ab omnibus DD. recepta est ». — En doctrinae Theologorum testis, qui solus facit maximam auctoritatem.

Sed idem S. Doctor dein allegat auctoritatem Ecclesiae tolerantis et eo ipso tacite approbantis benignam sententiam; « Anne putabimus, Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo hoc errore tam pernicioso (ut adversarii clamitant) fideles undique decipi. *Dices:* Ecclesia non omnia approbat, quae non damnat, sed saepe ex prudentia tolerat. Respondetur, hoc concedi quoad aliquas opiniones particulares, sed non quoad alias, quae doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna, quae importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecta fuisset.... D. Thomas ad casum nostrum docet: « Quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum. Sed Ec-

clesia sustinet. Ergo non est periculum peccati mortalis ». « Clamant adversarii, ex benigna sententia ruinam fidelium emanare; ergo si Ecclesia eam sustinet, aut Ecclesia errat, aut, si tolerat, non adest peccati periculum (1) ».

Praetereundum hoc loco non est, ipsius S. Alphonsi auctoritati maximum robur accessisse tum 1° ex eius operum approbatione, tum 2° ex speciali S. Poenitentiarae responso: « Theologiae Professorem tuto posse sequi ac profiteri opiniones B. Alphonsi » ; tum 3° ex concessione tituli Doctoris Ecclesiae.

At, ne vel minime videamur abuti velle auctoritate tanti Doctoris, praetereundum neque est, dubitari de sensu latiori vel strictiori quo ipse S. Doctor, saltem extremo vitae suae tempore, suum systema intellexerit. Qua de re pauca postea. Quo respicientes hoc loco semel pro semper declaramus nostram, quando allegamus auctoritatem S. Alphonsi, intentionem non esse nisi eam allegandi in quantum nostra doctrina cum doctrina ipsius Sancti revera conveniat.

Porro cum praecedentibus argumentis tutiorismus mitigatus uterque a discussione in posterum sit exclusus, quaestio solum remanet inter ipsas probabilistas. Hinc iam ulterius inquiramus:

ARTICULUS IV.

DE SENSU SEU EXTENSIONE PROBABILISMI.

§ I. — *Dubia certo exclusa.*

Ut n. 57 dictum est, conscientia speculative dubia quandoque practice certo dictat, certitudine indirecta ex principio reflexo orta, aliquid non licere. Ideo n. 58 Ass. II dictum est: » per se loquendo et quantum est de honestate actionis ». Quibus verbis iam confuse indicantur dubia, de quibus doctrina probabilismi non intelligitur, quia nim. in iis conscientia practice certo dictat aliquid non licere. Quaenam sint haec dubia, et in quantum a probabilismo sint exclusa, indicat sequens:

63. **Assertio.** Quando habetur et practicari potest sententia certa vel probabilior practice, nunquam licet sequi opinionem speculative tantum vel mi-

(1) Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris. Edita anno 1755.

nus probabilem, quoties agitur non de sola honestate actionis respectu operantis, sed etiam de valore vel efficacia actionis ad aliquem effectum dubium cum periculo peccati vel gravis mali.

I. Numquam licet.... gravis mali. Haec verba indicant ipsa dubia exclusa. Itaque aliis verbis est

Regula generalis: « Excluditur usus opinionum probabilium, ubi adest periculum mali, quod a conscientia haud pendet, et vitare tenemur » (1): seu « quoties adest obligatio absoluta [certa] alicuius finis determinati obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret » (2). — Regulâ hoc modo propositâ simul indicatur

Ratio generalis exclusionis nim. obligatio certa. Sc. ut explicat Sporer n. 51: Valor vel efficacia actus respectu sui effectus non pendent directe et principaliter a dictamine nostrae rationis, sed aliunde ex propriis principiis; v. gr. valor Sacramentorum ad causandam gratiam ab institutione Christi per Ecclesiam tradita; efficacia medicinae ad conferendam sanitatem ex natura et qualitate rei applicatae; atque ad eiusmodi actus valide et cum effectu exercendos accedit distincta obligatio.

Regulae et rationes seu obligationes **speciales** petuntur ex religione, ex iustitia — quando ius alterius est certum — vel ex ordine seu bono publico servando. Quoties itaque huiusmodi obligatio certa tutius sequendi obstat opinioni probabili, haec probabilitas, esto speculativa maneat, practica esse nequit, seu in ordine ad honestatem actionis vel omissionis opinio non est vere probabilis, uti probabilismus requirit. — Saltem per se, i. e.:

II. Quando habetur et practicari potest sententia certa vel probabilior practice. Haec nim. verba indicant, in quantum dubia ista a probabilismo sint exclusa. Quando vero sententia *certa practicari nequit et necessitas urget,* utique recurrendum erit ad opiniones saltem speculative probabiles et tentandum, quantum tentari prudenter potest. Quod totum a circum-

(1) Konings I n. 59.
(2) Gury I n. 56.

stantiis pendet. Quare *extrema necessitate urgente opinio etiam dubie solum vel tenuiter probabilis*, quae alias numquam, tunc prudenter et tuto in praxim deducetur. Sic in casu extremae necessitatis, si aliud nihil occurrat nisi lixivium, cerevisia, etc. ad baptizandum, potes, imo debes ea adhibere. Pariter si aegrotus extreme laboret, ut certum vel verisimillimum sit eum esse moriturum, nisi aliquo remedio adiuvetur; si nihil aliud occurrat, poterit medicus adhibere quodcumque remedium, etsi minus securum, vel etiam dubium ne forte mortem acceleret, dummodo certo non constet esse mortiferum, et ipsius infirmi vel consanguineorum consensus accedat. Cfr. Sporer n. 51 sqq.

Quae hic de opinione speculative tantum, non practice, probabili dicta sunt, in haec omnes probabilistae consentiunt. Aliud est de sequentibus, et primo quidem

§ II. — *De opinione notabiliter seu certo minus probabili.*

Hic iam scinduntur, specie tenus saltem, probabilistae. Alii nim. licito usui opinionis benignae non obstare quod opposita pro lege sit probabilior, docent, quin distinguant, utrum haec sit paulo an notabiliter probabilior. Dici possent probabilistae puri; dicuntur ab adversariis *probabilistae* laxiores; utrum merito — appellatio enim ista quid odiosi insinuat — ipsi videant et probent. Alii vero docent non licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relicta notabiliter probabiliori pro lege. Dicuntur *aequi-probabilistae;* quo nomine eos in posterum distinguemus a prioribus, quos sine addito probabilistas vocabimus. Ut autem status quaestionis probe capiatur,

64. Notamus 1°. Probabilistae non distinguentes utrum opinio pro lege sit notabiliter an paulo probabilior quam opposita, requirunt tamen omnes, ut opinio benigna etiam comparata ad oppositam sit et maneat vere seu certe probabilis. Plerique hoc diserte exprimunt, alii clare supponunt.

2°. Aequi-probabilistis in hac materia verba notabiliter et certe practice fere idem significant. Ipsis namque fatentibus excessus probabilitatis non potest esse notabilis nisi sit certus, neque certus nisi sit notabilis. Praeterea iidem communiter hanc excessûs certitudinem intelligunt, non mere subiectivam seu opinantis propriam, sed magis obiectivam, ita ut de illo excessu vere constet, non vero mere solius opinantis personalis seu subiectiva persuasio de illo habeatur. Aliis verbis: requiritur ut opinio,

quae libertatem liget, *vere et absolute* sit, — non sufficit ut alicui videatur, — certo probabilior.

3°. Quod aequi-probabilistae opinionem minus probabilem, cui opponitur alia certo seu notabiliter probabilior, dicunt dubie vel tenuiter adeoque non satis probabilem: hoc ipsum duplici sensu accipi potest: vèl per modum rationis, vèl per modum facti. Aliis verbis: opinio dici potest dubie vel tenuiter probabilis vèl *ideo*, atque adeo semper, *quia* ei opponitur probabilior — qua talis, i. e. quae etsi probabilior tamen ad certitudinem moralem etiam latam non pertingit, — vèl *tunc solum quando* ei opponitur opinio probabilior tam notabiliter et certo, ut in eius comparatione alia prudenti cuique videri debeat amisisse veram seu solidam probabilitatem.

Porro si res solo posteriori sensu accipiatur, nullum reale discrimen inter probabilismum et aequi-probabilismum hoc respectu intercedit; secus vero si etiam priori sensu intelligatur. Iam vero ipsum S. Alphonsum suum, quem ultimo vitae suae tempore assumpsit, loquendi modum in solo posteriori sensu intellexisse, hoc non tantum probabilistae communiter pro certo habent, sed etiam inter ipsos aequi-probabilistas plurimi iique optimi atque praestantissimi doctrinae Alphonsianae interpretes hoc sensu S. Doctorem explicant, vel se hoc sensu ipsum intelligere satis ostendunt. Et merito. — Pauca observasse lubet: si S. Doctor reapse suam doctrinam mutavit, quare neque pro more suo doctrinam antea traditam retractavit, neque ipsum opus suum Morale, pluries adhuc ab eo ipso denuo editum, in sensum novae suae doctrinae mutavit? Hoc aliter sentientes explicent. Quod autem S. Doctor, non mutata doctrina, mutavit tamen loquendi modum, hoc commode explicari videtur per circumstantias, puta maxime quod Sanctus postquam, modo quo nemo ante vel post melius et efficacius, probabiliorismum refutavit atque probabilismum stabilivit, vitare debuit notam laxismi, seseque contra adversarios eum accusantes defendere. Adde, eos qui eo tempore generatim probabilistae audiebant, non omnes ita clare veri probabilismi doctrinam proposuisse, neque satis distinxisse opinionem vere, solide et practice probabilem ab opinione dubie, tenuiter vel speculative tantum probabili; ita ut tum probabilismus, qui dicebatur, comprehendere etiam laxismum videri merito posset: id quod ipse quoque S. Doctor observavit, atque qua motivum doctrinae aliter propositae allegavit(1). Brevi: quod S. Alphonsus cum veris probabilistis ad obligationem in conscientia exegerit veram certitudinem, hoc certum et clarum est; quod postea tenuerit sufficere opinionem probabiliorem qua talem, hoc valde dubium est, imo vix vel ne vix quidem credi potest.

Ut tamen probabilismus sit etiam contra aeque-probabilistas ab eo vere dissidentes vindicata, inquiramus, num revera opinio pro libertate ideo reddatur non satis probabilis, quia oppositam sibi habet probabiliorem: hic est enim cardo difficultatis et status quaestionis.

Palmare aequi-probabilistarum argumentum quasi ex ratione hoc est: 65.

(1) Quod autem hodiedum sunt, qui probabilismum cum laxismo confundant, hoc minus commode explicatur; hi aliter et minus clare quam suo iam tempore S. Doctor ipsam rem perspiciunt; sed iidem quoque saepius aërem verberant, dum probabilismum oppugnare sibi videntur.

Probabilitas maior ea sui parte, qua minori aequatur, hanc iam prorsus elidit, et detrudit ad locum dubii, quia si esset aequalis alteri, foret dubium. Igitur ea parte, quo minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit. Sed infra dubium iam habetur improbabilitas: ergo in hac collisione minor probabilitas ad improbabilitatem degenerat.

Ad quod observamus: 1° Hic confunduntur res plane diversae, sc. status mentis opinantis vel dubitantis, et motiva maiora vel minora, quae rem dubiam reddunt magis vel minus probabilem, et propter quae intellectus vèl manet in statu dubitantis, vèl transit ad statum opinantis. Quae confusio non minus obscuram quam illogicam reddit argumentationem; cfr. dictum ante n. 51. — 2° Dubio, si intelligatur de statu mentis, neque probabilitas neque improbabilitas opponitur. Dubium autem intellectum de statu rei sicut et probabilitas non existunt in indivisibili, sed plures gradus sunt dubii fundati et probabilitatis, qui tamen omnes manent infra certitudinem; cfr. n. 59, VI.

Quibus notatis, iam opus non erit ad singulas argumentationis partes distinctum dare responsum. Potius dicimus cum S. Alphonso: « Recte respondent Auctores nostri, falsum esse, maiorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis, vel non amplius graviter et certo probabilis habeatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur ». Diss. an. 1755, n. 13. Quae dicta magis etiam consonant philosophiae et quotidianae cuiusque experientiae, ex qua utraque constat probabilitatem unius partis non excludi sola maiori probabilitate, sed tantummodo certitudine saltem lata contrariae partis.

Praecedentibus a fortiori refutata est doctrina eorum, quibus ad obligationem sufficit subiectiva certitudo seu personalis persuasio de maiori probabilitate. Quod autem illi argumentantur ex lege aeterna, ut omnem humanam cognitionem antecedente, cfr. dicta de moralitate n. 24 sq. Ceterum eorum argumentatio quidem nova est, non argumentum. Idem alio modo propositum ut suae doctrinae obiectum saepius refert et refutat S.

Alphonsus, qui tandem sic concludit: « Pluries, esto lex probabilius videatur adesse, tamen probabilius erit eam non obligare, et ex eo formamus practicum iudicium moraliter certum de licito; quare non est idem facere contra conscientiam ac facere contra id, quod speculative verisimilius apparet. » Diss. cit.

Quod tandem dicunt ipsum S. Thomam verba: « notitiam » et « scientiam » sumere in sensu latiori, cfr. n. 61.; respondet S. Doct.: « Quod sub nomine scientiae intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio; dum philosophi omnes cum eodem S. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicuius veritatis.... Pariter dico: in omnibus vocabulariis « notitiam » pro eodem significare ac cognitionem; unde notitia legis idem est ac cognitio legis.... Quod S. Thomas dicendo mediante scientia intenderit loqui, non de dubio sive de dubia opinione, sed de vera scientia, constat ex contextu eiusdem articuli, dum ait: sicut in corporalibus etc. » Diss. an. 1785. Ed. Gaudé n. 74.

Tandem observo: tota haec controversia de opinione notabiliter seu certo minus probabili minoris est momenti, eo quod rarior est casus opinionis, quae absolute spectata prudenti viro probabilis appareat, et contra se habeat motivum certo seu notabiliter gravius. Aliud est.

§ III. — *De dubio facti circa cessationem legis eiusve obligationis; ubi de principiis praesumptionis et possessionis.*

Praenotanda. 1°. In quantum quaestio haec spectat sensum proba- 66.
bilismi, agitur hoc loco de dubio positivo, fundato, seu gravi ratione nixo. Est itaque haec inter hanc et praecedentem controversiam differentia, quod ibi negabatur ab aequiprobabilistis communiter contra paucissimos, probabilitas etiam speculativa; hic vero, probabilitate speculativa admissa, negant practicam seu sufficientiam ad conscientiam in favorem libertatis certo resolvendam.

2°. Dubium facti intelligitur de *existentia* facti, quod factum, si existit, extinguit legem vel eius obligationem (subiectivam, in actu secundo). Si enim dubitatur de *sufficientia* facti ad extinguendam obligationem, eo ipso dubitatur de sensu legis, adeoque est dubium iuris, consequenter a a probabilismo non exclusum. — Aliud tamen ob hanc ipsam rationem dicendum videtur in casu dubii de sufficientia facti, quod non recidit in dubium de sensulegis; puta, si dubitatur de sufficientia facti abrogationis, derogationis legis, dispensationis etc. Verum hoc parum ad hanc controversiam refert, cum huiusmodi dubia, etiam ab iis qui alia dubia facti a probabilismo excludunt, plerumque in favorem libertatis resolvuntur ex regula: in dubio factum praesumitur recte factum; vel: in dubio standum est pro valore actus.

Huiusmodi facta, quibus lex eiusve obligatio cessat, praecipue sunt: abrogatio vel derogatio, cessatio finis, consuetudo, lapsus temporis, dispensatio, privilegium, causa excusans, impletio legis.

3°. Quaestio haec non tam inter probabilistas hinc, et aequi-probabilistas illinc, quam potius inter omnes probabilistas seu anti-tutioristas movetur.

4°. Sunt etiam inter probabilistas, qui omnia dubia facti a probabilismo excludunt, at nihilominus ea in favorem libertatis resolvunt ex principio possessionis. Hoc ut patet, omnino nihil pro praxi refert.

5°. In sensu S. Alphonsi, Sporer aliorumque: quando pro existentia facti habetur coniectura unice probabilis, hinc oritur praesumptio adeoque certitudo moralis lata in favorem libertatis.

67. Quaestionis status hic itaque est, num in dubio positivo facti circa cessationem legis eiusve obligationis tuto resolvi conscientia possit in favorem libertatis, necne.

I. Negantes obstare dicunt principia praesumptionis et possessionis, sc.: In dubio standum est pro ea parte, pro qua stat praesumptio. — Possessio stat pro ea parte, pro qua stat praesumptio. — In dubio melior est conditio possidentis. *Ex regula autem iuris civilis:* In dubio factum non praesumitur, sed probari debet, iidem deducunt hanc *aliam regulam generalem:* in dubio illud possidet et praesumitur quod prius est, seu quod prius certum est; et *ex hac duplicem regulam specialem*, sc.: Regula 1ª: In dubio facti fundantis legem, vel circa tempus inchoandae obligationis possessio et praesumptio stant pro libertate. Econtra Regula 2ª: In dubio facti supponentis legem, vel circa tempus finiendi obligationem, possessio et praesumptio stant pro lege.

II. Affirmantes vel nituntur eodem principio possessionis vel tenent huic principio extra materiam institiae locum non esse.

Inquirendum itaque hic maxime est de dictis principiis; cfr. n. 76.

PUNCTUM I.

DE PRINCIPIO PRAESUMPTIONIS (1).

68. I. Definitur praesumptio: anticipata rei dubiae probatio, collecta ex argumentis et indiciis, quae per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Ita quoad rem communiter.

Generatim itaque fundatur communiter contingentibus, secundum illud: ex communiter contingentibus prudens fit praesumptio.

---

(1) Cfr. Reiffenstuel in L. II. Tit. XXIII, De Praesumptionibus.

Speciatim praecipua fundamenta sunt: 1° *Qualitates naturales;* quae nim. communiter inesse solent, eae praesumuntur adesse; sicut econtra ea, a quibus natura abhorret, praesumuntur non adesse. — 2° *Qualitates acquisitae,* ut quibus certum hominum genus praeditum esse solet. Sic etiam ex habituali cuiuspiam vita nota quandoque aliquid praesumitur factum vel non factum. — 3° *Tempus et locus,* ex quibus v. g. praesumitur quisque memor eorum, quae paulo ante gessit vel vidit. — 4° *Favor iuris.*

II. **Distinguitur** maxime praesumptio *iuris,* quae est in lege expressa; et *hominis,* quae prudenti hominis arbitrio concipitur.

Relate ad vim probandi praesumptio hominis subdividitur (missà temerarià) in vehementem seu violentam et probabilem, prout magis vel minus (absolute tamen) gravibus indiciis nititur. Prior facit certitudinem moralem saltem latam, altera probabilitatem.

III. **Effectus.** Praesumptio *iuris* et praesumptio *hominis vehemens* transferunt onus probandi contrarium in adversarium; seu pro veritate habetur, donec probetur contrarium. Quae tamen probatio contrarii in foro non admittitur contra praesumptionem *iuris et de iure.* Praesumptio *hominis* mere *probabilis* quid efficiat, prudenti hominis arbitrio relinquitur.

Ex dictis colligimus, ipsam praesumptionem non gratis sumendam esse, sed ex indiciis saltem verisimilibus.

Huc faciunt quaedam regulae ex iure, praesertim civili, desumptae; cfr. n. 77. Hoc loco dicemus solum de ea, cui praecipue innititur prior sententia, sc.:

Factum non praesumitur, sed probari debet.

Explicatur. Regula intelligitur de facto principali, quod in 69.
ius adducitur, et ex quo ius unius, obligatio alterius deducenda sunt; uti contractus initus, testamentum conditum, mors illius cuius haereditas est adeunda. Et significat tale factum per se non habere praesumptionem pro se, sed probandum esse argumentis positivis, iisque certis saltem in foro, quia ibi probatio dubia nihil efficit.

Pro foro autem maxime interno, quod quidem generatim, sc. nisi quid obstet, cum foro externo concordare debet,

Notandum 1°. Regula patitur exceptiones: Idque practice omnes, etiam patroni prioris sententiae, concedunt. V. gr.: Si quis habitualiter satis diligens in examinanda conscientia et sincerus in confitendo dubium concipiat de facta confessione peccati ante multum temporis commissi, secundum omnes praesumere potest factum confessionis. Et sic in similibus. Quinimo huiusmodi exceptio omnino conformis est ipsi regulae praesumptionis: *ex communiter contingentibus prudens fit iudicium.*

Notandum 2°. Quanta probatio facti principalis pro foro interno requiratur, neque haec neque ulla regula iuris dicit, sed ex principiis certis theologiae pro variis casibus et circumstantiis deducendum est. Et hic maxime hoc cavendum est: ne incerta certis substituantur. Cfr. n. 42 sqq.

70. Deducimus ex dictis, contra opinionem (tum hic tum n. 54. II. 2°) negantem, seu resolventem pro obligatione:

I. Quoad dubia facti negativa: nimis generaliter et absolute dici, dubia facti praesumptione esse solvenda. Potius dicendum erat, si pro neutra parte directum motivum habeatur, videndum num detur praesumptio pro alterutra et pro utra parte; cfr. n. 68.

II. Incerta est illa regula: in dubio illud possidet et praesumitur, quod prius, seu quod prius certum est; et explicatione eget atque sana applicatione, ne principiis certissimis contradicatur; cfr. praeter iam dicta, dicenda de principio possessionis. Hoc loco notamus:

1°. In dubio negativo et stricto saepe, maxime circa facta minus proprie sic dicta, puta circa tempus vel locum, nihil praesumitur vel praesumi potest; secus enim iam eo ipso tale non esset. — Ponamus casum; nocte inter diem vigiliae, adeoque ieiunii, et diem festi expergefactus vis comedere, sed dubius haeres circa horam, nec datur medium certitudinem vel probabilitatem acquirendi. Alius casus: duo eiusdem dioecesis, in qua est dies abstinentiae, subditi, unus ex propria, alter ex vicina dioecesi digressi sese obvios habent eo loci ubi neuter scit, in utra dioecesi sint. Tales casus resolvere dicendo praesumi illud, quod prius certum erat, est gratuita assertio, non probatio. An forte in posteriori casu

eodem loco unus praesumitur esse in hac, alter in alia dioecesi? Quoad priorem vero casum, si idem nocte praecedente contigisset, adversarii ex eodem principio contrarium resolverent. Sed nonne inde liquet, totam illam certitudinem, quasi ex praesumptione, in huiusmodi casibus non esse nisi meram fictionem? Potius idcirco dicimus, in huiusmodi casibus certitudinem practicam indirecte acquiri ratiocinando hoc modo: obligatio incerta est obligatio nulla; atqui obligatio in casu est incerta; pendet enim a tempore et loco, sed haec ipsa incerta sunt; ergo.

2°. Aliud plerumque est in dubiis de factis proprie dictis, de quibus valet regula iuris; ut si agitur de promulgatione vel abrogatione legis vel de impletione obligationis. Talia enim facta, si nulla eorum memoria habetur, generatim merito potius creduntur non posita. Verum pro his et pro omnibus casibus, quibus contra id, quod prius certum erat, gravis quidem sed non convincens ratio sive ex praesumptione sive ex quocumque alio capite habetur, notamus, atque ex supra dictis deducimus:

III. Quoad dubia facti positiva: immerito supponitur semper requiri argumentum certum contra id quod prius certum erat. Hoc quidem communiter, tutioristis exclusis, admittunt, quando prius libertas certa erat; secus vero in contraria hypothesi. Auctores autem illius sententiae probare, non supponere deberent. Neque iidem conquerantur, si alii in dubio, omnibus paribus, libertati magis quam legi faveant, ac si aequitatis iura laederent. Huius enim rei ratio est, quod omni lege naturâ prior est libertas. Cfr. n. 69.

PUNCTUM II.

DE PRINCIPIO POSSESSIONIS.

71. Ut n. 67 insinuatum est, duae hic quaestiones sunt distinguendae:

Quaestio I: Num principium possessionis extra materiam iustitiae usu veniat? — Quod si affirmatur, oritur

Quaestio II: Quomodo est applicandum? Seu: Utri, legi an libertati, favet?

Resp. ad Quaest. I. Quamvis hoc principium in iure, tum Canonico tum Romano, expresse solum applicetur materiae iustitiae; quamvis etiam inter materiam iustitiae et materiam aliarum virtutum revera aliqua intercedat disparitas, quod nim. dubium de aliquo iure stricto non tantum est dubium inter libertatem et obligationem iustitiae, seu inter ius subditi et ius legislatoris, sed insuper inter duos ipsos eidem legi subditos, inter quos nempe dubitatur, utri a parte rei ius competat — quae sunt argumenta negantium —

Affirmandum tamen est cum communi, quia et in quantum inter virtutem iustitiae et omnes alias virtutes existit nihilominus paritas, imo nexus quidam, quo aliae virtutes omnes aliquid participant virtutis iustitiae. Quod optime explicat Sanchez (1): « Possessio est titulus universalis omnibus virtutibus, eo modo, quo aliqua pars potentialis iustitiae, ut obedientia Dei, transcendit omnes virtutes ». « Etenim » — ita verba citata Sanchez explicat S. Alphonsus (2) — « quum essentia iustitiae sit unicuique ius suum tribuere, hoc omni virtuti competit; prout religio tribuit suum ius Deo, caritas proximo, temperantia sibi ipsi, et sic de aliis, et ideo merito dicitur, quod ratio iustitiae sit omnium virtutum pars potentialis, sive generica, in qua ceterae virtutes inter se conveniunt. Quare, si contra iustitiam [stricte dictam] est privare in dubio possidentem iure suo, pariter contra iustitiam [generice sumptam] est in dubio legis hominem sua possessa libertate spoliare ».

72. Resp. ad Quaest. II, scil.: Quomodo applicandum principium possessionis in dubio facti (positivo: intelligitur in hac controversia; magis generatim autem sumitur extra hanc controversiam, cfr. n. 54) circa cessationem legis vel eius obligationis?

Una sententia. Plures, inter quos S. Alphonsus cum suis, Sporer, aliique, sumunt legem vel obligationem possidere, eo quod ante ortum dubium erant certae; ac inde concludunt legem obligare vel obligationem urgere; cfr. n. 67.

---

(1) Dec. l. 1, c. 10, n. 11.

(2) Diss. cit.

Alia sententia. Alii, quibuscum sentimus, possessionem legi vel obligationi non favere dicunt, nisi in quantum et quamdiu ex earum parte stet praesumptio, i. e. praesumpta certitudo, vi cuius onus probandi contrarium reiicitur in libertatem. Hinc si ponitur oriri dubium, quum lex eiusve obligatio eousque fuit et mansit certa, haec utitur iure suo, seu privilegio possessionis, reiiciendo onus probandi in libertatem. Quo facto si ponitur stare et perseverare dubium positivum, lex eiusve obligatio, iam usa est suo privilegio; libertas vero suis argumentis legem eiusve obligationem privavit sua certitudine, consequenter privilegio possessionis in futurum. Aliis verbis: cum in dubio positivo certitudo pro lege vel obligatione aeque deficiat ac pro libertate, principium possessionis favere docent libertati, ut quae, esto non directe certum ius, tamen ipsam actionem ponendam vel omittendam quasi possideat. Probatur ex paritate, qualis existit inter possessionem proprie dictam, de qua in materia iustitiae, et possessionem improprie dictam, de qua in materia aliarum virtutum et proin in hac controversia agitur. Quae paritas, omnibus fatentibus, est ratio, cur principium possessionis sit applicandum.

Explicamus distinguendo inter ipsam actionem po- 73.
nendam vel omittendam, et ius in eiusdem actionis positionem vel omissionem; sicut etiam in materia iustitiae distinguitur inter ipsam rem possessam, et ius in eamdem rem. Itaque

In materia iustitiae, ut principium possessionis usu veniat,

I. Certa supponuntur 1° *res propter quam* lis movetur, puta agrum; 2° *possessio* huius rei bona fide incepta ab alterutro litigantium, puta a Petro, 3° *duo litigantes* quorum unus, Petrus, est possessor et quasi reus a quo ager petitur ab altero, puta a Paulo, qui alter est non-possessor et actor.

II. Solum dubium supponitur ius directum, puta dominii in agrum. Et de hoc iure litigatur, non de reliquis.

Quo dubio oriente, de hoc iure inquiritur, argumenta afferente Paulo, ut actore. Dubio perseverante, res propter quam lis mota est, adiudicatur Petro, ut possessori.

Extra materiam iustitiae litigantes dicuntur hinc lex

eiusve obligatio, illinc libertas: id quod, etsi minus proprie dictum, dari tamen potest. Iamvero:

Ad I. 1m, *res, propter quam* lis movetur, est actio ponenda vel omittenda. Sed ad 2m, *huius rei* possessio non est vèl apud unam vèl apud alteram litigantium partem, ast semper apud libertatem. En iam disparitas; vi cuius tum ipsa illa actio vere dici non potest res possessa pro applicatione principii possessionis in sensu adversariorum; tum vero ex parte legis semper requiritur ius, ut certum probatum, in actionem. Dein ad 3m, litigantes non sunt duo homines, sed unus idemque homo est, qui dubius haeret inter legem eiusve obligationem ex una parte, et libertatem suam ex altera parte. Et hoc sensu, secundum ipsos adversarios, modo lex, modo libertas dicuntur possidere, prout alterutra supponitur certa usque ad ortum dubium. Ipsis itaque adversariis consentientibus, res possessa non est nisi ipsa certitudo, dubio praevia.

Ad II. Dubium supponitur ius directum legis vel libertatis in actionis positionem vel omissionem a libertate.

Primo itaque inquiritur vis dubii orti, in qua lite pars, quae, abstrahendo a dubio exorto, certa est (quam, in hac controversia, cum adversariis ponimus esse legem), vi possessionis reiicit onus probandi in alteram partem (libertatem). Iam sequamur huius litis processum, et varium pro variis circumstantiis exitum. Itaque

1°. Quodsi libertas ne probabile quidem argumentum affert, seu in casu dubii negativi ex parte libertatis, lex manet in possessione, quia remanet certa, eique adiudicatur res propter quam lis est mota: actio ponenda vel omittenda; cfr. n. 54, I.

2°. Si libertas probabile affert argumentum, lex, aeque ac in praecedenti casu, iam usa est suo privilegio ex possessione. Sed in hoc casu, nim. dubii positivi, lex non retinet possessionem, quia iam deficit ipsa res possessa, sc. certitudo; consequenter res, propter quam litigabatur, non ei adiudicatur, sed libertati, utpote quae huius rei respectu semper est possessor; cfr. n. 61.

3°. Quodsi forte libertas suam partem seu factum, quo lex cessat, certo probaret, eoipso iam prorsus actum foret, non tantum de possessione, sed de ipso possessore, i. e. iam ipsa lex eiusve obligatio ne existeret quidem.

Conclusio. Hisce consonat posterior, non prior, ex sententiis supra n. pr. expositis. Eademque praeterea confirmatur ex eo, quod principium possessionis sic intellectum non contradicit aliis in hoc Tractatu probatis, nominatim principio: lex dubia non obligat. Verum inter adversarios sunt, qui etiam hoc posterius principium, ut cum sua doctrina concilient, aliter interpretantur, nim. de lege circa quam intellectus est et manet in statu dubitantis. Atvero dicendum, in isto principio verba « lex dubia », intelligenda esse et intellecta a praecipuis AA., maxime a S. Thoma, semper fuere de statu dubio seu incerto rei, i. e. legis, non vero de statu mentis dubitantis. Et revera: quod lex dubia non obligat, hoc non ideo est, quia intellectus manet in statu dubitantis, sed quia ipsa lex est dubia.

Neque dicant adversarii sensum, quo nos principium 74.
possessionis explicavimus et applicamus, non esse satis certo probatum. — *Nam responderi potest:* 1° Ipsis adversariis incumbit onus probandi suum sensum esse certum. Ipsi enim egent principio — in eorum sensu — *certo* ad formandum dictamen (indirecte) certum de obligatione, quod certum dictamen certissime requiritur. Quare si hoc non praestent, ipse defectus certitudinis ducit ad conclusionem indirecte certam pro non existente obligatione. Nec facile hoc praestabunt, obstante, praeter allata ex ratione, auctoritate. *Etenim responderi potest:* 2° Eodem, quo nos, sensu plerique Theologi hoc principium accipiunt et applicant. A citandis AA., quia nimis longum foret, abstinemus; sed asserti testis est inter recentes *Lehmkuhl:* « Ita saltem innumeri scriptores » hoc principium intelligunt et urgent (1). Testis est *Lugo* loquens de casu aliquo particulari: « Communiter docent omnes [aliquem] non teneri ad confitendum [peccatum], quod probabiliter iudicat se confessum iam fuisse, quia sequitur iudicium probabile (2) ». Testis imo est *ipse S. Alphonsus:* « Si quis probabiliter iudicet implevisse votum sive poenitentiam aut officium et similia, ad nil aliud tenetur,... quia, cum obligatio legis est dubia, fit dubia

(1) Theol. Mor. I, n. 108.
(2) De Poen. Disp. 16, n. 58.

etiam possessio legis. Ita communiter (1)». Hanc quidem resolutionem quatenus *suam* retractavit S. Doctor, sed non retractavit quod dixerat, eam resolutionem esse *communem*.

75. Conclusio brevis seu sensus Probabilismi ex articulis III et IV praecedentibus hic est: *In omnibus rebus dubiis, sive dubio iuris sive dubio facti, licet sequi opinionem benignam, etiam minus probabilem, modo* 1° *haec sit vere, etiam comparative, probabilis, et* 2° *ne obstet obligatio certa vitandi mali, quod a conscientia non pendet.*

SCHOLION I.

De nonnullis aliis regulis dubio solvendo inservientibus.

76. Praeter principia praesumptionis et possessionis tradi hoc loco solent ab Auctoribus quaedam aliae regulae speciales secundum quas in dubiis conscientia possit vel debeat efformari. Verum ut rectum de istarum regularum, sicut de illorum principiorum valore iudicium feratur, praevie observamus cum Waffelaert: « Effata ista moralistarum, quorum iam aliqua obvia habuimus, quaedam axiomata sunt et adagia, ipsius sanae rationis dictamina, quibus in discussione et resolutione dubiorum utimur tamquam certis et stabilitis fundamentis. Hoc tamen valde cavendum est, ne credatur simplex eorum enuntiatio sufficere, sicut multi in libris suis videntur credere, ad rem probandam. Non enim constituunt demonstrationem rectae operationis et solutionis dubii in aliquo casu, sed ipsa explicatione indigent; vel si vere axiomata sint, discreta saltem indigent applicatione. Et haec praecise explicatio et applicatio demonstratio erit rectae solutionis. Unde potius, supposita demonstratione, quomodo aliquod dubium solvatur, ea principia resumunt, et brevi formula repraesentant ipsam demonstrationem; haec autem illa explicat et applicat, et iisdem sic determinatis utitur ut principiis. Eadem itaque determinatione et explicatione posita, possunt etiam alicuius seriei similium dubiorum solvendorum commune principium exhibere. Si vero simpliciter enuntientur, nihil demonstrant, et tantum gignendae confusioni inserviunt ». (2)

Observamus praeterea ex supradictis de principiis praesumptionis et possessionis: 1° Haec duo principia saepius, maxime in dubiis negativis, in idem redeunt. — 2° Principium praesumptionis potius servit dubiis negativis solvendis, iisque late dictis seu ex una parte tantum; principium possessionis dubiis positivis. — 3° Ad eadem principia aliae regulae facile reduci possunt.

Cum itaque in praecedentibus dixerimus et probaverimus, quomodo dubia sive negativa sive positiva, sive iuris sive facti, solvenda sint, regulae istae accipiendae et explicandae sunt ita ut dictis et probatis non contradicant.

En itaque praecipuae regulae:

(1) Lib. I, n. 76 edit. an. 1757.

(2) *De dubio solvendo* n. 212.

I. « Videndum est, cui incumbat onus probandi ». 77. Sc. pars, pro qua stat certa praesumptio vel possessio reiicit onus probandi in alteram partem. At quanta probatio requiratur ut praesumptio vel possessio cesset, regula non dicit.

II. « Obligationi certae non satisfit per impletionem dubiam ».

In materia iustitiae regula sonat: « Debito certo non satisfit per solutionem incertam »; et imprimis significat debito certo deberi solutionem certe aequivalentem.

Extra materiam iustitiae regula non intelligitur de casu impletionis probabiliter sufficientis seu in dubio iuris; in dubio *positivo* facti superveniente haec regula applicatur vel non applicatur ut dictum est de principio possessionis, cuius est deductio.

III. « In dubiis iudicandum est ex ordinarie contingentibus » seu: « Ex communiter contingentibus prudens fit iudicium »; idque vel probabile vel etiam late moraliter certum. Sc.: quae communiter contingunt, vel ordinarie adsunt, constituunt praecipuum fundamentum praesumptionis.

IV. « Factum non praesumitur, sed probandum est ». Intelligitur de facto *principali* de quo quaeritur. Cfr. n. 68 sqq. In actionibus criminalibus dicitur: « Nemo praesumitur malus, donec probetur ». Contra

V. « Quod de iure faciendum erat, in dubio factum seu recte factum esse praesumitur ». Intelligitur de *accessoriis,* et nititur praesumptione.

Si quaeritur de actibus iuridicis, ut maxime contractibus, inde deducitur regula: « In dubio standum est pro valore actus ».

Cavendum autem est, ne regulae istae contra libertatem applicentur, nisi de vinculo seu obligatione saltem indirecta certitudine revera constet; quod quidem accidere potest, quum ordo seu bonum publicum periclitatur.

VI. « In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda » i. e. benigniora sunt praeferenda.

Secundum communiorem interpretationem haec statuenda videntur:

1° quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda, et favores ampliandi quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur.

2° Si odia et favores sunt indivisibilia, tunc de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subiecta materia, aut ex adnexis circumstantiis iudicandum est.

3° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. S. Lig. L. I. n. 99.

Odiosum autem hic intelligitur quidquid tendit ad poenam, vel laedit ius tertii, aut iuri communi opponitur.

Favor vero, seu favorabile, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine privatorum, aut communitatis, aut iuris ipsius detrimento. Gury-Ball. I n. 76.

VII. «In obscuris, quod minimum est, tenendum». Spectat odiosa.

VIII. «In dubio pars tutior sequenda est». Intelligitur de casibus quibus pars opposita non est tuta; restringitur itaque ad casus dubii practici et eos, qui a probabilismo sunt exclusi.

SCHOLION II.

De Probabilitate extrinseca.

78. I. **Probabilitas extrinseca** seu auctoritas Doctorum se sola formaliter non fundat opinionem probabilem practice, sed solum vel concomitanter, vel praesumptive.

Concomitanter, i. e. simul cum rationibus allatis, quas quis examinavit, atque probabiles esse iudicavit. Auctoritas enim Doctorum adiuncta rationi multam habet energiam ad firmandam opinionem et conscientiam probabilem.

Praesumptive, sc. cum de veritate vel falsitate non constat, ipsa auctoritas Doctorum facit praesumptionem pro probabilitate, quia praesumere debemus tot graves Auctores non esse hallucinatos, sed rationes melius penetrasse, quam nos capiamus. Probabilia sunt, ait Aristoteles, quae videntur omnibus aut pluribus, aut sapientibus, et his vel omnibus vel pluribus vel spectatissimis.

II. Opinio communis cuilibet tuto sequenda in praxi: quia auctoritas multorum Doctorum reddit opinionem probabilem, ideoque tuto sequendam in praxi praesumptive, ut iam explicatum est. — Ceterum opinio communis tuto in praxi sequenda censeri debet, non quae a pluribus solo numero, sed quae a probatioribus numero competenti, arbitrio boni viri, ex professo defenditur, ut si *sex vel septem* Doctores *graves* aliquam opinionem *ex instituto* doceant; imo *quinque* sufficere, ait Filliuccius. Qua ratione quandoque oppositarum opinionum utraque recte dicetur probabilis. At pauciores quinque vel quatuor contra communem aliorum sententiam, per se loquendo, et ratione solius auctoritatis suae non reddunt opinionem probabilem praesumptive. Seu

III. A communi opinione in praxi non est recedendum. Verum est *ceteris paribus,* quum quis solam auctoritatem Doctorum pro motivo praesumptive opinandi habet, et aliunde non est motivum vel ratio recedendi. *Idque ordinarie consultum,* non tamen semper necessarium est.

Etenim vir doctus licite potest recedere a communi aliorum sententia, inspectis et diligenter consideratis ac solutis eius fundamentis, et amplecti opinionem singularem, quae sibi non levi motivo probabilis videtur.

Quinimmo si Doctor gravis etiam unicus rationes et argumenta communis opinionis sufficienter diluat, ac insuper novas rationes, decreta aliave motiva ab aliis Doctoribus non animadversa afferat, tunc omnino reddet opinionem suam singularem probabilem *quibusvis,* et tuto sequendam in praxi, etiam viro docto.

Indoctus vero et simplex licite sequitur opinionem singularem unius periti et probi Doctoris, quamvis alios communiter oppositum tenere, nec rationes in oppositum solvere sciat; quia nim. autoritas viri docti et probi est sufficiens motivum homini illitterato et simplici ad formandum prudens iudicium, maxime si sit superior, confessarius, praeceptor, quem scio debere mei curam gerere. Semper enim discipulus licite et tuto sequitur opinionem sui magistri in scholis traditam, quem peritum et timoratum virum iudicat.

Quin etiam in casu, quo quis in re quapiam non potest investigare veritatem, et tamen necessario ad operandum resolvere

se debet in alterutram partem, poterit in praxi secure sequi opinionem illam, quam meminit in aliquo probato et classico auctore legisse, vel a viro docto et probo audivisse, modo non constet evidenter esse falsam vel improbabilem. Sporer n. 38 sqq.

79. I. Ut dictum est n. 58, suppositis supponendis, licet sequi opinionem probabilem etiam contra propriam opinionem probabiliorem et tutiorem visam; adde, etiamsi quis rationem insolubilem pro ea se habere credat. Ratio est: quia haec non impediunt, quominus oppositam sententiam aliorum auctorum, extrinsece saltem, censeat vere probabilem practice et tuto sequendam in praxi, suasque rationes ab aliis esse solubiles vel solutas, etsi ipsi solutio non occurrat.

Unde recte inferunt Vasquez aliique, virum doctum alteri consilium petenti consulere posse, non tantum ex propria opinione, quam ipse ut probabiliorem et tutiorem tenet, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia. Addit Layman: etiamsi Doctor ille oppositam aliorum sententiam omnino improbabilem vel falsam iudicet, eamque ipse in praxi sequi non possit, posse tamen consilium petenti significare, talem opinionem ab aliquibus viris doctis et gravibus defendi, quam proinde ipsi sequi liceat: cum enim consulens in re dubia ius habeat se conformandi opinioni, quae a viris doctis ut probabilis defenditur, praesumendo quod rationabili fundamento nitantur, non obstante quod alii contradicant, poterit doctus consultus hoc ipsum ius consulenti significare.

II. Dictum est l. c.: Et quandoque etiam debet, seu tenetur quis sequi opinionem minus probabilem vel minus tutam *etiam contra propriam*. Ratio est: quia quilibet tenetur satisfacere suae obligationi, quum id sine peccato praestare potest; sed potest contingere, quod quis obligetur satisfacere suo officio non obstante opinione minus probabili et minus tuta secundum ejus judicium; ergo cum talem opinionem sine peccato sequi possit, ut probatum est, etiam sequi tenetur.

Maior est certa. *Minor* constat maxime

1. De Subdito. Superiori praecipienti secundum sententiam vere probabilem ac tutam circa materiam praeceptam vel potestatem praecipiendi, omnino tenetur subditus obedire, etiam contra

propriam opinionem speculative quantumvis probabiliorem ac tutiorem visam. Ratio est: quia in materia cadente sub potestate superioris, quidquid subditus licite agere potest, praecipiente superiore etiam debet. Atqui. Ergo.

2. De Confessario. Confessarius in iudicio sacramentali, etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem et tutam visam tenetur se conformare opinioni probabili et tutae poenitentis, quae scilicet cum bona fide nititur ratione alicuius momenti vel auctoritate gravi; talemque opinionem secutum vel sequi volentem, etsi confessarius oppositam sententiam omnino praeferat, tamen potest et tenetur ipsum absolvere. Ratio est: quia cuiuslibet iudicis officium et obligatio est ferre sententiam secundum allegata et probata ab actoribus et defensoribus; atqui in hoc iudicio sacramentali solus ipse poenitens est accusator, advocatus et testis tam pro se quam contra se. Ergo si poenitens allegat opinionem vere probabilem et tutam pro se et operatione sua, tenebitur Confessarius se ei conformare et secundum illam ferre sententiam. Poenitens enim non peccat sequendo opinionem vere probabilem, nec consequenter tenetur Confessario subiicere opiniones suas probabiles, neque quoad hoc ei Confessarius tamquam subdito quidquam praecipere potest.

III. Confessarius vero ut doctor, pastor et medicus spiritualis poenitentis, in consiliis dandis de futuro, inter opiniones oppositas probabiles debet semper illam consulere, quae utilitati spirituali poenitentis magis deservit, etiamsi contra suam propriam opinionem. Ratio patet ex dictis. Sporer n. 44 sqq.

SCHOLION III.

Quaestio: An in formanda conscientia probabili quis pro libitu possit variare, modo hanc, modo illam opinionem probabilem de eadem re sequendo? 80.

Resp. Id quidem licet, quum res manet integra, ut ex variatione opinionis nulla lex, nullius ius violatum maneat: non vero licet, quum res non manet integra, sed ex variatione opinionis vel ex opinionum coniunctione necessario aliqua lex,

aliquod ius tertii violatum manet, quamvis nesciatur utra lex, vel utrum ius.

Sume v. gr. testamentum informe probabiliter esse validum, probabiliter etiam invalidum. Nihil obstat quominus *duorum* testamentorum unum pro valido, alterum pro invalido habeas, prout valor vel nullitas cedit in tuum favorem. Sed non potes *idem* testamentum informe simul validum et invalidum habere, puta hereditatem accipiendo sed legata exequi recusando. — Pariter si propter discrepantiam horologiorum dubitas, utrum hora duodecima noctis transierit necne, potes quidem comedere cum intentione mane celebrandi; sed si hoc contingat nocte inter feriam VI et sabbatum, non potes sumere carnem cum eadem intentione. Aliud foret, si pro certo habuisses sabbatum inchoasse et ideo carnem sumpsisses non intendens mane celebrare; et post, audito alio horologio, positive dubitares. Cfr. Sporer n. 33.

CAPUT QUARTUM.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA. (1)

81. **Conscientia scrupulosa** seu scrupulus est inani ratione nixa apprehensio, indeque natus timor et anxietas mentis, alicubi peccatum esse vel fuisse, ubi revera nihil est.

I. Est inani ratione nixa. Ex quo capite tripliciter potest fieri scrupulus.

1° *Cum iudicio determinato,* aliquid *esse peccatum,* quod revera non est: quod iudicium falsum, quatenus ex inani motivo procedit animumque affligit et anxiat, potest sane dici scrupulus vel conscientia scrupulosa *late* loquendo; proprie vero est conscientia erronea vincibilis; cfr. n. 47, II.

2° *Cum vero dubio practico,* sitne hoc peccatum necne, ex inani motivo, suspicando forte esse peccatum, absque ullo determinato iudicio, quod sit vel non sit peccatum, et sic rursus est

(1) Sporer n. 100 sqq.

scrupulus *late* sumptus, proprie autem est dubium vel conscientia dubia.

3° *Proprie* fit scrupulus, dum habito vel sufficienter proposito, et in confuso saltem *retento iudicio determinato*, aliquid *non esse peccatum*, sola ex levi motivo apprehensione peccati mens anxiatur et timet, forte esse peccatum. Et hinc dicitur

II. Inani ratione nixa apprehensio. Scrupulus enim vel conscientia scrupulosa proprie dicenda est, quando intellectus neque determinate iudicat neque dubitat practice, aliquid esse peccatum, sed potius habito et retento iudicio non esse peccatum, sola apprehensione vel suspicione mali ex inani motivo titubat, fluctuat, anxie formidat esse vel fuisse peccatum; v. gr. forte se consensisse tali suggestioni, vel se hic et nunc peccare hoc vel illud faciendo aut omittendo.

III. Indeque natus timor seu anxietas mentis. Quamvis enim secundum omnes conscientia scrupulosa seu scrupulus formaliter et *principaliter consistat in actu intellectus* modo explicato; non tamen in eo sistit, sed complete consistit in tali intellectus apprehensione, suspicione, vacillatione seu titubatione alicubi peccatum esse, quatenus *simul in voluntate* causat et coniunctum habet metum, formidinem, anxietatem de eodem peccato. Unde scrupulus adaequate sumptus spectat ad utramque potentiam, intellectum scilicet et voluntatem.

Assertio. Quilibet licite potest et tenetur saepe operari contra conscientiam scrupulosam seu scrupulum proprie dictum, etiam immediate et directe; mediate vero solum contra scrupulum late sumptum, nimirum deposito prius scrupuloso iudicio vel dubio practico, quod liceat ita operari. 82.

Ratio 1ae *partis* « *Potest* » patet ex definitione et ex dictis de dubio negativo. — « *Tenetur saepe* », nempe ad liberandum se a periculis et molestiis scrupulorum, quas ordinarie experiuntur scrupulosi, uti sunt anxietates perpetuae, taedia rerum spiritualium, pericula desperationis vel amentiae, etc.

Ratio 2ae *partis* « *Mediate vero etc.* » : patet ex dictis de conscientia erronea et dubia.

83 I. Remedium generale scrupulorum. Efficacissimum et fere unicum contra scrupulos remedium est, ut scrupulosus iudicio ac consilio docti et experti confessarii vel directoris sui, non obstantibus quibuscumque motibus et trepidantis rationis suae argumentis, omnino se subiiciat et acquiescat; iudicium ac operationem suam audacter conformet, fortiter agat ac velut agonizet contra scrupulos suos, donec tandem subsidant et cessent. Et postquam scrupulosus unius confessarii vel boni viri responsum vel exemplum accepit, non debet alios consulere, ne animum assuescat ad anxietates inutiles diutius fovendas. Unde et

II. Confessarius scrupulosi curam gerens

1° *ante omnia exigat promissionem firmam* suis consiliis acquiescendi et obtemperandi.

2° *Doceat, certitudinem moralem requiri* ad actiones humanas praesertim peccaminosas; unde numquam iudicandum, aliquid esse peccatum mortale, aut se in peccatum consensisse nisi id certo constet; sententias item benigniores, dummodo probabiles iudicet, proponat secundum dicta n. 79, III.

3° *Non permittat confessiones repetere,* nisi afferat defectum, de quo quasi iurare possit poenitens: esto enim fuisset aliquis defectus, non tamen teneretur cum tanto suo damno omnimodam confessionis integritatem procurare, cum ab ea minores interdum difficultates excusent.

4° *Doceat scrupulosum sentire de Domino in bonitate,* neque existimare Eum legislatorem tam rigidum et durum, ut bonae voluntatis hominibus peccata adscribat et poenas decernat, nisi certo se reos sciant; neque Deum vel Ecclesiam suis praeceptis efficere velle, ut homo in tantas anxietates et denique in stultitiam vel desperationem cadat, quod scrupulosis denique contingit. Sed contra haec est

III. Scrupulus generalis scrupulosorum. Aiunt: Si morti proximus essem, non auderem cum hoc scrupulo saltem non confessus excedere, et coram iudice severissimo comparere.

Resp. 1° in illo articulo multa faceret homo, quae non essent necessaria, nec expediret facere in tota vita, quia cogerent infatuari aut desperare. — 2° Etiam in illo articulo consultius est

scrupulosis, ut scrupulos contemnant, quos scilicet neque iudex iustus iudicaturus est.

Ultra conscientiam scrupulosam aliam assignant dictam *fatuam* vel hypochondriacam, et nihil aliud est, quam fatuitas mentis et delirium partiale ex pravo humore vel alia mala dispositione cerebri proveniens, qua homo in fatuos discursus et actiones prorumpit. Exempla nimis nota: verum haec ex Theologia ableganda ad scholas medicorum.

TRACTATUS III.

DE LEGE.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO, DIVISIO ET CONDITIONES.

84. **Definitur** lex a S. Thoma (1): Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.

Ordinatio si latiori sensu sumatur, ut significet etiam *consilium* (faciendi vel non faciendi aliquid) habes legem ut universalem morum regulam; si sensu strictiori intelligatur de *voluntate obligante,* habes legem ut regulam morum quoad ea quae necessario fieri vel omitti debent. Posteriori sensu plerumque sumitur.

Rationis: huius enim est ordinare ad finem; sc.

Ad bonum commune. Indicatur etiam hominem per legem ordinari ut partem ad communitatem.

Ab eo qui curam habet communitatis. Quia ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis vel alicuius gerentis vicem totius multitudinis.

Promulgata, ut regula morum esse, seu obligare possit. Cfr. n. 61.

85. **Divisiones.** Omnium aliarum legum fons et exemplar est lex aeterna, de qua cfr. n. 24, II. 2 et n. 25.

Lex temporalis distinguitur:

---

(1) 1. 2. q. 90 per totam.

1° *Naturalis,* quae ipso naturali lumine rationis manifestatur — seu: est prima (inter omnes alias leges) participatio legis aeternae in creatura rationali — et *positiva,* quae actu positivo legislatoris intimatur.

2° Positiva est *divina* vel *humana.* — Divina itaque alia est naturalis, alia positiva. — Divina positiva alia est *ordinis naturalis,* alia *ordinis supernaturalis.*

3° Humana est *ecclesiastica* vel *civilis.*

4° *Obligans, permittens* et *irritans.*

5° Obligans est *moralis, poenalis* vel *mixta,* prout sub culpa vel sub poena vel sub utraque simul immediate obligat.

6° *Affirmativa* et *negativa,* seu *praeceptiva* et *prohibitiva,* prout iubet actum ponendum vel omittendum.

Lex permittens actum expresse permittit, vel saltem agentem prohibet inquietari.

Lex irritans reddit actum invalidum. Potest simul esse prohibitiva.

7° *Favorabilis* et *odiosa.*

8° *Scripta* et usu seu *consuetudine introducta.*

9° *Communis* et *particularis.*

Conditiones seu proprietates necessariae, quoad legem humanam attendendae, passim *sex* enumerantur: sc. lex sit 86.

1° *Possibilis observatu* non solum physice sed etiam moraliter, adeoque accommodata moribus hominum, circumstantiis loci, etc.

2° *Honesta.* Ad inhonesta enim et adversantia fini ultimo neque dari potest obligatio agendi, neque potestas praecipiendi.

3° *Utilis* idque *bono communi;* hic enim est finis essentialis legis. Quare haec est proprietas propter quam omnes aliae requiruntur.

4° *Iusta.* Intelligitur maxime de iustitia distributiva, ut nim. onera imponantur et distribuantur secundum subditorum vires et facultates.

Quoad hanc et praecedentes conditiones observa, in dubio legem praesumi iustam etc. Quod imo intelligendum etiam est in dubio positivo, ita nim. exigente bono communi. Cfr. n. 63.

Excipe tamen casum quo subditus dubitans timeret obediendo sibi vel tertio aliquid magni in vita, fama, honore vel rebus eventurum. Sporer de Consc. n. 95 sub 2.

De legibus tributariis suo loco dicemus.

5° *Perpetua* ita sc. ut per se perduret cum communitate cui datur.

6° *Promulgata* idque immediate *communitati* et *nomine legislatoris* adeoque etiam secundum huius voluntatem. Haec est promulgatio solemnis, quae sola requiritur ad existentiam legis.

Porro ulterius determinare qualis promulgatio requiratur, pertinet ad supremum ipsum in respectiva societate legislatorem, dummodo semper talis sit, qua notitia legis inter subditos diffundi possit.

Ab hac promulgatione proprie dicta differt tum

1° divulgatio, qua in pluribus locis lex, publicatur, quaeque dici posset promulgatio secundaria, tum

2° notitia de facto diffusa.

Harum conditionum si quaepiam desit, haberi potest praeceptum, non vera lex; scilicet:

87. I. Lex et praeceptum differunt generatim in hoc, quod *lex necessario* est aliquo modo *universalis* — i. e. lata in aliquam communitatem — et *de se perpetua; praeceptum* vero *neutrum est per se*, quamvis utrumque per accidens esse possit. — Reliquae autem legis conditiones eaedem suo modo requiruntur in praecepto.

Quod de facto praeceptum, non lex, habetur, contingit vel ex eo quod in superiore desit potestas legislativa, vel ex eo quod non totam suam potestatem exerceat. Distinguenda sc. est potestas iurisdictionis et dominativa.

Iurisdictio est *potestas publica*, supponens societatem perfectam seu statum, penes cuius rectorem primario residet.

Dominativa potestas est *privata;* ea reguntur societates imperfectae — sive naturales sive liberae — est consequenter potestas in personas. Hinc intelligitur quare sola iurisdictione ferri possint leges et potestate dominativa sola praecepta dari.

II. Magis speciatim lex et praeceptum differunt vel differre possunt inter se

1° Ratione iubentis. Lex ferri debet a persona publica seu iurisdictionem habente; praeceptum dari potest etiam a persona privata seu solum potestate dominativa utente.

2° Ratione subiecti. Lex fertur pro communitate, vel saltem pro tali parte communitatis, seu pro classe aliqua personarum,

quae praebeat sufficiens fundamentum tum universalitati tum perpetuitati legis v. g. pro militibus, pro clericis, ita nim. ut non ad praesentes tantum, adeoque determinatas personas, sed etiam ad futuras seu quae successive ad talem classem pertinebunt, referatur. Praeceptum vero datur etiam pro personis determinatis.

3° Ratione finis immediati, qui quoad legem est bonum commune, pro praecepto potest esse bonum privatum.

4° Ratione temporis, quo durant. Lex non cessat vità vel officio functo legislatore. Praeceptum per se expirat per mortem praecipientis, vel cessante huius officio.

5° Ratione loci. Lex directe afficit territorium communitatis, indirecte personas in eo degentes; praeceptum ordinarie directe afficit personas. Consequenter *lex non obligat subditos existentes extra territorium legislatoris;* praeceptum vero, saltem ordinarie, obligat subditum ubicumque est, seu, ut dicitur, ossibus haeret. Cfr. n. sq.

88. Quoad praeceptum, ab hoc utra potestate datum sit, duae res dependent, sc.:

I. Species obligationis adeoque peccati transgressione committendi. Nam praeceptum potestate *dominativa* datum, obligat ex *obedientia;* — potestate *iurisdictionis* datum videtur aeque ac lex obligare *ex ea virtute cuius motivo* nititur; quod quidem pro praecepto aeque ac pro lege ex natura iurisdictionis sequi videtur.

Pro cuius intelligentia observa:

1. Lex ponit rem praeceptam in ea specie virtutis, ad quam natura sua pertinet, seu cuius motivo lex primario nititur. Ratio petitur ex natura iurisdictionis et legis quae spectant bonum commune, adeoque publicum honestatis ordinem curant; consequenter respiciunt bonum illud quod est in re praecepta. In hoc omnes consentiunt. Pauci solum sunt, qui hoc vel omnino restringunt ad legem ecclesiasticam, vel de lege civili hoc non concedunt, nisi quando praecipit in materia iustitiae. *Verum cum communi idem de lege civili tenendum videtur. Quamquam de facto*, fine societatis civilis attento, extra materiam iustitiae hoc rarius praxi inservit.

2. Quod praecedit, communiter, ut videtur, Auctores ita naturae iurisdictionis attribuunt, ut nihil referat utrum lege an *praecepto*. — communior etiam videtur et mihi probabilior est sententia, neque referre utrum — communitati an *determinatis* personis quidpiam praescribatur; quia sc. potestas iurisdictionis, utpote pro bono communi collata, semper saltem indirecte spectat bonum commune.

3. Sed quod attinet ad potestatem dominativam, videtur communis AA. sensus, eius praecepta non inducere nisi *communem obedientiae obligationem;* hanc autem *aliquatenus* quidem, non tamen praedominante specie *variari pro variis titulis* quibus obedientia debetur, puta pietatis, observantiae, fidelitatis, iustitiae. Vide de hisce passim AA. in materia de legibus et de obedientia, speciatim de obedientia religiosa.

II. Locus ubi obliget. Si enim potestate *iurisdictionis* praeceptum datum est et haec potestas territorio limitatur, dicendum omnino videtur praeceptum extra territorium praecipientis *non ligare* subditum, secundum axioma: « *extra territorium ius dicenti non paretur impune* ». Quod pariter ac praecedens resolutio ex natura iurisdictionis sequitur, et confirmatur ex eo quod hic non currit ratio resolutionis sequentis.

Econtra si potestate *dominativa* praeceptum datum est, cum haec potestas feratur directe in personam, consequenter per se praecepti *obligatio sequitur subditum ubicumque est.* — Dico *per se:* fieri enim potest, ut v. g. superior regularis non intendat vel etiam iuxta constitutiones vel consuetudinem vigentem nequeat obligare subditos suos extra ambitum quasi-territorii, pro quo Superior institutus est.

89. I. Praeceptum datum a Superiore habente potestatem *legislativam* quandoque *sola ratione temporis* quo duraturum sit a lege differt: imo ideo tantum talis superior dicitur praeceptum dedisse, quia non intendit suam ordinationem obligare nisi *durante munere suo.* Qualis censetur intentio episcopi dantis ordinationes extra synodum.

II. Quamvis potestas *dominativa* natura sua respiciat subditus singulares eiusque praecepta cessent cum vita vel officio superioris, tamen — quod in ordinibus et congregationibus religiosis maxime contingit — *possunt per accidens praecepta* tum *cadere in communitatem,* tum etiam, quando per constitutiones ita statutum fuerit, *perdurare post mortem superioris,* qui ea dedit.

III. Ut igitur de praeceptis *generalibus* rite quoad haec iudicetur, inspicienda est tum *potestas,* tum *intentio* superioris praecipientis. Et in ordinibus et congregationibus religiosis advertendum est, quam vim praecepta singularium superiorum forte habeant ex *constitutionibus;* et quoad has ipsas, si intra ordinem vel congregationem potestas iurisdictionis et legislativa non habeatur, quam vim obtinuerint ex *confirmatione* sive Sedis Apostolicae sive episcopi.

Ceterum cum parum referat, undenam obligatio, de qua constet, oriatur, plerumque lex et praeceptum promiscue sumuntur.

Quinam in Ecclesia habeant potestatem legislativam, vide apud Canonistas. — In societate civili pro diversis constitutionibus potestas legislativa vel apud unum supremum moderatorem residet vel pluribus communis est.

CAPUT SECUNDUM.

DE OBIECTO ET SUBIECTO LEGIS AC PRAECEPTI HUMANI.

ARTICULUS I.

DE OBIECTO LEGIS.

90. **Assertio I.** Lege vel praecepto humano *per se directe* praecipi vel prohiberi potest *omnis et solus*

actus humanus *externus,* bonus vel malus moraliter, fieri vel omitti *necessarius* vel ut plurimum *valde utilis* ad bonum commune vel observantiam status cuiuslibet communitatis vel subditorum.

I. Omnis et solus actus humanus externus, adeo ut nullus actus mere internus per se directe praecipi vel prohiberi possit humana lege vel praecepto. Ratio communiter assignata est: quia humana potestate illud tantum potest praecipi vel prohiberi directe, de quo homo humana virtute potest cognoscere et indicare trangressores ac punire: alioquin frustra ferretur lex vel praeceptum; atqui; ergo. Adde cum Suarez (1): « quia potestas humana legislativa solum ordinatur ad exteriorem pacem et honestatem communitatis humanae ». —

In hoc consentiunt omnes quoad potestatem civilem.

Ecclesiam vero plures probabiliter docent habere potestatem in actus internos. Probant tum ex verbis Christi « Quodcumque.... » (2), tum ex fine potestatis ecclesiasticae. Quocirca

Nota 1°. Controversia solum spectat iurisdictionem Ecclesiae *propriam* seu fori externi, non vero eam quam *nomine Dei* exercet, uti in foro mere interno seu sacramentali.

Nota 2°. Praelatus regularis maiori potestate pollet in suos subditos ratione voti obedientiae, quod, quia Deo principaliter fit, ad actum etiam mere internum se extendere potest, et quandoque etiam debet, dummodo et in quantum obedientia promissa in respectivo ordine ita intelligatur. Cfr. IV. Nec est subtilizandum, an religiosus non obediendo peccet contra praeceptum, an potius occasione praecepti contra votum: hoc enim peius illo.

II. Bonus vel malus moraliter: intelligendum est, non quod actus iam debeat esse bonus vel malus secundum se ex obiecto, sed ita ut talis saltem sit ex fine, propter quem praecipitur vel prohibetur.

III. Necessarius etc.: sequitur ex fine legis.

IV. Vel ad observantiam status cuiuslibet communitatis. Hinc praelati religiosorum legibus etc. ea omnia et sola possunt praecipere vel prohibere suis subditis, quae necessaria vel ut plurimum valde utilia sunt ad observantiam status sui et regulae, quam professi sunt.

(1) Lib. III. C. 13.

(2) Matth. XVI, 19.

91. Assertio II. Humana lege vel praecepto *indirecte* etiam praecipi vel prohiberi possunt actus *interni, qui et quatenus* requiruntur ad actuum *externorum* directe praeceptorum vel prohibitorum *moralem substantiam in genere vel in specie;* non item alii. — Ita communior sententia.

I. In genere. Omnis humana lex vel praeceptum necessario solum praecipit ac prohibet actus humanos voluntarios ac liberos ad quorum moralem substantiam *in genere* necessario requiruntur actus interni voluntatis, seu *voluntas et propositum* talem actum externum faciendi vel omittendi; ergo praecipiens vel prohibens actum externum, etiam indirecte praecipit vel prohibet actum internum. —

Ubi adverte pro his et sequentibus omnibus semel et pro semper, quantum ad praxim in ordine ad forum conscientiae, *omnino perinde esse*, sive dicatur actus illos internos praecipi vel prohiberi indirecte lege humana, an vero, posita lege humana, a lege divina naturali vel positiva.

II. In specie. Humana lex vel praeceptum praecipiens actus humanos externos consequenter indirecte etiam praecipit illos actus internos, qui ad moralem substantiam actuum externorum *in specie* necessario concurrunt, ut sunt *peculiares intentiones* actuum. Exempla sunt:

1° *In contractibus* si praecipiuntur, indirecte praecipitur consensus et intentio sese obligandi.

2° *In administratione Sacramentorum* pariter indirecte inbetur intentio v. g. baptizandi, absolvendi, consecrandi.

3° *In susceptione Sacramenti* indirecte praecipiuntur ea, quae ad validam et dignam susceptionem requiruntur.

4° *In oratione et culto divino* indirecte praecipitur actus internus devotionis alicuius saltem ex parte voluntatis, nimirum pia intentio aliqua explicita vel implicita colendi Deum.

III. Non item alii, ut probatum est n. pr. Non ergo ab homine praecipi potest, ut quis ieiunet v. gr. ex interno amore ad talem Sanctum; vel prohiberi ne quis domo egrediatur ex interno affectu pravo fornicationis vel homicidii.

Potest tamen lege humana vel praecepto imponi poena, excommunicationis v. gr. in foro conscientiae incurrenda ob factum externum, supposito certo actu vel intentione interna tamquam conditione sine qua non, non tamquam materia praecepta vel prohibita.

92. Actus heroici *lege vel praecepto humano* praecipi non possunt *ordinarie et per se*. — Ratio, quia talis lex vel praeceptum non censerentur moraliter possibilia neque utilia.

Non ordinarie, sed quidem in circumstantiis extraordinariis, ita exigente bono communi.

Non per se; aliud est in hypothesi status libere assumpti. Cfr. n. 90, IV.

ARTICULUS II.

DE SUBIECTO LEGIS.

93. **Subiectum** legis generatim sunt ii omnes et soli pro quibus lex lata est, adeo ut in illis legis non observantia sit saltem obiective peccatum. Hinc:

I. Legi naturali subiacent omnes omnino homines, *etiam infantes et perpetuo amentes* quamvis solum in actu primo; quare neque hos ad actus legi naturali contrarios inducere licet.

II. Legi positivae subiacent respectivi legislatoris subditi, *usu rationis habitualiter gaudentes* omnes, vel ii pro quibus lata est. Quare ulterius:

III. *Legi positivae* divinae universali subiacent omnes homines usu rationis potiti.

IV. *Legi* ecclesiasticae universali subiacent omnes christiani seu baptizati habitualiter rationis compotes.

V. *Legi* civili *et legi* ecclesiasticae particulari subiacent legislatoris respectivi subditi habitualiter usu rationis gaudentes, qui *ad* territorium, pro quo lata est, pertinent, omnes vel ii, pro quibus lata est, quique, si agatur de lege lata a superiore territorium limitatum habente, sunt *in* territorio. Ratio postremi est, « quia extra territorium ius dicenti non paretur impune ».

Quod idem generatim valet de legibus *pontificiis* praesumpta legislatoris voluntate *nisi* nimirum contrarium expresse statuat, uti statutum

v. gr. est de lege clandestinitatis ut impedimenti matrimonialis dirimentis quoad abeuntes cum fraude. — Hinc:

94. **Resolves** I. Infantes et perpetuo amentes, nulli legi positivae subiacent. Quare per se neque peccant illi, qui eos ad actus tali lege prohibitos inducunt. Cf. n. 93, I.

II. Infideles i. e. non baptizati non subiacent legibus ecclesiasticis quibuscumque.

III. Acatholici baptizati quicumque *per se subiacent* legibus ecclesiasticis. — Attamen probabiliter, ex praesumpta Ecclesiae voluntate, docetur eos de facto non teneri legibus quae *proxime sanctificationem* animarum potius quam ordinem publicum respiciunt.

IV. Vagi et peregrini. 1° *Tenentur* legibus *universalibus* Ecclesiae, etiam iis, a quibus peregrini in proprio territorio privilegio locali forent exempti.

2° *Non tenentur* legibus *particularibus,* quia non sunt in territorio vel non de territorio, pro quo lex lata est. Nec quicquam facit, si forte pro *utroque* territorio similis lex foret lata, utut multi aliter resolvunt. Compara et applica *a fortiori* superius dicta n. 80, quia ibi agebatur de probabilitate utrinque; hic vero agitur de sententia certa, quia *vèl* non sunt *in* territorio, *vèl* non sunt *de* territorio. Cf. n. 93, V. — *Tenentur tamen per accidens,* si ita exigat bonum commune, vel lex naturalis, puta ratio vitandi scandalum vel laesionem iustitiae; quare maxime in materia contractuum.

3° *Possunt etiam uti privilegio loci,* si lex universalis non servatur ubi morantur.

Quaeritur in hypothesi legis *universalis,* quae in variis locis variis diebus observatur, uti lex ieiunii in aliquibus vigiliis — quid si quis ob locum mutatum vèl *bis* vèl *numquam* moratur in loco, ubi lex observatur?

Resp. In 1° casu certo. non tenetur nisi *semel* legem observare.

In 2° casu secundum litteram legis videretur teneri semel legem servare; practice vero satis probabile puto, quod nonnulli dicunt, sc. ex benigna interpretatione mentis Ecclesiae talem *excu-*

sari. — *Ex industria* vero obligatio hoc modo non poterit vitari, praecise quia tunc non datur locus *benignae* interpretationi.

V. Pueri septennio completo, cum praesumantur habere usum rationis, nisi positivum indicium in contrarium habeatur, tenentur legibus pro eorum aetate et discretione. — Quare excipiuntur maxime lex *ieiunii ecclesiastici* quae non obligat nisi post tertium septennium expletum; atque lex *annuae communionis,* pro qua in singulis dioecesibus vel statutum particulare episcopi vel consuetudo localis servari debet vel potest. Neque subiacent *poenis canonicis* ante obtentam pubertatem, nisi in casibus exceptis.

Ante septennium completum, etsi videantur usum rationis adepti, probabiliter secundum plures, contra plures alios, *non censentur legibus ecclesiasticis subiecti,* quia leges ea quae communiter, non quae extraordinarie eveniunt, attendunt.

CAPUT TERTIUM.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.

DE LEGIS OBLIGATIONE IN SE.

I. Omnis lex (in sensu strictiore, ut hic sumitur) aliquam 95.
seu aliquo modo veram obligationem inducit; lex moralis immediate, poenalis et irritans mediate.

II. Lex obligat *sub gravi vel sub levi* pro gravitate materiae *et* intentione legislatoris, ita ut hic in materia gravi (ex obiecto, fine vel circumstantiis) *possit,* si velit, sub gravi obligare — quod etiam per se praesumitur —, in materia vero undequaque levi *non possit* nisi sub levi obligare.

III. Lex positiva, maxime humana, generatim non obligat cum incommodo relative gravi per accidens legis observationi coniuncto.

Dictum est:

1° Generatim.... per accidens; *posterius hoc,* quia si incommodum per se existeret, quaestio potius foret de potestate praecipiendi actum heroicum, qua de re n. 92; — *illud prius,* quia eaedem, quae l. c., hic faciendae sunt exceptiones.

2° Cum incommodo relative gravi: attendendum est sc. tum ad materiam tum ad finem et intentionem legislatoris. Sic v. gr. multo facilius quis excusatur a ieiunio ecclesiastico, quam a ieiunio naturali servando ante S. Communionem suscipiendam; facilius ab obligatione saepius recurrente, quam ab alia quae raro occurrit; cfr. n. 100 sqq.

3° Non obligat; *abstrahimus* nim. a quaestione num incommodum saltem gravissimum excuset etiam *a lege irritante;* quod quidem communiter negant, nisi incommodum sit, saltem pro aliquo loco, commune; cfr. Tr. de Matrim.

IV. Quodsi legi implendae tempus est determinatum, et eo tempore lex non est impleta, *videndum utrum* tempus *determinatum fuerit* ad finiendam obligationem *an solum* ad sollicitandam obligationis executionem. Si prius, cessavit; si posterius, manet obligatio.

Prius illud exemplificatur in legibus ecclesiasticis praecipientibus ieiunium, assistentiam Missae et similia, in quibus onus impositum censetur annexum diei; posterius in iis legibus quibus aliquid imponitur intra triduum vel mensem praestandum, v. gr. onus confitendi sacerdoti, qui, commisso peccato mortali, ex necessitate cum sola contritione celebravit.

In eadem hypothesi si quis tempore obligationis iam incepto praevidet se, nisi quamprimum legi satisfaciat, impeditum iri ab ea saltem suo tempore implenda, tenetur quamprimum satisfacere. Non vero tenetur anticipare ante tempus obligationis inceptum.

V. Lex fundata in praesumptione

1° periculi communis, obligat ut quaelibet alia lex, adeoque etiam si factum particulare non contigerit, dummodo adsit vel acciderit id, quod lex supponit;

2° facti particularis, non obligat nisi facto illo revera posito. Practice hoc magis cadit in sententiam iudicialem latam secundum legem in una vel altera praesumptione fundatam.

Lex civilis irritans quomodo vel quando suam vim exerceat, aptius dicemus in Tr. de Iure et Iustitia.

ARTICULUS II.

DE MODO LEGEM IMPLENDI.

I. Legi prohibenti satisfit omissione etiam involuntaria actionis prohibitae, etiam in hypothesi quod peccatur propter pravum affectum internum. 96.

II. Legi affirmativae praecipienti debitum reale item satisfit solutione *etiam involuntaria* debiti.

III. Legi affirmativae praecipienti debitum seu actionem personalem ut satisfiat, requiritur et per se sufficit actus humanus, nim. *positio voluntaria* actionis praeceptae. Quo sensu dicitur requiri intentio faciendi id quod praeceptum est.

Ratio ad omnia est quia leges obligant secundum voluntatem legislatoris, non subditorum. Quare ad III

I. Non requiritur intentio satisfaciendi praecepto; imo neque intentio contraria (non satisfaciendi) impedire potest quin praeceptum impleatur; quia ob rationem datam in potestate inferioris non est prorogare obligationem legis, postquam praecepto secundum voluntatem legislatoris est satisfactum. — Peccari tamen potest pravo affectu interno, vel post factum propter conscientiam erroneam. 97.

Non omnino eadem est ratio de obligatione ex voto vel promissione. In hisce nim. requiritur quidem, sed et praesumitur adesse intentio satisfaciendi obligationi susceptae, quamdiu positive non excludatur. Intentio vero contraria efficit, ut obligatio non impleatur, sed perduret. Ratio disparitatis est, quia huiusmodi obligationes, utpote libera voluntate susceptae, sicut ab initio dependebant, ita etiam dependentes manent ab eadem libera voluntate. Est commune contra Sanchez in Dec. L. I cap. XIII in fine.

II. Neque requiritur intentio finis praecepti; neque impletioni legis per se obstat intentio concomitans alterius finis vel circumstantiae pravae, quae nim. relinquat actum honestum in se. Ratio est, quia praecipitur solum actus secundum substantiam bonus. Cfr. n. 91.

III. Neque intentio applicandi fructum vel effectum operis praecepti per se requiritur, vel praecipi potest lege humana. Aliud est de obligatione ex contractu vel voto. Cfr. n. 90 sq.

IV. Diversis praeceptis diversa praecipientibus eodem tempore satisfieri potest, dummodo actus praecepti sese invicem ne impediant, ut v. gr. assistentia Missae et recitatio Breviarii vel orationis impositae in poenitentiam sacramentalem.

V. Unico etiam actu pluribus praeceptis eumdem actum praecipientibus satisfieri potest, nisi obstet intentio praecipientis.

Porro intentio praecipientis a) *per se obstare non praesumitur*, si idem actus *ob idem motivum* praecipitur, sive ab eodem superiore, sive a diversis; ut assistentia Missae in die festo incidente in Dominicam. *Sed aliud praesumitur* v. gr. de duobus confessariis eidem poenitenti idem opus imponentibus, vel imo de eodem confessario bis idem eidem imponente.

b) *Obstare generatim praesumitur*, si idem opus *ob diversa motiva* praecipitur, ut assistentia Missae propter diem Dominicam et in poenitentiam sacramentalem. *Quandoque tamen* etiam in hac hypothesi contrarium praesumi potest v. gr. si confessarius imponat Missam audiendam singulis diebus per hebdomadam vel mensem.

ARTICULUS III.

DE CAUSIS DEOBLIGANTIBUS.

98. Causae deobligantes aliae sunt *eximentes*, quae nim. subtrahunt a legis dominio, aliae *excusantes* seu impedientes, quae manentem legi subditum ab ea implenda impediunt vel excusant.

Apponi dicuntur hae causae directe vel indirecte, prout finis primarius apponentis est sese subtrahendi a dominio vel obligatione legis vel alius; proxime vel remote, prout tempus legem implendi instat vel non.

99. I. Causas eximentes apponere licet *etiam directe et proxime*. Ratio: quia lex non obligat, ut quis maneat subditus.

II. Causam excusantem directe apponere sive proxime sive remote secundum communiorem sententiam generatim non licet. Ratio: quia hoc idem foret ac velle legem violare. — Dico: *generatim*, ut exceptus intelligatur casus, quo quis praestare vellet opus certo et multum excellentius vel magis necessarium; pro quo casu censeo satis praesumi posse consensum legis-

latoris. Cfr. n. 33, IV. — Sunt etiam, qui generatim aliter resolvunt de causis proxime, aliter de causis remote appositis (1).

III. Causam excusantem indirecte apponere

a) proxime *non licet sine iusta causa;*

b) ex iusta causa *vel* remote *licet.*

Ratio: quia in priori hypothesi legislator praesumitur, in posterioribus praesumi non potest velle ligare subditos. Quocirca

Nota. 1° Causa iusta erit, si sit proportionata tum ad rei praeceptae ex sua materia et ex mente legislatoris gravitatem, tum ad tempus obligationis magis vel minus instans. Quorum posterius iterum diiudicandum secundum illud prius; sicut pariter

2° Num vel quando causa absolute dicenda sit proxima an remota, multum dependet, ut habet Nota pr., a rei praeceptae gravitate; in quo iudicio ferendo multum iuvabit attendere iudicium prudentum et praxim timoratorum. Quamquam neque prudentum iudicia semper convenient; quid v. gr. si quis sabbatho mane vel circa meridiem, vel saltem non nimis sero, vellet iter aggredi praevidens se sequenti die impeditum iri a Missa audienda. Cfr. n. 95, III.

SCHOLION.

De interpretatione legis (2).

Dividitur interpretatio in authenticam, usualem et doctri- 100.
nalem.

I. Authentica est, quae datur ab ipso legislatore, eius successore vel superiore, mediate tamen vel immediate: cfr. n. 104. Usualis dicitur, quae habetur ex usu communi seu ex modo quo communiter lex observatur, secundum illud: consuetudo optima legis interpres. Doctrinalis est, quam tradunt viri docti.

II. Authenticae interpretationes dicuntur « *comprehensivae* si sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit; *extensivae* si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie et secundum usum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc. » (3). Quod posterius, ut multi DD. sentiunt, verificatur, quoties interpretatio definit rem adeo dubiam, ut de sensu legis contrariae opiniones extare potuerint.

---

(1) Cfr. Génicot I. n. 116, 5°.

(2) Materiam hanc potissimum practice consideramus; ceterum consulantur Canonistae.

(3) Schmalzgrueber, Diss. Prooem. n. 373.

Extensiva interpretatio, quia et in quantum condit novum ius, eget promulgatione, ut ipsa lex.

III. Comprehensiva interpretatio dicitur *stricta* vel *lata*, prout verba legis sumuntur in sensu strictiori vel latiori, qui uterque tamen sensus dici queat satis proprius et usitatus. Sic vox « clericus » stricte significat solos tonsuratos, late omnes personas ecclesiasticas.

101. **Vis et auctoritas interpretationis.** I. Authentica interpretatio maximam habet vim et auctoritatem, i. e. reddit sensum legis prorsus certum, vel etiam, positis tamen ponendis, condit novum ius. Ratio est, quia procedit a potestate legislativa. Cfr. n. pr. II, et n. 104.

II. Usualis interpretatio, si est legitime praescripta, eamdem habet vim ac authentica; talis namque consuetudo est ut lex non scripta. Quamdiu non est legitime praescripta, aequivalet potius interpretationi doctrinali.

III. Doctrinalis interpretationis vis dimetienda est secundum rationes allatas a DD. et horum auctoritatem. Ratio per se liquet.

Haec itaque interpretatio 1° aliquando moralem certitudinem, aliquando probabilitatem facit; 2° non potest esse nisi comprehensiva; quia deest potestas legifera.

102. **Regulae interpretationis** doctrinalis praecipuae.

I. Menti legislatoris, ubi de ea certo constat, potius quam nudis legis verbis interpretatio convenire debet.

II. Verba legis sumenda sunt in sensu proprio, nisi secus inconveniens sequatur, puta maxime ne sequatur aliquid iniqui vel absurdi, vel ne verba quaedam legis prorsus inutilia fiant. Quoad terminos legales autem, sensus, quem verba habent ex stilo vel usu curiae, potius attendendus est quam sensus usualis.

III. Extendi ad casus non expressos lex non debet ob solam rationis similitudinem, imo neque per se ob identitatem rationis. Ratio: quia non sufficit ratio, sed requiritur voluntas legislatoris; qui ob rationes sibi notas potuit disponere de uno, non de alio. Excipe, si secus legislator iniustitiae vel imprudentiae argui deberet; id quod praecipue accidere potest in correlatis, aequiparatis vel connexis aut contentis.

Epikeia est privata et « benigna legum interpretatio secun- 103.
dum aequum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum » (1). Usui esse potest non solum si legis observatio fieret nociva vel moraliter impossibilis, sed etiam iis in casibus particularibus, quibus legislator, etsi potuisset, tamen praesumi prudenter debet noluisse obligare.

Vis et auctoritas Decretorum etc. SS. Congregationum 104.
Romanarum.

I. Generatim omnes SS. Congg. a Rom. Pont. acceperunt facultatem, imo officium interpretandi leges ecclesiasticas, pro suo cuiusque munere. — S. Rituum Congr. praeterea habet potestatem legislativam; uti constat ex Declaratione ipsius Congr. 23 Maii 1846, approbata et confirmata a Pio IX 17 Iulii 1846. — Generatim itaque interpretationes SS. Congg. auctoritatem habent maximam, et doctrinali interpretatione communi maiorem; imo vero sensu dici possunt authenticae, sed per se, nisi accedat ipsius Rom. Pont. plenior potestas, in sensu latiori.

Plerumque interpretationes dantur, et, si excipias S. Rit. Congr., dari solum possunt consulto Rom. Pontifice. Earum forma authentica est, ut sigillo S. Congr. munitae atque a Praefecto et Secretario S. Congr. subscriptae sint; quo supposito, aliis tamen etiam aliunde de earum authenticitate constare potest, sed et constare debet, ut de earum vi obligandi sermo esse possit.

In sequentibus de authenticitate plene constare supponimus.

II. Quoad vim obligandi 1. de declarationibus etc. generalibus non est dubitandum, practice saltem, quin omnes obligent. Si enim comprehensivae supponantur, res per se patet; si autem vere extensivae sint, hae sine speciali Rom. Pontificis approbatione atque sufficienti promulgatione ad omnes dirigi non solent.

2. De declarationibus etc. particularibus constat: 1° eas ligare eos quorum causa acta est; 2° eas per se hos solos ligare. Attamen si revera non sint nisi declarationes legis existentis, hac ratione iterum omnes hanc legis interpretationem sequi debebunt, secundum supra dicta. Verum si legis interpretatio solum ex causae particularis decisione colligenda est, num haec interpretatio

(1) Reiffenstuel, in *libr. I Decr.* t. 2, n. 378.

omnes liget, seu num huiusmodi decreto obligent etiam in similibus casibus, difficultas est. Et imprimis caute semper cavendum est, ne quid ultra mentem S. Congregationis ex ipsius decretis colligatur: in quo iam saepius erratum est. Quodsi vere de eius mente constet, ea legis interpretatio maxima certe pollet auctoritate, ita ut quisque eam ut probabilem sequi possit; quinimo constanti S. Congr. praxi et interpretatione effici potest ut talis interpretatio fiat certa, contraria vero probabilitate sua destituatur. Ast num per se huiusmodi interpretatio omnes obliget, potius negandum videtur. Etenim ipsa S. R. Congr., cuius hac in re maxima est potestas, in hunc sensum respondit 18 April. 1854. Hoc igitur a fortiori valet de decisionibus aliarum Congr.

CAPUT QUARTUM.

DE CESSATIONE LEGIS EIUSVE OBLIGATIONIS.

Pluribus modis lex vel eius obligatio cessare potest: puta dispensatione et privilegio (contra ius), abrogatione et derogatione, irritatione, desuetudine, cessatione finis. Dicemus solum de praecipuis.

ARTICULUS I.

DE DISPENSATIONE.

105. **Dispensatio** est relaxatio legis in casu particulari.

1. Relaxatio legis. Hinc requirit legitimam potestatem, eamque iurisdictionis; differtque a licentia, quae potius est secundum legem.

2. In casu particulari. Quo differt a privilegio, quod praeterea neque semper est contra legem; tum a derogatione et abrogatione, quibus lex partim vel tota pro communitate revocatur in perpetuum.

106. **Potestas dispensandi dividitur** in *propriam* et *delegatam*. Propria est, quae superiori ratione ipsius et solius muneris sui necessario competit, sc. in legibus suis vel antecessorum et

inferiorum: haec est stricte ordinaria. Delegata est, quae a superiore inferiori communicatur. Quae posterior potestas, si cui ratione muneris ipso iure, scripto vel non scripto, est tributa, dicitur quasi-ordinaria, quia ordinariae in pluribus aequiparatur, imo ordinaria saepe dicitur.

I. Potestatem dispensandi stricte ordinariam seu propriam quis et in quibus legibus et erga quos habeat, ex cuiusque officii natura deducendum est. 107.

II. Potestate quasi-ordinaria 1. Summus Pontifex tollit vincula iuris divini illa quae aliunde probantur solvi posse. Quae potestas num dispensandi an interpretandi proprie dicenda sit, disputatur; sunt etiam qui in hac quaestione distinguunt ius divinum aliud *fundatum in actu humano,* aliud *absolutum.*

2. Episcopi ex iure vel consuetudine dispensant 1° in legibus communibus quae frequenter occurrunt, ut ieiunium, abstinentia, observantia festorum, recitatio officii divini, vota non reservata; 2° in legibus cum clausula «donec dispensetur» vel simili; 3° in rebus etiam gravioribus vel rarioribus, vel alias reservatis, quum difficilis est recursus ad S. Pontificem et periculum in mora.

3. Parochi ex consuetudine dispensant in ieiunio, abstinentia et observantia festorum.

4. Praelati Regularium abstrahendo a speciali privilegio, dispensant cum suis subditis, ut Episcopi vi muneris dispensant cum suis.

III. Potestas quam praedicti, de quibus supra sub 2-4, praeterea vel quam alii praeter dictos habent, haec dicenda est pure delegata, utpote tota a Superiore.

Quoad potestatem subdelegandi potestas quasi-ordinaria aequiparatur ordinariae. Potestas pure delegata generatim et per se, i. e. nisi speciatim aliud sit concessum, subdelegari nequit. Excipe, si quis sit delegatus ad universitatem causarum, saltem si hoc sensu ut ipsi totum alterius officium sit commissum; alias controvertitur; cfr. Ball.-Palm. VI, n. 982. 108.

I. **Causa iusta** ad *licitam* dispensationem semper requiritur; ad *validam* dispensationem requiritur si dispensatur iure 109.

delegato, etsi quasi-ordinario; non vero si superior dispensat iure proprio. Ratio petitur partim ex natura rei, partim ex potestatis diversitate atque delegantis voluntate.

II. In dubio de causa dispensandi èt Superior eiusve delegatus dispensare, èt subditus dispensationem petere, obtentàque uti potest: ita exigit bonum commune.

III. Si non in re dubia, ob causam falso allegatam dispensatum est, error circa causam *finalem* per se semper dispensationem vitiat; error circa causam impulsivam per se non irritat dispensationem; sed excipiunt multi si petens dolose eam allegaverit.

IV. Cessante totaliter causa finali, ut plurimum cessat dispensatio; sed excipiendi sunt casus in quibus effectus dispensationis vèl nequaquam vèl non commode dividi potest: puta si dispensatum est in ordine ad matrimonium ineundum, ad Ordines sussipiendos. Ratio petitur tum ex natura rei, tum ex intentione praesumpta dispensantis.

In nonnullis materiis praeter casum et causam etiam alia ex iure vel stylo curiae sunt exprimenda, a quorum tunc veritate valor dispensationis pendet.

Cfr. dicenda de dispensationibus matrimonialibus.

ARTICULUS II.

DE CESSATIONE FINIS.

110. I. **Cessante fine** legis èt totaliter èt pro communitate, cessat ipsa lex ut iam inutilis.

II. **Quid**, si finis cessat solum in casu vel pro persona particulari?

1. Si cessat finis *in contrarium*, cessat non lex, sed tamen huius obligatio ut nociva vel nimis difficilis, cfr. n. 95, III.

2. Si cessat finis *negative* tantum, ex communi sententia non cessat legis obligatio; contra quosdam qui contrarium probabile dicunt. Generatim saltem prior sententia omnino tenenda videtur, tum « quia interest boni publici ut leges communes ab omnibus

communiter serventur (1) », tum propter hallucinationis periculum. Quodsi forte aliquando neutra ratio subsisteret, summum dici posset cum S. Alph. n. 199: « Si vero aliquando casus accideret, quo aliquis omnino certus et securus esset, tunc non auderem secundam sententiam improbare: sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire ».

(1) Laymann, *de legibus* c. 21, n. 3.

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO PECCATI (1).

Peccatum *generalissime* sumptum est defectus voluntarius creaturae rationalis contra legem Dei.

Dividitur in *originale* et *personale*, et hoc in *actuale* et *habituale*. De peccato originali agunt Dogmatici. Peccatum personale et actuale dicitur, quod propria operantis voluntate committitur. Peccatum habituale vocatur, quod post actuale per modum habitualis defectus et maculae in anima perseverat, donec remissione deleatur. — Reliqua vide n. 121 ss.

Peccatum personale et actuale tantum est considerationis Theologiae Moralis.

111. Definitur peccatum a S. Augustino; dictum, factum vel concupitum contra legem Dei aeternam. Communiter brevius: libera transgressio legis divinae.

I. Dictum, factum, concupitum, intelligitur voluntarium. Exprimitur *materiale peccati*, quod est actus aliquis vel omissio, sc. non-dictum etc. — Pulchre S. Aug. ponit ista tria: omne enim peccatum aut in sola voluntate immanet, ut volitiones, intentiones et desideria mala; aut verbo vel signo erumpit, ut blasphemiae, detractiones, mendacia; aut etiam ipso facto vel opere externo patratur; alias peccata cordis, oris et operis.

(1) Sporer, n. 230 sqq.

II. Contra legem Dei aeternam. Exprimitur formale seu *ratio formalis peccati*, sc. ipsa malitia vel inhonestas. Quamvis autem in peccato duplex sit malitia et deformitas, una contra rectam rationem, altera contra legem Dei ac ipsum Deum, et quidem illa philosophice loquendo sit prior et intimior actui, haec altera tamen potior et principalior habetur in consideratione theologica.

Rectissime S. Aug. solam expressit legem Dei aeternam, quia tam ratio ac lex naturalis, quam omnis lex positiva, divina et humana, derivatur a lege divina aeterna tamquam radius a sole. Quare quamvis omne peccatum etiam ideo peccatum sit, quia est contra rectam rationem vel legem, eo ipso tamen principaliter et ultimate est contra legem Dei aeternam.

Hoc ipso, quod omne peccatum est contra legem Dei aeternam, consequenter et ultimate est etiam contra ipsum Deum, eaque ratione omne peccatum dicitur offensa Dei, sicque diversos habet gradus et respectus ad Deum offensum, secundum diversas rationes Dei offensi, puta ut supremi legislatoris, domini et benefactoris nostri, ut summi boni nostri seu ultimi finis nostri cujus et cui; *cujus* nim. consequendi causa omnia operari debemus; et *cui* ut summo et infinito bono in se super omnia amando amore amicitiae, per caritatem omni actione nostra uniri debemus. Quae omnia tamen, sed maxime postremo dictum, magis cadunt in peccatum mortale quam in veniale. Cfr. n. 124.

CAPUT SECUNDUM.

PECCATORUM UNITAS ET DISTINCTIO SPECIFICA (1).

Quaestio est de peccatis *commissionis*, tantum; nam peccatum omissionis, quatenus dicit privationem actus debiti, specificatur patenter ab ipsis actibus omissis.

Assertio. Peccatorum unitas et distinctio specifica *causaliter* quoad actum peccaminosum sumitur *ab obiectis formalibus, — formaliter* vero quoad ipsam malitiam desumitur *ab unitate et distinctione specifica rectitudinum seu virtutum oppositarum;* etiam praeceptorum formaliter et specie, non item materialiter et numero tantum diversorum. 112.

I. Causaliter quoad actum peccaminosum sumitur ab obiectis formalibus. Ratio: quia actus quicumque causaliter specificantur ab obiectis; atqui actus peccaminosus per

(1) Sporer, n. 239 sqq.

se directe tendit in ipsa obiecta vetita, et nonnisi per accidens et indirecte in ipsam malitiam, quia nemo intendens ad malum operatur. Ergo. — Dicitur autem ab obiectis formalibus, quatenus nim. fundant malitias seu deformitates eiusdem vel diversae rationis contra rectam rationem vel legem, seu, quod idem est, contra virtutem vel praeceptum. — Hinc

II. Formaliter vero quoad ipsam malitiam desumitur ab unitate et distinctione specifica rectitudinum seu virtutum oppositarum. Ratio, quia peccatum formaliter consistit in privatione rectitudinis debitae inesse secundum rectam rationem vel legem; quae rectitudo in particulari reipsa nihil aliud est, quam honestas virtutis alicuius in particulari; unde peccatum formaliter est privatio boni honesti seu virtutis. Atqui privationes specificantur et distinguuntur per formas oppositas, quibus privant. Ergo. — Hinc:

113. Illa peccata sunt diversae speciei, quae aut 1) *diversis* virtutibus, aut 2) *eidem* virtuti sed *secundum diversam rationem* deformitatis adversantur. Quod posterius locum habet

a) *generatim*, quando peccata adversantur *diversis* eiusdem virtutis *officiis*. Sic aliter contra charitatem peccatur odio proximi, aliter non ei succurrendo quando oportet; religioni diversis modis adversantur blasphemia, periurium, superstitio, sacrilegium, violatio voti, festi, etc; iustitiae homicidium, adulterium, detractio, furtum, etc.

b) *speciatim* eidem virtuti morali in mediocritate consistenti semper opponitur duplex peccatum, *per excessum et per defectum;* ut liberalitati prodigalitas et avaritia.

Dantur denique peccata, quae nulli virtuti in specie opponuntur, sed solum ipsi virtuti, honestati vel rectitudini in communi, ut voluntas universim male vivendi, nihil boni agendi, nulla praecepta servandi, quodvis peccatum patrandi etc. Dicuntur speciei innominatae. — Dici etiam potest:

114. III. Desumitur ab unitate et distinctione praeceptorum formaliter et specie diversorum; quia, ut dictum est, peccatum formaliter consistit in privatione rectitudinis debitae inesse secundum rectam rationem vel legem. Sed eodem redit; etenim tum virtutes cum praecepta aeque distinguuntur

specie secundum obiecta; dein ipsa praecepta ideo dicuntur specie diversa, quia diversis virtutibus vel diversis unius virtutis officiis uti motivis nituntur.

Porro, ut recte observat Müller I. § 128, propinquius et principalius haec distinctio repetenda videtur ex praeceptis quam ex virtutibus, quia peccatum ex conceptu suo essentiali est transgressio legis, et quia privatio virtutis peccatum non esset, si virtus haberi non deberet, seu si non esset lege praescripta.

Non item materialiter et numero tantum; sc. praecepta de eadem re formaliter et sub eodem unius virtutis motivo a diversis legislatoribus vel diverso tempore data nihil faciunt ad distinctionem peccatorum.

CAPUT TERTIUM.

PECCATORUM UNITAS ET DISTINCTIO NUMERICA (1).

Quaestio non est de malitiis specie omnino diversis, quae in uno actu quandoque concurrunt num sc. faciant plura numero peccata, an vero relinquant unum peccatum; qua de re in quibusdam casibus dubitari potest, et reipsa a nonnullis dubitatur, uti v. gr. quoad adulterium, copulam sacrilegam vel incestuosam. Haec enim controversia nonnisi speculativa esse potest, cum pro praxi, in ordine nim. ad confessionem sacramentalem, constet species peccatorum et circumstantias speciem mutantes esse exprimendas. Quare et speculativa manet controversia, etsi dicatur in casibus dubitatis esse etiam sicut unum peccatum, ita et unam speciem, diversam sc. ab utraque unde coalescit.

Assertio. Peccatorum unitas et distinctio numerica desumitur ab unitate et distinctione numerica ipsius actus; *in mere internis* quidem physica, *in externis* vero peccatis morali tantum, hoc est secundum moralem tantum continuationem vel interruptionem actus interni *et* coniunctionem vel disparationem actuum externorum. 115.

I. Desumitur ab unitate et distinctione numerica ipsius actus. Haec est regula generalis sc. quot actus, tot peccata.

Solum controvertitur, an maneat idem numero peccatum, quando idem actus tendit in plura obiecta, sive an multiplicatio obiectorum

(1) Sporer, n. 244 sqq.

in eodem actu multiplicet numero malitias; v. gr. si uno actu odio habeantur, occidantur plures homines (1).

Controversia speculativa tantum est, ait Sporer cum aliis, et quoad praxim perinde est, sive dicas esse plura peccata formaliter, sive dicas esse unum sed aequivalens pluribus et ideo numerum obiectorum, *tamquam augentem malitiam substantialem* actus, necessario exprimendum in sacro tribunali. Sed ratio allata ab aliis reiicitur, idque probabiliter. Vide quae mox notabimus cum De Lugo.

Etiam perinde est, pergit Sporer, sive obiecta multiplicentur materialiter tantum, ut in exemplis allatis, sive formaliter, nim. sub distinctis actibus externis intenta ab uno actu interno, v. gr. in proposito cognoscendi plures. Quodsi tamen peccata externa consummentur, sine controversia illa erunt numero distincta Cfr. n. 120, Reg. IV.

116. Nota 1°. Proposita omittendi officium per mensem, ieiunium per Quadragesimam etc. Sporer refert ad priorem classem. At potius ea ad posteriorem classem referas; neque enim una sed multiplici omissione huiusmodi proposita executioni dantur. Quod quidem parum interest, si cum eodem teneas perinde esse, uti classi talia proposita accensenda sint.

At aliter res se habet, si verum est, quod observat Ballerini (2) sc: ex mente Auctorum in actibus voluntatis efficacibus unitatem vel multiplicitatem peccati desumendam esse ex natura actus quoque externi. Et unum pro omnibus citat De Lugo (3). Sed hic A. constanter loquitur de propositis executioni datis.

Nota 2° cum De Lugo (4), excipiendos a controversia esse actus illos, qui plura simul obiecta diversimode attingunt; uti adulterium inter duos coniugatos, copula inter duas personas voto obstrictas. In iis namque ob dictam rationem habentur diversae species malitiae.

Nota 3°. Secundum eumdem A. occisio plurium, voluntas occidendi plures, vel peccandi cum tribus feminis videri possunt non explicari bene in confessione dicendo: feci homicidium, aut habui voluntatem homicidii vel fornicationis; quia ex communi acceptione homicidium significat occisionem hominis, non hominum, et voluntas fornicandi intelligitur de peccato com una solum. Quare regulariter existimo, concludit idem A., explicandum esse in praxi numerum personarum, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem. A. supponere videtur, secus confessarium positive induci in errorem. Cfr. Tr. de Sacr. Poen.

117. II. Jam itaque de ipsis actibus peccaminosis, qui physice saltem supponuntur plures, quaeritur, quandonam sint, necne numero distincti?

---

(1) Negantes, i. e. contendentes in hypothesi multiplicari numero peccata, haec *obiecta totalia* dicunt. Alii vero obiectum totale dicunt id, quod voluntas uno suo actu comprehendit et intendit (cfr. n. 120, Reg. III); ita ut in exemplis allatis odium, occisio plurium simul hominum sit unum obiectum totale.

(2) Gury I. n. 162, III. 8°.

(3) De Poen. Disp. 16.

(4) Ib. n. 140 sq.

Ad hoc respondetur iis, quae in Assertione sequuntur. Ex duplici nempe capite haberi potest distinctio numerica seu pluralitas actuum, consequenter peccatorum; sc.:

1° per interruptionem actus interni, vel

2° per disparationem actuum externorum.

Quoad hos posteriores ex utroque capite sumitur distinctio numerica.

§ I. *De interruptione actus interni.*

118. In mere internis peccatis quidem physica interruptio sufficit; i. e. non requiritur revocatio, sed multiplicantur actus et peccata mere interna, quoties vel *voluntarie interrupta* repetuntur, vel aliqua *mora intercedit*, ita ut posterior actus a priori nullo modo dependeat, seu ex eadem passionis impulsione iam non procedat. Huiusmodi actus sunt v. gr. odium, haeresis, invidia; item inefficacia desideria et delectationes morosae.

Advertunt tamen Doctores, plerumque impossibile esse eiusmodi internorum peccatorum, quae per aliquod tempus repetita fuere, numerum scire, et consequenter explicari non posse in confessione; sufficit ergo explicare moram temporis, qua quis in tali mala voluntate perstitit, v. gr. integro anno in odio contra proximum perstiti: saepissime, cum memoria inimici recurreret, actus odii, invidiae renovavi. Imo hoc universaliter verum est; cfr. Tr. de Sacr. Poen.

De interruptione pravi propositi dicetur in ea, quae proxime sequitur

§ II. — *De pluralitate actuum externorum.*

119. In externis vero peccatis morali tantum distinctione actuum distinguuntur numero peccata. Et imprimis

I. Secundum moralem tantum interruptionem actus interni, i. e. propositi. Actus autem internus efficax, de quo solo hic agitur, tamdiu censetur idem numero continuari vel durare moraliter, quamdiu non est revocatus formaliter vel interpretative.

1° *Formaliter* revocatur *per actum contrarium* aut nolitionis efficacis, aut saltem simplicis displicentiae vel aversionis.

2° *Interpretative* revocatur *per cessationem voluntariam*, quando nim. voluntas reflectens super priorem actum, i. e. propositum malum aut a) negative se avertit, aut b) ad actum incompossibilem se divertit; ut si proposuisses hodie exire ad fornicandum, occidendum etc. et memor hujus propositi, domi maneas, aliud agas vel cubitum te conferas, idque absque animo postea propositum exequendi; — sed

3° Quaeritur, utrum malum propositum interrumpatur etiam quandoque moraliter per cessationem *involuntariam* seu moram notabilem?

Respondeo cum Aertnijs l. n. 225, II: Probabilius videtur distinguendum hoc modo.

1° Si virtualiter *permanet in aliquo effectu* conducente ad opus intentum, puta in quaerendo et adhibendo media executionis, per quantumlibet tempus duret, unum solum peccatum constituit, [seu] primum propositum *moraliter continuatur*.

2° Si *in nullo effectu continuatur, moraliter interrumpitur* post notabile intervallum, puta, ut S. Alphonsus aestimat, post duos vel tres dies, ordinarie loquendo, quia impetus passionis difficulter diutius protrahi potest. Hinc qui in tali proposito ultra id tempus perseverat, explicare debet tempus, quo in illo perstitit, ut moraliter intelligatur numerus actuum.

Dixit: *ordinarie loquendo*. Quocirca recte observat Gury l. n. 162, 2°: idem propositum maiori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate, necnon pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis etc. — Observari praeterea potest, quodsi propositum saepius *confirmatum* fuerit potius quam renovatum, idem numero perdurare posse per longissimum tempus absque ullo effectu externo.

Secundum praedicta intelligendum est id, quod notat De Lugo l. c. n. 545, de interruptione extraordinaria, quae quidem tollit unitatem moralem actionis humanae, quantumvis non revocetur intentio. Si enim, ait, ex intentione Petrum occidendi, eum quaeras, et scias fuisse alio profectum, et reversurum post mensem, et tu decernas eum occidere, cum redierit: tunc certe, licet non revoces intentionem, adhuc occisio post mensem non faciet unum peccatum cum voluntate praeterita. — In quibus exemplum adductum videtur minus ad rem, conclusio vero videri potest omnino praeter rem, de qua agitur. Etenim loquitur ibi A. de *peccatis externis* interru-

ptis; sed enim 1° quod inimicum quaesivisti, est quidem *actus* externus, sed secundum communiorem et probabiliorem non est proprie *peccatum* externum; 2° cum *voluntate* praeterita illa occisio post mensem sat facile una cogitari potest. — Aliud foret, si inimicum graviter vulnerasses, sed tunc occidere non valens executionem propositi ad mensem distulisses. Cfr. n. sq. Reg. II. 2°

Quodsi vero malum propositum *reipsa executioni datum* est, praeter dicta hoc numero attenda sunt ea quae in Assertione (n. 115) habentur de secunda causa distinctionis numericae seu pluralitatis actuum, sc.:

II. Et secundum moralem tantum coniunctionem vel disparationem actuum externorum. 120.

Qualiter autem actus physice multiplicati, sive interne sive externe, morali coniunctione vel disparatione constituant unum vel plura numero peccata, pro re difficili et maxime morali en tibi quatuor distinctae regulae.

Regula I. Intento et durante eodem actu externo circa idem obiectum

1° Idem numero peccatum censetur, quando *solus* actus *internus* saepius, physice interruptus, *repetitur*. Ex gr. Titius succumbit tentationi carnis, consentit, efficaciter proponit, pergit; interim dum fervet opus, hanc suam malam voluntatem millies repetit, numquam tamen revocat: semper manet idem numero peccatum. — Contra

2° Plura et tot numero peccata censentur, quando et quoties *propositum* peccandi formaliter vel interpretative *revocatur*, modo explicato n. pr. — Quare numerus eiusmodi actuum est explicandus in confessione, quando et in quantum moraliter fieri potest. Quod quidem facilius est, si etiam actus externus non completus (cfr. Reg. sq.) fuit repetitus.

Regula II. Durante uno eodemque passionis impetu

1° Idem numero peccatum moraliter censetur, quando multiplicantur vel *brevi* ad summum intervallo interposito *repetuntur soli* actus *externi in sua specie non consummati;* quibus quoad hoc aequiparantur peccata oris. Ex gr. qui eodem actu interno, eodem commotionis impetu alterum saepius verberat, unum tantum peccatum committit; item qui eodem motu et impetu saepius blasphemat, peierat, maledicit vel detrahit.

2° Plura censentur peccata, quando quis vèl per intervalla *longiora* actus externos repetit, v. gr. iterato accessit ad percutiendum, blasphemandum etc; vèl committit peccata *in sua specie consummata,* v. g. plures occidit, pluries fornicatur. Cfr. Reg. IV.

Circa priorem huius resolutionis partem observa 1°. Non omnino impetus passionis non omnino sedatae et iterum refervescentis aequiparandus est actui voluntatis efficaci seu proposito; hoc enim posteriori facilius quam illo priori, ut videtur, actus externi uniuntur. 2° Ad hoc ut plures actus externi censeantur unum peccatum, non semper sufficit unitas actus interni; requiritur insuper unio moralis inter ipsos actus externos. Cfr. De Lugo l. c.

Regula III. Quando plures vel pluries repetiti actus tam interni quam externi ordinantur ad eumdem actum principalem,

1° Unum numero peccatum commissum censetur, si *èt natura sua* illi actus ad principalem actum intentum *ordinantur, èt de facto* ad eum *perveniunt.* V. gr. Qui intendens furari integram bibliothecam vel supellectilem per totam noctem saepissime renovatis actibus internis et iteratis ablationibus, etiam singulis ad mortale sufficientibus, furtum complet; — qui volens occidere inimicum plurimos exercet actus odii, irae, vindictae; plurimos quoque exercet actus externos, deprehensum inimicum verbis infestat, provocat, iterato ferit, tandem occidit; — volens fornicari quot distinctos actus internos exercet et agitat, quot etiam externos, verba impudica, sollicitationes, tactus: — omnes tamen illi actus interni et externi una cum ipso actu principali unum tantum numero peccatum constituunt, ita ut sufficiat confiteri actum principalem.

Hanc regulam Doctores communiter extendunt ad actus malos ipsum actum principalem concomitantes vel immediate subsequentes tamquam accessoria vel complementa, uti gaudium vel complacentia de actu consummato, colloquia, oscula, tactus etc., sequentes actum venereum absque intentione vel ordine ad novam copulam.

2° Distincta ab actu principali sunt peccata

a) Actus accedentes ad actum principalem *natura sua non ordinati* vel *alias diversam malitiam continentes;* ut si occidas adhibito maleficio; si ad finem fornicationis obtinendae usus es mediis magicis.

b) *Actus consummatus* accedens, si hic *ab initio non* fuit *intentus;* ut si accedens ad feminam ex sola intentione osculandi vel tangendi, de facto eam cognovit. Aliud foret, si accessisset cum intentione vaga turpiter agendi.

c) *Actus praevii si quacumque de causa non sequitur actus principalis intentus.* — Et communiter quidem docent, hoc actus praevios in casu esse etiam singulos inter se numero distinctos. Sed contrarium cum nonnullis recentioribus indico probabile. Non enim intelligo, qua ratione actus, qui unum constituebant dum ponebantur, postea iterum disiungantur.

Regula IV. Actus completi repetiti, i. e. peccata operis in sua specie consummata, semper sunt disparati.

Solum controvertitur, num idem numero peccatum censeatur, quod committitur circa actiones ex natura vel institutione sua integratas ex pluribus actibus *coniunctis*. Ex. gr. celebrans in peccato mortali non tria vel quatuor, ut alii volunt, sed probabiliter unum tantum peccatum mortale committit. Idem dicendum de sacerdote, qui, dum est in statu peccati, *una vice* et intentione notabiliter non interrupta se exponit excipiendis confessionibus, aut distribuendo sacramento Eucharistiae; quod ultimum (posita sententia, etiam hoc esse mortale) nonnulli etiam eorum, qui alias negant, concedunt esse unum tantum peccatum.

CAPUT QUARTUM.

PECCATORUM DIVISIONES (1).

Peccatum personale et actuale ulterius divi- 121.
ditur:

1° Quoad materiale in peccatum *commissionis* et *omissionis*.

2° Quoad formale seu reatum culpae in *mortale* et *veniale*.

3° Quoad subiectum peccati in *internum* et *externum* seu peccatum *cordis*, *oris* et *operis*.

4° Quoad causam peccati in peccatum ex *ignorantia*, *infirmitate* et *malitia*.

---

(1) Sporer, n. 253 sqq.

3° Quoad obiectum contra vel circa quod peccatur, in peccatum *contra Deum, proximum* et *seipsum,* prout violantur officia Deo, proximo vel sibi debita.

6° Peccata *spiritualia* dicuntur, quae consistunt in inordinata delectatione spirituali vel animali interna, ut superbia, avaritia; *carnalia* dicuntur, quae consistunt in concupiscentia et inordinata delectatione externa, ut gula et luxuria.

ARTICULUS I.

DE PECCATO OMISSIONIS.

Omissio potest esse voluntaria directe, cum quis directe et ex proposito vult omissionem; vel indirecte, cum quis directe et ex proposito solum vult actum aliquem incompossibilem cum executione actus debiti.

122. **Assertio.** Peccatum omissionis purae possibile *physice, moraliter* fit cum actu positivo, scilicet voluntate omittendi vel alio actu, qui causa omissionis fore praevidetur, quos solos et sua tantum malitia inficit, non item alios actus mere concomitantes.

I. Peccatum purae omissionis possibile physice; hoc est: simpliciter et physice potest dari pura omissio libera et culpabilis absque omni actu positivo moraliter afficiente omissionem. Ita Scotus cum suis et aliis. Ratio est: quia voluntas libera est non tantum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Posito ergo dictamine, v. gr. Sacrum audiendum esse, poterit voluntas mere suspendendo omnem actum et negative se habendo non velle. Atqui eadem est ratio de omissione externa v. gr. Sacri. Nam aliquis die festo studio vacans et interim audito signo recordatus obligationis, potest absque omni actu positivo de Missa audienda, simpliciter pergendo in studiis Sacrum negligere.

Ceterum nota 1°: evidens est, omissionem praesertim externam semper coniunctam esse *cum* alia actione, si actio late sumatur etiam pro somno, quiete; dum enim quis omittit Sacrum, interim necessario aliquid facit, non tamen necessario aliquid facit, *propter quod* velit omittere sacrum. Et 2°

II. Moraliter fit cum actu positivo, sc. voluntate omittendi vel alio actu, qui causa omissionis fore praevidetur. Ita enim ordinarie fieri satis experientia probat, idque solum probant auctores adversarii, et vult S. Thomas (1).

Quaestio hic solum est, *quando* fiat peccatum omissionis, num eo tempore quo ponitur causa omissionis, an quando praeceptum est implendum?

Resp. Contrariae sunt sententiae Doctorum. Sed utraque sententia in suo sensu vera est. Nam

1° Certum est apud omnes, peccatum omissionis formaliter inchoari — i. e. reatum culpae contrahi — eo tempore quo ponitur voluntas omittendi vel causa omissionis, et *saltem materialiter compleri*, quando fit omissio.

2ª Certum est apud omnes, peccatum omissionis a) *etiam formaliter* durare et consummari eo tempore, quo fit omissio, quando eousque *et* manet in potestate hominis implere praeceptum, *et* mala voluntas directa vel indirecta omittendi revocata non fuit. — b) *Non vero formaliter* consummari, quando tunc non est amplius in potestate hominis implere praeceptum, *et antea* voluntas mala revocata iam fuit. Sed

Quid 3° si, *posita impotentia* praeceptum implendi voluntarie causatâ, *mala voluntas non est retractata?*

Resp. Contra alios, qui absolute affirmant in hypothesi formaliter consummari peccatum, Sporer distinguit, utrum quis *potuerit, necne* revocare. — Equidem quaestionem magis practice considerando, et quaerendo utrum, necne omissio in confessione sacramentali exprimi debeat, potius sentio neque a revocatione neque a facultate revocandi rem dependere, sed *a morali temporis coniunctione* inter positionem causae impedientis et ipsam omissionem. (Cfr. n. 98 sq.) Consequenter puto peccatum aeque compleri si minus formaliter saltem moraliter in eo, qui die festo se confert ad potationes vel somnum praevidens se necessario omissurum Sacrum, sive nondum, sive iam dormiens vel plene ebrius

(1) Cf. *Kazenberger*, Assertiones Centum Ioannis Duns Scoti (Quaracchi 1906), Ass. XLI et XLII; *Frassen*, Scotus Academicus (Romae 1900-1902), tom. 5, pag. 425 ss.

omittat. Quodsi non solum pro tempore praesente sed etiam sequente, adeoque pro pluribus vicibus quis impotentiae causam posuit, recurrit quaestio de distinctione numerica peccatorum ex multiplicatione obiectorum (n. 116), et puto esse unum peccatum. Cfr. De Lugo l. c. n. 491 sqq.

III. Quos solos et sua tantum malitia inficit. *Neque tamen* hi actus ullo modo specie vel numero *distinctum* ab ipsa omissione peccatum constituunt. Ratio: quia secundum se nullam, ut supponitur, habent malitiam peccati, sed praecise relative ad omissionem. Sufficit ergo in confessione dicere omissionem, tacendo causam, si haec aliunde non est peccaminosa.

ARTICULUS II.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

123. **Assertio I.** Peccata non sunt omnia aequalia (1); nec omnia mortalia, sed aliqua venialia, etiam ex natura sua (2). Certa et orthodoxa doctrina.

Peccata non sunt omnia aequalia, nim. in gravitate quoad propriam malitiam. Ad dignoscendum autem, quae peccata aliis graviora sint, accipe breviter has regulas:

1ª Peccata per se et intrinsece mala ceteris paribus graviora sunt quam peccata solum ex prohibitione legis mala.

2ª Inter peccata per se et intrinsece mala graviora sunt, quae adversantur maiori bono seu obiecto nobiliori.

3ª Inter peccata ex prohibitione legis tantum, illa graviora sunt, quae adversantur praecepto maioris momenti.

4ª Universaliter ceteris paribus maius peccatum est, quod opponitur maiori seu nobiliori virtuti.

---

(1) Cf. *S. Thomas* 1. 2 q. 73 a. 2 ss.; *Scotus* apud *Hieronymum a Montefortino*, ibid.

(2) Cf. *Conc. Trident.* sess. 6 cap. 11 et 15, can. 25 et 27; sess. 14 cap. 5 et can. 7: Denz. n. 687 ss.; *Baii* damnata propos. 20: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam:* Denz. n. 900. Vid. Summa theologica *S. Thomae* et *Scoti* (ut supra) 1. 2 q. 88 aa. 1 et 2.

Assertio II. Peccatum mortale est defectus contra legem vel praeceptum, cuius observantia necessaria est simpliciter ad conservandam gratiam et salutem finalem consequendam. Veniale vero est defectus contra legem vel praeceptum, cuius observatio non simpliciter necessaria est, sed tantum secundum quid, ad melius vel citius consequendam salutem finalem. Seu brevius: peccatum mortale avertit a Deo ultimo fine simpliciter, veniale nonnisi secundum quid. 124.

Secundum obiecta distinguuntur peccata: 125.

1° Mortalia ex genere suo toto, quorum materia naturà suà parvitatem seu levem quantitatem excludit. Qualia sunt ea, quibus directe laeditur perfectio Dei infinita, aut bonum quodvis magnum et indivisibile.

2° Mortalia ex genere suo, quorum gravitas pendet a quantitate materiae. Sunt ea quibus laeditur bonum finitum et divisibile.

3° Venialia ex genere suo, quae, quantum est ex natura et obiecto suo, ita levis sunt malitiae, ut seclusà malitià alterius speciei non possint excrescere in peccatum mortale.

Regulae intrinsecae distinguendi peccatum mortale et veniale.

1ª Mortale est omne peccatum cedens in gravem Dei seu honoris et cultus Deo debiti iniuriam,

2ª Mortale est omne peccatum cedens in grave nocumentum spirituale vel corporale proprium vel proximi; si leve est nocumentum, veniale censeri debet.

Regulae extrinsecae:

1ª a) *Omnia* peccata *contra praecepta divina* in materia gravi mortalia sunt; in materia levi, si detur, venialia. — b) Peccata vero *contra praecepta humana tunc solum* sunt mortalia, quando concurrunt *et* materia gravis (ex obiecto, fine vel circumstantiis) *et* intentio legislatoris volentis obligare sub mortali.

2ª Quando ex terminis praeceptorum vel Scripturae sacrae non constat de peccati gravitate, recurrendum est ad Traditionem, vel iudicium Ecclesiae manifestatum per damnationem propositionum, vel constantem et uniformem doctrinam Doctorum.

3ª Quando ex nullo dictorum criteriorum constat aliquod peccatum esse mortale, gravis malitia non est adstruenda.

126. I. Ad omne peccatum, sive mortale sive veniale, requiruntur:

1° aliqua lex obligans, 2° aliqua advertentia, 3° aliquis consensus.

II. Ad peccatum mortale requiruntur:

1° materia *gravis* (cfr. n. pr.), 2° *plena* advertentia, 3° *perfectus* consensus.

Ratio 1ª, quia materia undequaque levis non est capax obligationis gravis. Ratio 2ª et 3ª, quia ad peccatum, quo homo simpliciter avertatur a Deo, et aeternam poenam mereatur, utique requiritur actus moralis perfectus.

III. Ad peccatum veniale sufficiunt advertentia et consensus semiplena seu imperfecta. — Quae explicantur sequenti

§ I. — *De peccato mortali vel veniali per accidens.*

127. **Assertio I.** Peccatum mortale ex genere suo fit veniale in individuo potissimum quatuor modis: *ex conscientia erronea, ex causa excusante, ex imperfectione actus et ex parvitate materiae.*

I. Ex conscientia erronea. Cfr. dicta de ea in Tr. II.

II. Ex causa excusante. *Regula generalis:* quaecumque causa, potens excusare a peccato in toto, in modico sui defectu excusat a mortali, et veniale constituit.

III. Ex imperfectione actus. Cfr. n. pr. II et III.

A.) Advertentiae imperfectae *signa et coniecturae:*

Si tenuiter et quasi semidormiens apprehendisti, aliquid esse malum; si vere semidormiens vel semiebrius fuisti; si vehementissima passione, distractione, apprehensione turbatus fuisti; si post factum rem melius considerans iudices, te omnino non fuisse facturum, dummodo ita apprehendisses vel cognovisses, dummodo plene vigil, sobrius, mente pacata fuisses.

Eadem consequenter generalia sunt signa imperfecti *consensus.*

B.) Consensus semipleni *coniecturae et signa specialia:*

Si ita dispositus fuisti, ut licet facile potueris exequi peccatum, tamen non sis executus; si statim reflectens super priorem actum, sentis tristitiam, aversionem, horrorem aliquem; si animum et propositum firmum saepius innovatum habeas numquam peccandi mortaliter, aut malis mori quam peccare mortaliter, in dubio recte praesumis te non consensisse, saltem non plene in peccatum. Denique in dubio non praesumitur consensisse vir timoratae conscientiae aliasque peccatum abhorrens; secus si sit homo perditis moribus.

Quid de eo, qui *deliberat de consensu* dando vel negando? Resp. *Supposita plena advertentia* ad gravem malitiam rei propositae, qui deliberata voluntate anceps haeret, *eo ipso iam graviter peccat.* Ratio: quia deponit absolutam voluntatem, qua tenetur Deum eiusque amicitiam omnibus praeferre. Verum post factum plerumque dubitabitur, num adfuerit perfecta deliberatio, an solum aliqua negligentia in repellenda tentatione.

IV. Ex parvitate materiae. Ex hoc capite venialia evadere possunt solum peccata mortalia ex genere suo non toto. Cfr. n. 125 et pro ratione n. 126, II.

Regula I. Quantitas magna et parva in materia peccati mortalis sufficiens vel excusans prudenti iudicio desumenda est ex tribus:

1° ex *ipsa re secundum se* spectata,

2° ex *comparatione ad totum* quod praecipitur,

3° et principaliter ex *ordine ad finem* praecepti. — Ad 2m

Regula II. In materia peccati mortalis tertia vel quarta pars cuiuscumque totius notabilis est, ideoque adhuc mortalis, nisi ipsum totum sit exiguum, v. g. unius Horae parvae Officii divini. Minor quam quarta pars non est notabilis, nisi secundum se sumpta valde notabilis sit, aut valde officiat fini intento praecepti, v. g. Nocturnum in Officio.

Specialia dubia et difficultates hac in re notabimus in decursu Theologiae specialis.

Assertio II. Peccatum veniale ex genere suo fit mortale in individuo, *ex conscientia erronea*, ut supra; *ex fine vel effectu malo; ex periculo; ex scandalo; ex contemptu; ex ultimo fine constituto.* 128.

I. Ex contemptu sc. formali i. e. ipsius legis vel legislatoris, praecepti vel praecipientis. Est peccatum speciale formalis inobedientiae.

Ex contemptu *formali* legis vel superioris respective peccat, qui aliquid facit vel omittit, ideo quia prohibitum vel praeceptum est, vel qui non vult subesse huic superiori.

Ex contemptu *materiali* agit, qui praeceptum transgreditur, quia rem praeceptam parvi aestimat; vel qui indignatione quadam et aversione erga ipsum hominem talem movetur ad praeceptum eius transgrediendum. Practice tamen quoad hoc posterius valde periculosum est, ne subrepat contemptus etiam formalis ipsius potestatis in tali persona contempta residentis.

II. Ex ultimo fine constituto, quando nim. agens *actu* paratus est quodcumque vel tale praeceptum grave transgredi, potius quam ab agendo desistere. Quod aliquando quidem fit explicite, aliquando vero et saepius implicite, ut dum quis quiddam acturus suborto dubio, annon graviter peccet, nihilominus facit vel pergit.

Reliqua, quae in Assertione, satis ex ipsis terminis intelliguntur. Intelligitur quoque pleraque ex dictis de peccato veniali transeunte in mortale eodem modo dici posse de *actibus indifferentibus*.

§ II. — *De peccatis venialibus multiplicatis.*

129. **Assertio I.** Peccata venialia omnino disparata *absque omni morali connexione in materia vel effectu*, quantumlibet multiplicata, ratione solius multiplicationis nullo eventu possunt fieri peccatum mortale.

Ratio est: quia sola multiplicatio non variat propriam rationem peccati in aliam rationem diversam; atqui ratio peccati mortalis *adaequate* sumpta omnino diversa est a ratione peccati venialis (1).

---

(1) De quaestione utrum *peccatum* praedicetur univoce seu tamquam verum genus tam de veniali quam de mortali, an vero analogice tantum, recolatur *definitio* peccati et videatur *S. Thomas* 1. 2. q. 88 a. 1 ad 1; *S. Bonaventura* Sent. 2 d. 42 a. 2 q. 1 (Quaracchi 1885, tom. 2 pag. 964 ss. et Scholion ibid. 966 s.); *Scotus* pluribus locis collectis a *P. Hieronymo a Montefortino* 1. 2 q. 88 aa. 1 et 2 (Romae 1900-1903); *Frassen*, Scotus Academicus (Romae 1900-1902) tom. 5 pag. 434 ss.

Assertio vera est, *etsi* eiusmodi peccata venialia multiplicata *sub una intentione* principali unirentur; v. gr. in proposito quotidie quacumque occasione leviter mentiendi, quotidie in quadragesima extra tempus modicum quid comedendi. Ratio est, quia propositum non potest esse maioris malitiae, quam sunt actus intenti.

Eadem ratione *non erit mortale, si quis multos inducat ad venialia;* ut si efficias, ut multi eodem die modice ieiunium frangant, vel eodem die festo modice laborent sive simul sive successive. — At aliud est de eo, qui ipse eodem die *pluries* ieiunium vel requiem festivam modice laederet, secundum assertionem sequentem.

Fatentur tamen omnes peccata *venialia multiplicata tandem disponere ad mortale.* Et experientia nimis notum est, eum qui facilis est in multiplicandis venialibus, paulatim declinare in mortalia, sive eiusdem materiae, — quod quidem periculum gravius est — ut assuetus furtis parvis tandem audet maiora, incantus in aspectu, lectione, locutione, tactu turpi, sensim declinat in deteriora; sive diversae materiae, ut assuetus multiplicare mendacia, declinat in periuria; deditus intemperanter potui, lusui, in nescio quae flagitia.

Quam ipsam ob rationem plures docent peccare mortaliter eum, qui proponeret committere omnia venialia, quae committenda occurrrent, et sola mortalia vitare. Probabilior tamen videtur opposita sententia. Ratio est, quia malitia actus interni sumitur ab obiecto, prout proponitur a ratione. Neque verum est, venialia esse ita proximas dispositiones ad mortale, ut quis volendo multiplicare venialia semper debeat vel possit censeri velle aliquod mortale. — Verum contrariae opinioni eiusque rationi hoc quidem concedendum est, excipienda hic esse venialia illa, quae in certa materia, luxuriae praesertim, revera sunt dispositiones proximae, proximumque inducunt periculum ad mortale. Apertissimum enim esset libidinis mortalis periculum, si quis ex proposito admitteret quasvis confabulationes, aspectus, tactus, quoties de se veniales sunt.

Assertio II. Peccata venialia multiplicata tandem mortale efficiunt, quando habent inter se moralem connexionem *ratione materiae concrescentis vel effectus alicuius causati sub aliqua una directa vel indirecta voluntate.* Ratio patet ex supposito, morali sc. connexione. 130.

Materia autem coalescit generatim, quando leves transgressiones multiplicantur contra unam eandemque numero obligationem, et maxime in plerisque peccatis contra iustitiam.

Ratione effectus causati casus adesset, si quis v. gr. post plures excessus in cibo vel potu tandem adverteret, necessario graviter laedendam valetudinem etiam modico insuper excessu; item in eo, qui saepius iterat leves detractiones, convitia, vexatiunculas, si adverteret tandem alium vel alios excitandos ad gravem iracundiam, lites, scandala.

ARTICULUS III.

DE PECCATIS INTERNIS.

§. 1. — *De motibus ad malum generatim.*

131. **Motus** generatim dicuntur passiones seu alterationes quaedam excitatae in homine et brevi transeuntes. Alii sunt *mere naturales*, de quibus hic non est sermo. Alii sunt *sensuales*, qui ex apprehensione potentiae imaginativae seu phantasiae circa obiectum delectabile vel contrarium sensibile excitantur in appetitu sensitivo; sunt communes homini cum brutis (1). Alii denique sunt *rationales*, qui ex cognitione ipsius intellectus circa obiectum conveniens vel disconveniens, sive sensibile sive quodcumque aliud, excitantur in ipsa voluntate; utpote motus amoris, odii, delectationis, tristitiae, irae.

Omnes quoque hi motus secundum se naturales sunt et indifferentes; morales, boni vel mali, fiunt per ordinem ad rationem et voluntatem. Quo sub respectu alii

I. Motus primo primi sunt, qui naturaliter excitantur in appetitu sensitivo vel ipsa voluntate ante omnem tamen advertentiam vel deliberationem rationis superioris, quatenus scilicet sunt mali, inhonesti vel prohibiti. Hi ergo motus primo primi, cum nullo modo sint voluntarii, nullo modo peccata esse possunt; homo eos *sentit*, sed voluntas non vel nondum *consentit*. — Alii

II. Motus secundo primi sunt, quibus accedit aliqualis quidem sed imperfecta tantum et semiplena advertentia ac deliberatio rationis superioris. Cfr. n. 127, III. Hi ergo motus veniales tantum sunt. — Alii

III. Motus secundi sunt omnino deliberati, qui post plenam advertentiam a voluntate pleno ac libero consensu *admittuntur*, aut etiam quod deterius est ex proposito et directo imperio *excitantur*.

---

(1) Sunt autem *sex* in appetitu sensitivo *concupiscibili:* amor et odium, desiderium et fuga, delectatio (gaudium) et dolor (tristitia); *quinque* vero in *irascibili:* spes et desperatio, timor et audacia, atque ira. Cf. Summa theol. 1. 2 q. 22-48, ubi abundans doctrina theoretice valde pulchra, atque non minus utilis practice.

Illi motus ita admissi vel quaesiti, utpote liberi et directe volontarii in materia mortali peccccata mortalia sunt.

Quod si hic sistatur, erit delectatio morosa; de qua infra; si vero ulterius in opus tendatur, erit propositum vel desiderium, de quo est § seq. In hac partitione gaudium comprehenditur sub delectatione. — At recentiores plerique post S. Alph. peccata interna tripliciter partiuntur, ita quidem ut desiderium respiciat tempus seu peccatum futurum, gaudium praeteritum, delectatio morosa praesens. Illa partitio philosophice rectior; haec praxi aptior, quam et in sequentibus resolutionibus sequemur.

Desiderium et gaudium iisdem principiis reguntur; hinc

§ II. — *De desiderio et gaudio.*

Desiderium distinguitur *efficax* seu absolutum, et *inefficax* seu conditionatum, prout absolute vel conditionate rei malae executio proponitur.

Gaudium hic intelligitur deliberata complacentia de re illicita iam patrata.

Resolutio I. Desiderium efficax *seu propositum absolutum* et gaudium de re quacumque mala, sive intrinsece sive extrinsece tantum, est semper malum pro ratione materiae, induitque malitiam omnem cognitam actus, in quem fertur; sc. non solum malitiam ex obiecto, sed *etiam ex circumstantiis.* 132.

Ratio est, quia voluntas fertur in actum ponendum vel positum a parte rei; consequenter abstrahere non potest a malitia vel prohibitione ulla, aeque minus ac ipse actus externus.

Resolutio II. Idem resolvendum de desiderio inefficaci seu proposito sub conditione tali, quae nullo modo aufert malitiam actus. Ratio est, quia talis consensus, etsi conditionatus, ponit tamen in voluntate actualem affectum committendi tale peccatum. Cfr. n. 135, 2°. 133.

Resolutio III. Idem pariter resolvendum de desiderio proprie dicto circa rem quamvis intrinsece malam, sub ea conditione, quae auferret quidem malitiam, sed impossibilis est, nim: si non esset peccatum. Ratio est, quia haec conditio, utpote impossibilis, revera non aufert malitiam actus; consequenter relinquit in voluntate actualem affectum in rem malam. Praeterea ita conditionate velle idem est ac velle, ut ordo naturae ipsaque natura rerum immutetur, quod ipsum malum est. 134.

135. Ad resolutiones II et III advertendum: 1° fieri posse, ut locutione seu cogitatione conditionata non exprimatur affectus voluntatis actualis in malum per modum optantis, sed solum per modum enuntiantis significetur propensio voluntatis in talem actum prohibitum, quae in consensum traheret, nisi turpitudo peccati vel offensa divina absterreret. Et tunc constat, non esse peccatum, quin potius propensio in peccatum sancto motivo reprimitur. Sed tunc neque habetur desiderium proprie dictum.

2° Si desiderium inefficax concipitur circa actionem malam *in abstracto* sumptam, sat facile intellectus et voluntas a circumstantia mala abstrahere potest; si vero circa actionem quamdam *individuam* versatur, fieri potest, ut circumstantia aliqua mala ipsa sit ratio ob quam ad desiderium efficax non procedatur. V. gr. libenter rem haberem cum aliqua femina pulchra; cum illa femina, nisi esset mihi consanguinea. In gaudio autem, maxime si est de alieno peccato, fieri potest, ut ad diversas circumstantias nullatenus advertatur. — In quibus casibus illarum circumstantiarum malitia non contrahitur (1). Pro ratione cfr. n. sq.

136. **Resolutio IV.** Licita sunt desideria inefficacia seu proposita conditionata sub conditione revera auferente malitiam actus propositi per intellectum, etiam de iis, quae sunt intrinsece mala, ita tamen ut in aliquo statu vel casu possint esse licita, si haec nim. desiderentur sub conditione talis status vel casus. Ratio est, quia actus isti inefficaces non tendunt in actum externum ut ponendum a parte rei, sed praecise ut proponitur per intellectum i. e. sub conditione purificante.

Attamen eiusmodi actus, nisi bono aliquo fine vestiantur, ordinarie ut minimum otiosi sunt; et si versantur circa prohibita iure naturali, sunt etiam plerumque periculosi; idque maxime in materia luxuriae. Periculum sc. est, ne eiusmodi actus inefficaces procedant ex actuali voluntate absoluta peccaminosa: tali enim in casu conditio purificat quidem actum ex parte *obiecti*, sed non rectificat pravum affectum ex parte *subiecti*. Qua ratione sine dubio peccares mortaliter, si actuali libidinoso affectu in puellam diceres: hanc vellem amplecti, si mea uxor esset. Idem esset, si ex actuali iniusto odio in inimicum diceres: hunc occiderem, si iudex essem. — Et in materia luxuriae, si talibus desideriis utut inefficacibus diutius immoretur, accedit periculum, ne ob notam et connaturalem

(1) Cfr. Lehmkuhl. I n. 244.

sympathiam potentiarum influant in commotionem veneream, non sine novo mortalis culpae periculo proximo, et hanc ipsam ob causam non sine peccato.

Quibus in casibus, si minus per desiderium, peccabitur per delectationem morosam. — Aliud est de iis, quae quamvis in praesenti statu illicita, tamen nec secundum se, nec prout delectant, illicita vel inhonesta sunt. Cfr. n. 144, 3°.

Resolutio V. 1. Illicitum est delectari vel gaudere de re (de actione praeterita, etsi fuerit solum) materialiter mala secundum se; i. e. non licet approbare seu gaudere, quod malum contigerit. Idemque est de desiderio absoluto, ut sc. malum materiale contingat. 137.

Ratio et regula generalis est: quoties causa, quae factum exterius a peccato excusat, non item reperitur in ipso gaudio vel desiderio, haec culpa non vacant. — Aliud proinde est de iis, quae per se mala, per accidens neque obiective mala sunt, uti ablatio rei alienae in extrema necessitate, occisio ob necessariam defensionem.

2. Non item sub aliqua ratione boni. Sc. non tantum *licet approbare et inefficaciter desiderare* rem materialiter malam reduplicative, i. e. *quod materialiter potius quam voluntarie* contigerit vel ut ita contingat; — sed etiam *gaudere* licet *de effectu bono secuto, et* de re mala *quatenus* (non quia) *causa fuit talis effectus*. Neque opus est hic quoad gaudium distinguere inter rem materialiter et formaliter malam; totum enim et solum obiectum simul et motivum gaudii, ut supponitur, sunt effectus bonus huiusque causatio; atqui in hisce nihil inhonesti reperitur.

Eodem modo ac de gaudio quoad effectum bonum huiusque causam plures resolvunt de *desiderio* inefficaci. Sporer vero hoc non admittit, sed solum licere desiderare, *supposita re mala*, eius bonum effectum. Sensus idem videtur, sed modus loquendi A. l. rectior. Difficulter enim in hypothesi intelligitur desiderium proprie dictum nisi absolutum: et de hoc loquitur A. l., sed et omnes hoc licere negant. V. gr. licet desiderare ut Petrus, *si* iterum furetur, puniatur, itaque emendetur; non vero *ut* iterum furetur, esto eo solo fine ut puniatur et emendetur.

Omnes quoque monent etiam hic cavendum esse periculum tum consensūs in ipsam rem malam praeteritam vel futuram, tum delectationis illicitae. Cfr. monitum n. 136.

§ III. — *De delectatione morosa.*

1. **Delectatio morosa** definiri solet simplex complacentia *voluntaria* de re illicita *sine intentione eam opere* 138.

implendi; ideoque sic dicta non a mora *temporis,* cum etiam fieri possit in instanti, sed a mora ac immoratione *consensus.* — Duplex est, rationalis et sensibilis.

2. Delectatio morosa *rationalis* — potius gaudium vel complacentia dicenda — est, quae exsurgit in ipsa voluntate ex cogitatione intellectiva rei illicitae. — Potest esse aut *speculativa* de ipsa cogitatione vel cognitione mali actus vel modi mirabilis; aut *practica* et de ipsa re vel actione illicita cogitata, ita ut obiectum formale et ratio delectandi sit ipsa res vel actio mala cogitata, cogitatio vero seu cognitio sit solum conditio applicans obiectum delectationis. — Item potest esse aut *absoluta* de re cogitata aut *sub conditione* aliqua.

3. Delectatio morosa *sensibilis* — et proprie delectatio dicenda — est, quae ex imaginatione phantastica rei vel actionis illicitae delectabilis exsurgit in appetitu sensitivo. — Quamquam etiam delectationem rationalem propter naturalem connexionem et sympathiam potentiarum ordinarie consequitur delectatio sensibilis, quando obiectum est appetitui sensitivo conveniens. Vice versa delectatio sensibilis ob eamdem rationem ordinarie seu potius semper allicit quidem consensum voluntatis, et non semel sed nec semper eumdem obtinet, quia voluntas suorum actuum est libera domina.

Et quamvis hac ratione delectationem rationalem et sensibilem de eadem re distinguere sit difficillimum, reipsa tamen distingui certissimum est, et sufficit posse distinguere in ratione voluntarii (morosae delectationis). Constat enim, saepe, delectante appetitu, non delectari sed tristari voluntatem; et vice versa de multis delectari voluntatem de quibus non delectatur, sed abhorret appetitus.

4. In delectatione ergo morosa hic fere processus esse solet. — 1° Voluntas vult vel permittit intellectum cogitare de re illicita. — 2° De re sic cogitata complacet vel gaudet, et haec est delectatio morosa rationalis. — 3° Voluntas etiam vult vel permittit phantasiam imaginari illam rem et per species sensibiles veluti praesentem reddere, ex quo naturaliter sequitur motus in appetitu sensitivo. — 4° Voluntas etiam vult vel permittit appetitum sen-

sitivum ita delectari, eamque delectationem acceptat, approbat, complacet; et haec est delectatio morosa sensibilis.

Resolutio I. Omnis delectatio morosa de obiecto malo est peccatum pro ratione materiae. Duo requiruntur: 1° consensus deliberatus, qui feratur 2° in obiectum ut malum apprehensum. 139.

I. Resolutio ita intelligenda est:

1° Peccatum est delectatio morosa rationalis practica, sive absoluta, sive sub conditione quae non aufert malitiam, vel impossibili « si peccatum non esset ». Cfr. dicta n. 133-135.

2° Peccatum est delectatio morosa sensibilis de obiecto malo, quod secundum se, et ut delectat sensum, imbibitam malitiam habet. Talia obiecta sunt v. gr. actus vindictae, furti, venereus.

Hisce praenotatis probatur resolutio:

II. Est peccatum; ratio pro utraque parte patet ex ipsa notione delectationis, de qua agitur, quae np. supponit consensum deliberatum in rem malam. — Ratio speciatim ad 2^m est, quia delectatio sensibilis, secus ac rationalis, semper absolute tendit in obiectum sensibile, nec ullam potest apponere conditionem; consequenter, si obiectum absolute malum sit, etiam delectatio necessario mala erit. Et licet conditio apprehensa ab intellectu purgare possit voluntatem, qualenus consentit in delectationem rationalem de obiecto apprehenso; non tamen potest purgare voluntatem, qualenus consentit in delectationem sensibilem.

III. Est peccatum pro ratione materiae: i. e. ut communiter dicunt, eiusdem speciei et gravitatis atque ipsum obiectum cogitatum. Sed

Quaer. 1° Num *semper* delectatio morosa illicita malitiam sumat ab obiecto cogitato? 140.

Resp. Generatim quidem, sed *non semper*.

Excipienda sc. est saltem, sed et sola ut videtur, delectatio venerea; et consequenter omnis delectatio morosa de actu venereo secundum se extra matrimonium.

Constat nimirum, delectationem veneream ipsam extra matrimonium esse graviter prohibitam. Sed delectatio morosa de cogitato actu venereo secundum se *praesupponit affectum* actualem et deliberatum erga delectationem veneream; cf. n. 136. Ergo solutis haec delectatio morosa illicita est et manet, quantumvis actus venereus cogitatur in statu et sub conditione, quae eum licitum redderent.

Dixi 1°: omnis delectatio morosa. Quamvis enim sunt AA. qui et hic distinguunt inter delectationem rationalem et sensibilem, mens eorum, si sedulo investigetur, non videtur alia nisi excusandi a peccato approbationem (solius voluntatis et mere speculativam) actus tum cogitati tum approbati solum ut liciti; sed in hoc iterum omnes consentiunt; ast talis approbatio non est ea delectatio morosa, de qua nos hic loquimur, ut mox patebit ad 3m.

Dixi 2°: de actu venereo: nim. non intelligimus hic omnem actum, unde delectatio venerea oriri nata est. Hos inter enim sunt plures, qui dicendi sunt vel non sunt venerei, prout ex affectu venereo vel alio quopiam procedunt; quales maxime sunt actus in se honesti uti oscula, amplexus.

Dixi 3°: de actu venereo secundum se, i. e. qua tali seu qua venereo. Non itaque peccaminosam dicimus aliam delectationem, rationalem sc. et magis speculativam quae vèl admittitur circa opus cogitatum solum ut licitum sive in futuro sive in praeterito, vèl quae alias non consequitur affectum deliberatum ad actum venereum qua talem.

Casus illicitae delectationis *non est* v. g. a) si sponsus delectetur cogitando de copula ut futura licita, vel viduus de copula ut licita in matrimonio fuit. Quamquam hic cavendum est periculum, ne ab una ad aliam delectationem transeatur. — Neque b) si sacerdos sciens virum onanistam esse conversum, cum gaudio cogitet copulam ab ipso, si habeatur, rite perfici. — At consideranti patet, in istis casibus obiectum delectationis proprie non esse opus cogitatum secundum se, sed vel eius futuram aut praeteritam permissionem, vel vitatum in praesenti eius occasione peccatum.

Contra, casus illicitae delectationis *esset*, si religiosus, sacerdos vel solutus quicumque sese supponeret licito coniugatum, itaque se copulam cum legitima uxore habentem; vel etiam copulam alienam inter maritum et uxorem cogitaret et de ea sic cogitata propter ipsam delectaretur.

In materia itaque venerea dicendum est, delectationem morosam talem, qualem diximus et exposuimus esse illicitam abstrahendo a licito vel illicito obiecti cogitati; aliis verbis eam esse prohibitam propter suam ipsius oppositionem cum virtute castitatis. — In confirmationem porro rationis superius allatae adduci potest connexio inter *hanc* delectationem morosam et ipsam delectationem veneream, vi cuius connexionis vix aliquantulum priori quis immorari potest, quin necessario sequatur et altera. Quae ratio sufficiens videri posset, tum ut absolute interdicta illa iudicetur omnibus, quibus delectatio venerea est prohibita; tum ut saltem in praxi reiiciatur ulterior, quam admisimus, distinctio inter delectationem rationalem et sensibilem.

In aliis autem materiis difficile erit reperire casum delectationis illicitae de opere ut licito cogitato. Quamquam in nonnullis cavendum erit periculum ne delectatio oriatur vel subrepat ex motivo seu affectu perverso v. gr. in cogitata vindicta licite sumpta de inimico. Cfr. n. 136. et 144, atque De Lugo l. c. sect. VI, § 4.

141. Quaer. 2°, in hypothesi delectationis morosae illicitae ex obiecto, num sumat etiam malitiam quoad circumstantias?

Resp. Negandum videtur, *nisi forte* delectatio circa ipsas quoque circumstantias versetur. Ratio est, quia delectatio morosa, cum non feratur in opus externum ut finem et terminum, sed praecise ut obiectum cogitationis praesentis, ideo solum tantum eius malitiae participat, quantum voluntas vult vel admittit: v. gr. quis morose delectatur de cogitata copula cum femina coniugata vel sibi consanguinea, non quia talis, sed *quia pul-*

chra est. — Et notant AA. esse circumstantias quasdam, quae retundere potius quam allicere affectum natae sunt; quales censentur quae in exemplo.

Quaer. 3°, in eadem hypothesi, num peccatum delectationis morosae 142.
semper speciem suam infimam sumat ex obiecto; an potius, vel quandoque saltem, speciem genericam tantum, sc. ex oppositione cum illa virtute generatim, cui opponitur obiectum? V. gr. quaeritur, utrum delectationes mere morosae de copula naturali et de copula sodomitica specie infima inter se differant, ita ut hanc differentiam in confessione exprimere necesse sit; an vero utraque generice tantum adversetur virtuti castitatis?

Resp. *Communiter AA. illud prius* vel docent vel saltem supponere videntur. *Sunt tamen qui negant*, vel dubitanter loquuntur. Equidem opinionem priorem per se probabiliorem habeo. — Dico *per se*, supposito sc. delectationem nasci ex affectu speciali *ad tale obiectum*, puta ad copulam sodomiticam potius quam naturalem. — *Sed quid*, si *ipse affectus* videatur potius generalis *sc. ad venerem generatim*, quam specialis ad tale obiectum, quamvis de facto de tali obiecto cogitatur? Nonne dici posset totum reatum esse in affectu ad venerem in genere? *Quid maxime*, si *ipsa delectatio venerea* ex cogitato obiecto orta non tam sit effectus quam ipse finis talis cogitationis? Nonne tunc obiectum cogitatum videri potest indifferens ad speciem infimam determinandam?

Hinc pro praxi probari posse puto id quod dicit Reuter, sc. cognito peccato mortali *saltem sufficere*, seu non ita certo et semper requiri, ut exprimatur suppositum cogitatum. Et haec ratio esse potest confessario, cur casu, quo interrogatio difficilior vel alias minus conveniens videatur, eo facilius et tutius transeat.

Pariter et in aliis materiis, quando obiectum cogitatur ut licitum et delectando solum peccatur ob pravum motivum, puto speciem peccati *potius determinari per hoc motivum, quam per obiectum*. V. gr. si quis nullatenus volens ipse iniuste occidere vel occidi Petrum, attamen sive ex invidia sive ex odio delectatur cogitando Petrum a se vel ab alio iuste occidi. Potius reus videtur peccati odii vel invidiae quam homicidii, aeque et ob eandem rationem, ac in casu, quo omnes ut opinor idem resolvent, nim. si audiens Petrum esse iniuste occisum actum ipsum homicidii reprobaret, sed tamen gauderet de morte Petri. Obiectum sc. delectationis non est proprie homicidium sed malum proximi.

Et hunc tandem puto esse sensum Sporer, quando propendere se dicit in sententiam Vasquez, cuius ipsius forte in re idem est sensus; sed non credo, hunc sensum communi opinioni ita esse oppositum ac supponit Sporer. Cfr. De Lugo l. c.

Resolutio II. Delectatio morosa speculativa tan- 143.
tum de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicitae, aut de rei illicitae modo, inventione, artificio, *ita ut obiectum formale et ratio delectandi minime sit ipsa res illicita*, sed solum rei illicitae cogitatio vel modus, per se mala non est.

1. Mala non est. Ratio est, quia talis est delectatio, quale est obiectum; atqui obiectum in hypothesi non est malum.

2. Per se mala non est. Mala nim. esse potest ut odiosa v. gr. et maxime ob periculum labendi in aliam delectationem vel consensum mortalem, quod praecipue timendum in re venera.

In dubio autem, utrum delectatio revera sit speculativa an vero practica, varii varias regulas praesumendi tradunt; sed nulla certa tradi potest. *Praecipue* recurrendum erit ad praesumptionem e *reliqua hominis vita* oriundam. Génicot I. n. 173.

144. Resolutio III. Licita quoque est 1° delectatio morosa non tantum rationalis sub conditione possibili *si prohibita res non esset,* sed etiam sensibilis de re iure tantum positivo prohibita; v. gr. de imaginario prandio cogitato in die ieiunii; —

2° generatim delectatio rationalis de re etiam intrinsece mala *sub ea conditione possibili, quae* si poneretur revera *malitium actus auferret;* — excipe hic partim delectationem de actu venereo secundum dicta n. 140.

Ratio utriusque est, quia obiectum delectationis, ut ab intellectu proponitur (atque ad 1^m^ etiam ut sensibus obiicitur) et a voluntate acceptatur, est licitum.

3° Pariter et ob eamdem rationem atque ad 1^m^ licita est delectatio sensibilis de re iure naturali quidem prohibita, sed quae *secundum se et prout delectat sensum* nullam implicat malitiam, sed bonum est vel in bonum sonat; ut si quis sensibiliter delectaretur imaginando se iudicem et malefactores iuste damnantem, vel se invasum sed victorem; vel laicus imaginando se sacerdotem et sedulo confessiones excipientem aut devote Missam dicentem; vel religiosus se saecularem et largas eleemosynas distribuentem. Nota tamen differentiam ratione periculi inter priora et posteriora exempla: cfr. n. 136.

De motibus venereis tum indirecte voluntariis tum mere permissis dicemus ubi de luxuria.

CAPUT QUINTUM.

DE PECCATIS CAPITALIBUS (1).

Septem communiter enumerantur: superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Dicuntur capitalia — vitia potius quam peccata, ut hic

(1) Sporer, n. 370 sqq.

sumuntur — non quod sint aliis graviora, sed quia sunt causa, origo itàque quasi capita aliorum peccatorum, quae omnia ex iisdem sequi saltem possunt.

ARTICULUS I.

DE SUPERBIA.

Superbia est inordinatus appetitus propriae ex- 145.
cellentiae. Alii addunt: *super alios;* alii hanc ad alios relationem non requirunt.

Distinguitur: 1° *consummata* seu *perfecta*, quae progreditur usque ad contemptum auctoritatis divinae et humanae. Haec propter universalem quam habet vim ad omnia vitia, ad omnium legum transgressiones causandas, non tantum est vitium capitale, sed etiam regina et mater omnium vitiorum: estque, ut patet, peccatum grave ex *toto* genere suo.

2° *Imperfecta* qua, salva subiectione erga Deum et superiores, quis solum plus aequo sese aestimat, vel inordinate super alios excellere appetit. Haec per se est venialis, utpote excessus in re indifferenti. — Mortalis evadet maxime si accedat a) *notabilis aliorum contemptus,* vel b) ingratus et *Deo iniuriosus agendi modus,* quando sc. quis ita se gereret, quasi sua vel non a Deo vel ut suis meritis debita haberet. Quod Sporer cum aliis ad superbiam perfectam refert.

Filiae superbiae praecipue tres enumerantur: 146.

1. Vana gloria: inordinatus appetitus humanae laudis et famae captandae per *manifestationem* propriae excellentiae; quo differt ab ipsa superbia.

2. Ambitio: inordinatus appetitus honoris et dignitatis.

3. Praesumptio: appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Hanc Sporer refert ad vanam gloriam.

Vanae gloriae, quae cum ambitione ab antiquioribus pone- 147.
batur loco superbiae primum vitium capitale, variae sunt species (filiae) pro variis modis quibus quaeritur, sc.

I. *Directe* tripliciter: 1° per verba, et est iactantia; 2° per facta; quae si sunt vera, ut pompa vestium, conviviorum, est ostentatio, quo spectat inventio seu praesumptio novitatum; 3° si facta sunt ficta vel falsa est hypocrisis.

II. *Indirecte,* ostendendo se non esse alio minorem, quadrupliciter: 1° quantum ad intellectum, et est pertinacia, qua quis nimis innititur suae sententiae, 2° quantum ad voluntatem et est discordia; 3° quantum ad locutionem, et est contentio; 4° quantum ad factum, et est inobedientia (1).

Hae omnes filiae superbiae, qua tales, sunt tantum venialia peccata per se, sed frequenter mortalia per accidens maxime ratione mediorum adhibitorum, effectus et imprimis damni aliorum, vel materiae, de qua v. gr. quis se iactat, aut in qua non obedit.

ARTICULUS II.

DE AVARITIA.

148. **Avaritia** est inordinatus appetitus bonorum exteriorum seu fortunae. — Per se, seu quatenus opponitur liberalitati, est peccatum veniale; mortale vero evadit praecipue laesione iustitiae vel charitatis.

Filiae nempe avaritiae sunt: obduratio, inquietudo mentis, proditio, fraus, periurium, fallacia, mendacium.

ARTICULUS III.

DE GULA ET EBRIETATE.

149. **Gula** est inordinatus appetitus cibi vel potus. — Per se, i. e. quantum adversatur abstinentiae, est venialis. Fit mortalis v. gr. si quis grave sanitatis nocumentum inde brevi secuturum praevidet, ad graves officii sui obligationes implendas ineptum se reddit, vel imparem debitis solvendis, sustentandae familiae.

150. **Ebrietas perfecta** est excessus in potu inebriante (voluptatis gratia) usque ad privationem usus rationis. Opponitur sobrietati, et est peccatum mortale.

---

(1) S. Thom. 2. 2. q. 132 a. 3.

Malitia peccati consistere videtur in hoc quod

1° homo non actu tantum usu rationis (ut fit in somno), sed etiam *proxima facultate* utendi ratione ad omnem subitam necessitatem pro notabili tempore privatur; hoc autem

2° *modo adeo innaturali* et plane bestiali, ut bruto similem se reddat; idque

3° *voluptatis causa;* vel si quando forte subiective voluptas non habeatur, tamen *sine iusta causa* (1). — Hanc ultimam conditionem Auctores saltem communiter requirunt. Quare

Ex iusta et gravi causa licet, saltem probabilius, se 151. inebriare, quando ex potu, alias excessivo, aeque immediate sequitur effectus bonus et pro circumstantiis magni momenti; v. gr. ad curandum morbum.

Liceret quoque, *theoretice* loquendo, potu inebriante sensus sopire ad securius subeundam chirurgicam operationem, ad levandos extraordinarios dolores; non enim apparet morale discrimen inter hoc et alia media ad hoc adhiberi solita. — *Practice* vero alia media, quia et quando meliora et securiora praesto sunt, plerumque praeferenda sunt. Quoad morphium tamen notant usum immodicum, sive in quantitate, sive in tempore, esse valde noxium adeoque illicitum (2).

Non licet vero *moribundum* inebriare vel quocumque medio usu rationis privare, ut sine doloris sensu decedat; quia *in hoc statu* tum usus rationis est quam maxime homini necessarius sive ad merendum sive ad iustificationem obtinendam, tum aequivalenter vita abbreviatur. Quare etiam generatim medici hoc forte intendentes positive prohibendi sunt, maxime si non satis constat de bono statu moribundi; secus quandoque pro circumstantiis res silentio premi, numquam vero positive permitti poterit (3).

Peccatum mortale supponit ebrietatem 1° *perfectam* et 152. 2° *voluntariam*.

Ad 1^m *Perfectae* ebrietatis haec *tria signa* perhibentur, quod quis bonum a malo discernere nequit, plane insolita agit, vel nullatenus recordatur dictorum et gestorum. Alia sunt dubia vel imperfectae ebrietatis signa.

Ad 2^m *Ex consuetudine crebro* sese inebriantes praesumendi sunt *voluntarie* inebriati fuisse; *varius ebrii* de hoc interrogentur; cui *praeter consuetudinem* inebriari una alterave vice contigit, hic

(1) Reiffenstuel Th. Mor. Tr. III D. III n. 45 sq. Lehmkuhl I n. 742.
(2) Capellmann pag. 29-31; edit. lat. 5ª pag. 36 ss.
(3) Lehmkuhl I n. 743.

plerumque dubium vel etiam praesumptionem in sui favorem habebit. Génicot I. n. 184.

153. Alium ad ebrietatem inducere alii absolute docent quandoque licere; alii absolute negant; alii i. q. Sporer distinguunt inter formalem et materialem. Prima opinio probabilis videtur, et consentit S. Alph. Attamen inducere ad ebrietatem formalem non licet nisi quando ipse inebriandus a maiori malo est impediendus.

Occasionem ebrietati dare facilius, ex gravi tamen causa, licet. Cfr. dicenda de cooperatione.

Alium inducere ad bibendum, praevisa ebrietate, huiusve periculo, pro circumstantiis ad unum vel alterum ex praecedentibus casibus pertinebit.

154. Peccata in ebrietate commissa imputantur secundum regulas traditas de voluntario in causa.

Excipiuntur tamen merae *contumeliae* in homines, utpote quas ipsi, in quos proferuntur, pro nihilo ducere soleant. — Aliud est de blasphemiis, quia honor Deo debitus exigit, ut omnino praecaveantur; item de vera diffamatione ob damnum famae et de sermonibus obscenis ratione scandali. — De pollutione, quam ebrius non committit sed *patitur*, vide de Luxuria.

Tum hac ratione tum ob alias sequelas sub peccato vitandas conclude per ebrietatem multipliciter et graviter saepe peccari; quod idem notatum sit de ebrietate imperfecta, quae ex se est venialis tantum. Cfr. n. 149.

Filiae gulae (et ebrieta'is) quinque numerantur: hebetudo mentis, inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia.

ARTICULUS IV.

DE IRA.

155. **Ira** est inordinatus appetitus vindictae. Ex duplici autem capite hic appetitus potest esse inordinatus:

1° Ex parte obiecti seu vindictae, si appetitur vindicta 1) in immeritum, 2) ultra meritum, 3) praeter ordinem, seu propria auctoritate infligenda, 4) non ad debitum finem, sed ex odio.

Haec ira est mortalis *ex genere suo*, quia adversatur charitati et iustitiae.

2° Ex parte modi irascendi tantum, quando quis vel interius nimium excandescit, vel exterius iram nimis patefacit. Haec est venialis *ex genere suo*, utpote excessus in passione de se indifferente.

Idemque dicendum de appetitu quasi-vindictae, sc. in res irrationales vel inanimatas; qui est motus irae homini cum brutis communis (1). — Quodsi tamen ira transit in furorem, post Marchantium Sporer aliique dicunt esse mortale ratione enormis excessus rationalem creaturam nimium dehonestantis.

Filiae irae sex enumerantur; indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia.

ARTICULUS V.

DE ACEDIA.

Acediam praevie distinguimus *naturalem* a *morali.* 156.

Naturalis acedia alia est mere *corporalis*, quae oritur ex ipsa complexione corporis male affecti; alia est *sensualis*, quae est repugnantia appetitus sensitivi laborem seu difficultatem refugientis.

Haec, utpote non voluntaria, non est peccatum, sed virtutis ac meriti materia ac seges. Facta autem voluntaria per liberum consensum voluntatis iam evadit moralis; de hac itaque solum hic agitur.

Moralis 1. alia est *universalis*, nempe tristitia de bono spirituali generatim, quatenus laboriosum et difficile est. Nomine boni spiritualis hic venit omnis virtus colenda, omne praeceptum observandum. *Haec* non est speciale peccatum sed unum idemque cum ipsa transgressione vel negligenti executione, quam causat.

2. Alia est *specialis* nempe tristitia de bono spirituali divino, quatenus ab homine prosequendum est; utpote principaliter de ipsa

(1) Cfr. S. Thom. 1. 2 q. 46 a. 7 ad 1^m.

gratia seu amicitia divina conservanda et de beatitudine consequenda per virtutum exercitia laboriosa, et consequenter etiam secundario de adhibendis mediis ad illum finem. *Haec est vitium capitale,* peccatum speciale ac mortale gravissimum, quia directe repugnat charitati divinae, si tamen est omnino voluntaria et deliberata; *sed ob defectum pleni consensus saepe est venialis.*

Filiae acediae sex enumerantur; malitia seu odium bonorum spiritualium: peccatum *mortale, nisi* imperfectio actus excuset; — rancor i. e. fastidium eorum, qui exhortantur ad spiritualia: peccatum *veniale, nisi* accedat odium; — pusillanimitas (cfr. hic 1). desperatio, torpor (ibid.), evagatio mentis ad illicita.

De *invidia* agemus ubi de charitate; de *luxuria* loco suo.

THEOLOGIA MORALIS DECALOGALIS

Praecepta, de quibus in hac parte dicendum nobis est, quum omnia èt nitantur virtutibus, èt ab hisce, vel cum hisce ab iisdem obiectis, speciem sumant, èt tandem ipsas virtutes homini, ut finem suum assequatur, necessarias aut ponant aut reddant; abs re certe non erit de ipsis virtutibus ea saltem praemittere quorum notitia ad praeceptorum intelligentiam magis iuvabit. Sit ergo

TRACTATUS V.

DE VIRTUTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO VIRTUTUM.

Virtus generalissime definitur: habitus indefectibiliter attingens bonum potentiae rationalis. 157.

Sic sumpta dividitur in *intellectualem*, quae attingit bonum intellectus quod est verum, et *moralem*, quae attingit bonum voluntatis quod est honestum. — Intellectuales numerantur, praeter fidem antiquis philosophis ignotam, quinque: tres speculativae: sapientia, intellectus et scientia: duae practicae: prudentia et ars.

Theologis virtutes proprie dictae sunt illae solae quas philosophi dicunt morales; quibus tamen annumerant prudentiam quae, ut ait S. Thomas (1) « dicitur esse media inter virtutes morales et intellectuales quantum ad hoc quod in subiecto convenit cum virtutibus intellectualibus, in materia autem totaliter convenit cum moralibus »; cfr. n. sq. I, et 161.

(1) 2. 2 q. 181 a. 2 ad 3.

Virtus moralis itaque definiri potest: habitus perficiens substantiam rationalem et ad bonam operationem inclinans; vel brevius: habitus operativus bonus.

158. I. Subiectum virtutis *proximum* est illa animae potentia, cui habitus inhaeret et quae actus certae virtutis proprios elicit. Sic intellectus subiectum est virtutum fidei et prudentiae; cfr. n. pr.

Virtutum *ad alterum* secundum omnes subiectum est voluntas. Aliarum quae *ipsum agentem* respiciunt ex S. Thoma subiectum est appetitus sensitivus, irascibilis vel concupiscibilis, non secundum se, seu ut talis est, sed in quantum rationalis est per participationem, seu ut subiacet dictamini rationis et regiminii voluntatis; quia, cum habeat proprios motus suos quibus interdum rationi repugnat, oportet in eo esse aliquas virtutes, quibus bene disponatur ad actum (1).

Scotus vero dicit earum etiam subiectum esse voluntatem: quia haec ipsa actus virtutis ponit, egetque virtutis habitu ut appetitum sensitivum domare possit.

Vero etiam aliquo sensu omnium virtutum subiectum simpliciter et proprie dici potest voluntas: quia saltem ad actus singulos voluntas vel eliciendo vel imperando eos concurrere debet. Quo sensu et ratione nonnullarum subiectum esse duplex potentia, eaedemque ex duplici habitu constare dici possunt.

II. Obiectum virtutis *materiale* est id erga quod virtus versatur; *formale* est ratio propter quam erga illud versatur. Materiale distinguitur primarium et secundarium.

III. Actus virtutis *elicitus* seu proprius est ille, qui immediate a certa virtute procedit; *imperatus*, qui ab alia virtute producitur sed ex imperio vel desiderio prioris. Sic ieiunium ad Deum exorandum est actus elicitus abstinentiae, imperatus religionis.

IV. Medium virtutis est iusta rei faciendae mensura, consistens inter duo extrema: excessum et defectum. — Distinguitur medium *rationis*, quod ratio, spectatis persona operantis aliisque circumstantiis, determinat; et medium *rei*, quod ex natura rei determinatur et pro omnibus idem est; posterius habet sola iustitia commutativa. — Omnes virtutes, exceptis theologicis et religione in quantum ipsum Deum ut obiectum habent, consistunt in medio ex parte *obiecti*; exceptae solum ratione actus vel modi seu ex parte *subiecti*.

159. **Dividuntur** virtutes praecipue: I° ratione principii et causae efficientis — quae divisiones fere coincidunt — 1° in *naturales* et *supernaturales*, 2° in *acquisitas* et *infusas*.

---

(1) 1. 2 q. 56 a. 4.

II° Ratione obiecti in *theologicas*, quarum obiectum tum materiale primarium tum formale est immediate ipse Deus supernaturaliter cognitus; et *morales*, quarum obiectum materiale est res creata (1), formale honestas rei illi inhaerens.

Nota 1. Virtutes *infusae* per se dant solam *facultatem* supernaturaliter in sua materia agendi, neque excludunt vitium seu habitum oppositum; *acquisitae* dant *facilitatem* agendi, et vitium oppositum ponunt exclusum.

2. Virtutes theologicae sunt supernaturales et per se, i. e. necessario infusae. Num denter etiam virtutes morales per se infusae, non ita certo constat. Plerique cum S. Thoma affirmant; Scotus negat. In priori sententia saltem virtutes cardinales, secundum multos plures aliae, secundum nonnullos omnes virtutes morales semper cum charitate infunduntur. Quod si ponatur, nihilominus hae virtutes infusae differunt tamquam supernaturales a theologicis; posteriores nim. in ipso et toto suo esse supernaturales sunt, non ita morales infusae.

CAPUT SECUNDUM.

CONSPECTUS VIRTUTUM MORALIUM.

Quatuor cardinales sunt virtutes: prudentia, iustitia, 160.
fortitudo, temperantia; sic dictae: 1° quia versantur erga *materias principales;* ad quas si restringantur, sunt virtutes speciales, inter se et ab omnibus aliis distinctae; — 2° quia sunt *generales conditiones* seu rectitudines in omni virtute requisitae; — 3° praecipue quia omnes aliae virtutes morales ad eas reducuntur: vèl

1° Ut partes integrantes eae quae ad easdem concurrunt ut actus perfecti exerceantur; vèl

2° Ut partes subiectivae illae quae sunt earumdem species in quas dividuntur; vèl

3° Ut partes potentiales aliae quae partim cum iisdem conveniunt, partim discrepant (2).

De iustitia in speciali volumine, de aliis hic ordine dicemus.

---

(1) Rectius tamen vel clarius obiectum materiale *remotum* solum dicitur *res* creata, *proximum* vero seu proprie dictum *actus* humanus erga talem rem.

(2) Summa theol. 1. 2 q. 61; 2. 2 q. 48.

ARTICULUS I.

DE PRUDENTIA ET VIRTUTIBUS ANNEXIS (1).

161. **Prudentia** breviter definitur; recta ratio agendorum, seu: virtus morum moderatrix.

Eius obiectum *materiale* sunt omnes actiones humanae in particulari; *formale* bonum honestum ut verum, seu specialis honestas in eo sita quod omnes actiones humanae secundum rectam rationem fiunt: sicque est virtus specialis.

Actus seu functiones principales prudentiae sunt: bene consultare, bene iudicare, executionem imperare.

162. **I. Partes integrantes** seu functiones auxiliares numerantur octo: 1° *memoria* praeteritorum; 2° *intelligentia* praesentium; 3° *docilitas;* 4° *sollertia* seu sagacitas, i. e. rationum rem probandi vel improbandi celer inventio: 5° *ratio* seu unum ex altero colligendi promptitudo; 6° *providentia* seu consideratio futurorum i. e. qui ex opere sequi possunt eventuum; 7° *circumspectio,* quae attendit ad operis circumstantias; 8° *cautio,* qua vitantur impedimenta vel incommoda quae occurrere possunt.

II. Partes subiectivae sunt: *prudentia personalis* (alii: *monastica*), qua quis seipsum, et *gubernatrix,* qua alios regit. Posterior subdividitur in *occonomicam, civilem* et *militarem.*

III. Partes potentiales sunt: 1° *eubulia* seu promptitudo bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis inveniendi; 2° *synesis* i. e. habitus recte iudicandi secundum regulas communes; 3° *gnome* seu habitus recte iudicandi in casibus quibus ob specialia adiuncta a lege communi est recedendum.

163. **Vitia opposita** sunt: I. Per defectum: 1° *Praecipitatio,* quae praeviam deliberationem omittit. 2° *Inconsideratio,* quae rem eiusque circumstantias diligenter considerare negligit. 3° *Inconstantia,* quae sine iusta causa sententiam mutat. 4° *Negligentia,* quae non satis curat diligentem rei propositae executionem.

---

(1) Summa theol. 2. 2 q. 47-56.

II. Per excessum vel potius sub falsa prudentiae specie: 1° *Prudentia carnis,* quae excogitat media vivendi secundum motus naturae corruptae. 2° *Astutia* seu notitia pravorum mediorum fallendi cum affectu exequendi; ipsa executio sive per verba sive per facta dicitur *dolus*, per facta *fraus*. 3° *Sollicitudo temporalium* et *sollicitudo futurorum*, i. e. nimia animi occupatio de rebus temporalibus conquirendis et conservandis.

ARTICULUS II.

DE FORTITUDINE ET VIRTUTIBUS ANNEXIS (1).

Fortitudo ut virtus specialis firmat animam in rebus diffi- 164.
cillimis praesertim in periculis mortis sustinendis et repellendis.

Obiectum formale est specialis honestas sita in moderatione timoris et audaciae.

Actus proprii sunt: sustinere gravia et aggredi pericula mortis vel similia.

Vitia opposita sunt: I. Per defectum in timore: *intimi-* 165.
ditas, in audacia: *ignavia.*

II. Per excessum in timore: *timiditas,* in audacia: *temeritas.*

Partes integrantes, eaedemque potentiales — subie- 166.
ctivas proprie dictas non habet — prout vèl erga mortis vèl erga minora pericula versantur, sunt: 1° *Magnanimitas*, quae ad magna et heroica in omni genere virtutum inclinat. 2° *Magnificentia*, quae erga magna magnis sumptibus efficienda versatur. 3° *Patientia*, quae animam contra huius vitae mala firmat. 4° *Perseverantia* seu constantia, quae animam in proposito persistendi seu contra laborum diuturnitatem firmat.

Opponuntur I. Magnanimitati: per defectum *pusillani-* 167.
mitas; per excessum *praesumptio, ambitio, vana gloria.*

II. Magnificentiae: per defectum *parvificentia* et per excessum *nimia profusio.*

---

(1) Summa theol. 2. 2 q. 123-140.

III. Patientiae: per defectum *insensibilitas*, per excessum *impatientia*.

IV. Perseverantiae: per defectum *inconstantia*, per excessum *pertinacia*.

ARTICULUS III.

DE TEMPERANTIA ET VIRTUTIBUS ANNEXIS (1).

168. **Temperantia** ut virtus specialis refrenat appetitum in iis quae maxime alliciunt, sc. in voluptatibus gustus et tactus, seu in usu alimentorum et venereorum.

Obiectum *formale* est specialis honestas sita in ea dicti usus moderatione, quae dignitati naturae rationalis convenit.

169. **Vitia opposita** sunt: per defectum *stupor* — vitium rarissimum; per excessum *intemperantia* — vitium frequentissimum.

170. I. Partes integrantes dicuntur: *verecundia* i. e fuga et aversio turpitudinis, maxime intemperantiae, et *honestas* presse sumpta seu amor et prosecutio decori quod in temperantia praecipue conspicitur.

II. Partes subiectivae sunt: *abstinentia*, *sobrietas* et *castitas*, quae moderantur respective appetitum et usum alimentorum in genere, potus inebriantis et venereorum; eisque *opponuntur* respective *gula*, *ebrietas* et *luxuria*.

Castitas distinguitur: *perfecta*, quae èt totaliter èt perpetuo a venereis abstinere proponit, et *imperfecta*, quae vèl a solis illicitis, vèl ad tempus solum abstinere proponit. Castitas in subiecto incorrupto est *virginitas*.

III. Partes potentiales sunt: 1° *Continentia*, quae vèl a temperantia generice sumpta, vèl a castitate solum differt ut inchoatio a perfectione. Hodie tamen communiter neque continentia a castitate neque incontinentia a luxuria distinguitur.

2° *Mansuetudo*, quae irae passionem moderatur. *Opponitur* per defectum *inirascentia*, quae neque iram excitat, quando opus

(1) Summa theol. 2. 2 q. 141-170.

est ad implenda iustitiae vel charitatis officia; per excesssum *iracundia.*

3° *Clementia*, quae inclinat Superiorem ad minuendas, quantum fas est, poenas. *Opponitur* per defectum *nimia lenitas;* per excessum *crudelitas.* Quodsi vèl auctoritas in puniente vèl reatus in altero non est, potius dicitur feritas vel ferocitas.

4° *Modestia*, qua quis in motibus tum internis tum externis et in omni rerum suarum apparatu servat mensuram sibi congruentem. Cuius *species* sunt: 1) *Humilitas*, quae nos inclinat ad nostram vilitalem signis vel factis profitendam. *Opponitur* per defectum *nimia sui abiectio;* per excessum *superbia.* 2) *Studiositas* seu moderatus affectus sciendi et addiscendi. *Opponitur* per defectum *negligentia;* per excessum *curiositas.* 3) *Modestia* a) *morum*, quae externos motus et corporis gestus moderatur; b) *cultus*, quae rerum externarum apparatum moderatur. Prior *eutrapelia* dicitur, si ea spectat quae ludendi iocandive causa fiunt. *Opponitur* per defectum *morum rusticitas;* per excessum *petulantia;* eutrapeliae speciatim per defectum *austeritas;* per excessum *scurrilitas.*

SCHOLION.

De Donis Spiritus Sancti etc.

I. Septem dona Spiritus Sancti, in S. Scriptura (1) tradita sub nomine *spirituum*, differunt a virtutibus in hoc quod a Deo infunduntur ut homo disponatur ad prompte obediendum inspirationi divinae, vel ad actus altiores et excellentiores quam sunt actus virtutum. Non conveniunt autem Theologi, utrum habitus donorum sint distincti ab habitibus virtutum, an vero hos solum perficiant. 171.

II. Octo beatitudines (2) ex S. Thoma sunt actus, praesertim perfecti, virtutum et donorum, et tales dicuntur propter spem quam fundant beatitudinis aeternae, vel etiam propter aliquam beatitudinis inchoationem. Alii dicunt beatitudines intellligi posse tum de habitibus tum de actibus virtutum et donorum.

III. Duodecim fructus Spiritus Sancti ex S. Thoma dicuntur opera nostra in quantum sunt effectus quidam Spiritus Sancti in nobis operantis; vel etiam in quantum operationes bonas sequitur delectatio. Secundum alios gaudium et pax consequuntur operationes virtutum, alii autem sunt ipsae virtutum, quarum nomine ab Apostolo (3) indicantur, operationes.

(1) Is. XI, 2 s.

(2) Mt. V, 3 ss.; cfr. Lc. VI, 20 ss.

(3) Gal. V, 22 sq.

TRACTATUS VI.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Virtutum theologicarum praecepta alii comprehendi, alii supponi dicunt primo Decalogi praecepto. Sporer Tr. II. — Quo dicenda de earum necessitate recte intelligantur, hic generatim

172. **Praenotamus.** Necessitas distinguitur: alia medii, alia praecepti.

I. Necessitas medii habetur ex eo quod consecutio finis ultimi *positive* alligata est alicui *rei,* sive immediate i. e. gratiae sanctificanti, sive mediate ut v. g. Sacramento Baptismi. Hic nexus provenit vèl ex natura rei (1) seu potius *ex absoluta Dei lege,* quae nullam unquam admittit exceptionem: qualis est necessitas gratiae sanctificantis; vèl *ex ordinaria Dei lege,* quae exceptionem seu potius suppletionem admittit, ita ut casu quo et quamdiu res ipsa praestari nequeat, suppleri possit per aliud, non tamen sine voto illius rei: sic Baptismus fluminis suppleri potest per baptismum flaminis vel sanguinis, item Sacramentum Poenitentiae per actum contritionis charitatisve perfectae, utroque tamen casu non absque voto saltem implicito respectivi Sacramenti.

---

(1) Cum agatur de ordine *supernaturali,* de nulla necessitate ex natura ullius rei sermo esse potest, nisi *hypothetice;* v. g. posito Deum ordinasse hominem adultum ad vitam aeternam ut *mercedem* obtinendam, tunc ex natura rei requiritur ut Deus naturam hominis elevet per aliquam gratiam seu donum supernaturale, sive transiens sive permanens, quia secus inter opus meae naturae et praemium vitae aeternae deesset proportio. Ceteroquin idem valet, proportione habita, de ordine *naturae.* Radicaliter enim omnia dependent a sola Dei voluntate.

II. Necessitate praecepti necessariae sunt illae *actiones* (*omissiones*) quae directe non conferunt ad finem ultimum seu salutem, sed requiruntur ut vitetur peccatum, quod foret obex salutis consequendae (1).

Discrimina inter utramque categoriam profluunt ex data notione sequentia:

1° Defectus rei necessariae necessitate medii reddit hominem salutis proxime *incapacem;* contra defectus culpabilis in casu alicuius necessarii necessitate praecepti reddit eundem salutis *indignum.*

2° Necessitas medii non admittit ullam excusationem, puta per ignorantiam; contra a necessitate praecepti excusat ignorantia inculpabilis.

In sequentibus, cum praxis potius quam theoria tractanda nobis sit, ad actus magis quam ad habitus virtutum respiciemus, atque illos, non hos, nomine virtutum ut plurimum intelligemus.

SECTIO I. DE FIDE.

Fides « virtus est supernaturalis, qua Dei aspirante et adiu- **173.**
vante gratia ab Eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest (2) ». Si post vocem: « revelata » addas: et ab Ecclesia tamquam revelata et ab omnibus credenda proposita, habes notionem fidei *divino-catholicae.*

Actum fidei praecedunt 1° iudicium de credibilitate revelationis; 2° iudicium de necessitate seu obligatione credendi; 3° actus liber voluntatis imperans assensum intellectus.

Fide theologica credimus *Deo, Deum, in Deum:* Deo ut est obiectum formale; Deum tamquam obiectum materiale primarium; in Deum pio voluntatis motu tendentis in Deum, finem suum; Sporer n. 5.

---

(1) De Lugo, *De Euch.* Disp. III, Sect. I.
(2) Conc. Vat. Sess. III. Cap. III: Denz. n. 1638.

CAPUT PRIMUM.

DE NECESSITATE FIDEI.

ARTICULUS I.

DE ACTU INTERNO FIDEI.

174. **Necessitas medii** (1). Fides, semel saltem elicita et habitu retenta, adultis nondum iustificatis necessaria est necessitate medii, idque ex natura rei: 1° *implicita* in omnia fidei dogmata; 2° *explicita* in haec duo certe: Deum esse atque Remuneratorem esse. Ratio: adultus debet tendere in finem ultimum; sed principium huius tendentiae est fides, secundum Apostolum: « credere oportet accedentem ad Deum quia est » etc. (2).

Dixi: *nondum iustificatis*. Multi quidem hanc restrictionem omittunt (3), vel etiam reiiciunt; alii tamen putant, infantem baptizatum, cum rationis usum adeptus est, non amittere gratiam iustificantem et ius ad gloriam, nisi *culpabiliter* actum fidei negligat.

175. I. **Disputatur**, num post promulgatum Evangelium necessitate medii requiratur praeterea fides explicita in Deum Trinum et Unum, atque in Christum: Deum-hominem per mortem et resurrectionem suam mundi Redemptorem. Multi probabiliter affirmant. Multi aeque probabiliter negant; quia haec necessitas neque ex natura rei, neque ex S. Scriptura, neque ex testimoniis Patrum vel Conciliorum, neque ex Responsis Romanis (4) necessario colligitur. Non ex natura rei: nam ut homo in Deum tendere possit, stricte sufficiunt illa duo alia. Textus vero et alia quae afferuntur, omnia commode explicari possunt vèl de necessitate praecepti vèl de fide implicita (5).

---

(1) Sporer n. 21 sqq.

(2) Hebr. XI, 6.

(3) Etiam Sporer.

(4) Afferuntur praecipue Respp. S. Off. 28 Febr. et 10 Maii 1703. Vid. Collectanea de Propag. Fide n. 549 (S. Off. 25 Ian. 1703) et n. 551 sub 2° (S. Off. 10 Maii 1703). Berardi, *Praxis* I n. 66 affert textum sub 3 Maii 1703.

(5) Multo minus de necessitate medii explicite credenda sunt immortalitas animae et necessitas gratiae, creatio mundi a Deo, peccatum originale: de quibus vide Dogmaticos.

II. Admitti potest quoad haec duo necessitas medii quidem, sed ex institutione divina et ad primam iustificationem (1). Quod si admittatur, practice non plus exigitur quam quod postulat alia sententia negans.

III. *Pro praxi* conclude: curandum certo est, ne quis baptizetur, absolvatur vel moriatur, qui non explicite in haec duo mysteria crediderit; post factum vero, si de Confessione agatur, non constat de obligatione eam repetendi.

Neque contra huius conclusionis posteriorem partem obiici iure potest propositio 64ª ab Innoc. XI damnata: « Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. I. Chr. » Denz. n. 1081. « Nam omissis subtilioribus interpretationibus, certum est, eam propositionem 1° complecti etiam mysteria, in qualibet sententia, necessaria necessitate medii; 2° copulare haec duo: ignorantiam *culpabilem* mysteriorum Trinitatis et Incarnationis — quae culpabilitas potest certe esse gravis — et *capacitatem* Absolutionis; quod in sensu composito, praecisa culpae detestatione, absurdissimum est ». Ball.-Palm. n. 14: ed. 3ª n. 9.

Necessitate praecepti (2) explicite credenda sunt praecipua fidei mysteria. Alia nim. sunt necessaria **176.**

1° Ad recte credendum: praeter requisita necessitate medii, *symbolum* Apostolorum; alia

2° Ad recte vivendum: *decalogus;* alia

3° Ut media salutis consequendae: *Sacramenta* omnibus necessaria; sc. Baptismus, Poenitentia et Eucharistia; cetera quum quis proxime ea suscepturus est.

Sicut necessitas medii infert pro adultis necessitatem praecepti, ita quoque necessitas vel praeceptum explicite credendi infert obligationem sciendi: utrumque quia qui tenetur ad finem, consequenter tenetur ad media... Plura tamen scienda sunt quam credenda — quae, minus recte, passim confunduntur. — Ex hoc capite. **177.**

Ad n. pr. 2° addenda sunt: 1° *praecepta Ecclesiae*. 2° propria cuiusque *status officia*. — Ad 3ᵐ addunt *Orationem Dominicam;* et plures, tamquam sub veniali scienda, praeterea *Signum Crucis* et *Salutationem Angelicam*. Dicendum videtur, in rigore loquendo non constare de praecepto peculiari; quia tamen omnibus ut aliquando orent necessarium et praeceptum est, hinc obligationem esse noscendi saltem Orationem Dominicam quoad substantiam.

---

(1) Ita Suarez et De Lugo; uterque *De Fide* Disp. XII, S. IV.

(2) Cfr. Sporer n. 29 sqq. et 34 sqq.

178. De obligatione sciendi notamus:

1° Requiritur et sufficit generatim praedictorum scientia *quoad substantiam* et vero aliquo conceptu etsi valde confuso, crasso etc., necnon aliqua rerum credendarum memoria; *quoad verba* tamen et articulorum ordinem probabiliter solum et ad summum ex praecepto ecclesiastico *sub levi* obligante. — *Quoad accidentalia* quae in Symbolo occurrunt, ut Passio *sub Pontio Pilato*, Resurrectio *tertia die*, pariter sub levi tantum dicunt requiri scientiam. — Sunt etiam qui pro fidelibus communiter excipiant ab hac obligatione articulum de *Communione Sanctorum*, qui intellectu difficilis est ob varietatem expositionum; sed certe communiori et plano, etiam rudibus noto sensu significat communionem meritorum, orationum et suffragiorum inter membra triplicis Ecclesiae: triumphantis, militantis et purgantis.

2° Alii tamen aliis plura et distinctiora scire debent *pro suo quisque statu* et conditione.

3° Ab hac obligatione, quoad necessaria *sola praecepti necessitate*, *excusat invincibilis ignorantia*. Quam tamen ignorantiam practice, ut plurimum non admittendam dicunt in iis qui inter fideles educati sunt, admitti vero quandoque posse ex duplici causa: 1) ob impotentiam naturalem et ingenii hebetudinem; 2) ob defectum sufficientis instructionis; cuius defectus culpa saepius aliis potius quam ipsis ignorantibus est tribuenda et in peccatum imputanda, puta parentibus, parochis. — *Idem* dicitur et resolvitur *de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis*.

Quoad *alia* vero quae *certo* necessitate *medii* sunt credenda et ideo scienda « non est concedendum, quod quis sit adeo hebes et rudis, qui cum sit capax peccandi mortaliter, non possit percipere explicite articulum de uno Deo Remuneratore (1) ».

4° Pro praxi nota: 1) *ignorans* ea quae sunt *de necessitate medii*, ante Absolutionem sacramentalem de iis instrui debet eo modo quo hic et nunc est capax. — Quodsi talis poenitens versetur in proximo mortis periculo, primo doceatur duo mysteria certo necessaria, si opus; dein, si tempus restat, alia probabiliter necessaria; si vero haec *posteriora* doceri non possit, *absolvi* non *poterit* nisi *conditionate* (2).

2) *Ignorans* necessaria *de praecepto tantum*, a) si ignorantia videtur *inculpabilis*, absolvi potest modo ea addiscere serio *proponat;* b) si ignorantia est *culpabilis*, absolvi adhuc potest, modo tamen de peccati negligentiae *doleat, et proponat* ut supra (3).

179. **De obligatione credendi** seu actum positivum fidei eliciendi.

I. Per se (4), i. e. ratione praecepti *ipsius fidei;*

1° *Communiter* assensum fidei elicere obligantur *adulti* generatim, seu usu rationis potiti, quum primo moraliter certam reve-

(1) De Lugo Disp. XIII, S. V. n. 139.

(2) Cfr. n. 175, III.

(3) Cfr. P. III.

(4) Sequimur eum qui in hac quaestione communiter servatur dicendi modus. Alias enim dictiones: « per se » et « per accidens » aliud significant. Quarum loco nos hic dicemus: « communiter » et « extraordinarie ».

lationis divinae factae notitiam habeant. Quare tenentur a) *pueri inter fideles* educati, quum usum rationis perfecte consecuti mysteria fidei tamquam a Deo revelata, obligationemque ea credendi sufficienter apprehendunt. Practice, notant, hos pueros numquam esse in mora culpabili. b) *Adulti non catholici*, quum, propositis sibi articulis fidei, prudenter i. e morali certitudine agnoscunt eam esse veram fidem. Quamdiu vero hanc certitudinem non habent sed positive dubitant, nondum quidem assentiri, sed diligenter inquirere obligantur. Solum in periculo mortis constituti, si tunc fides catholica ipsis *probabilior* appareat, debent ob periculum salutis tutiorem partem amplecti seu assentiri.

2° *Extraordinarie* 1) quoties *nova* vel alicui eo usque *ignota fidei definitio* proponitur; hac saltem ratione, quia in casu non positive assentiri esset irrationabiliter sibi vim inferre, vel periculo se exponere positive fidem detrectandi (1).

2) Quum urget *gravis tentatio contra fidem* sive in communi sive in particulari contra aliquod mysterium, quam quis sibi videtur non posse superare nisi contrarium actum fidei eliciendo. Verum casus iste rarissimus est, quia ordinarie eiusmodi tentationes multo securius superantur mentem alio efficaciter convertendo.

3) Post *lapsum in haeresim vel apostasiam.*

4) Quum facienda est *professio exterior.*

Differunt hi casus obligationis extraordinariae (seu accidentalis) — nisi forte excipiendus sit primus — a casu obligationis communis, quod *illi* urgent ex praecepto fidei *negativo, hic* vero ex praecepto *affirmativo*. Sed hae obligationes et peccata opposita, commissionis et omissionis, *specie morali eadem* sunt.

Casus controversi. Multi alios, praeter dictum n. pr., communis obligationis casus ponunt, sc.: 1° *in articulo mortis;* 2° *aliquoties in vita.* 180.

Verum, assensu semel dato mysteriis sufficienter propositis, praeceptum affirmativum fidei saepius praeterea per se, i e. communiter, obligare plures alii negant. Ratio: tum quia obligationes illae non satis certo probantur, neque — quod 2m — satis determinate, sed nimis confuse: tum quia praeceptum fidei ita saepe per accidens et indirecte est implendum, puta audiendo Missam, confitendo, communicando etc., ut vel ideo solum prudenter credatur Christus non voluisse praeceptum directum imponere. Ceterum reipsa ab hac sententia non dissentiunt illi plures (2),

(1) Lehmkuhl n. 276, 2. c.).

(2) Inter quos S. Lig.

qui concedunt huic obligationi fieri satis per actus aliarum virtutum, qui continent actum fidei. Qui actus cum ab homine christiano satis frequenter vèl propter alia praecepta vèl omnino libere exerceantur, non est dubitandum de exercitio plus quam sufficiente actuum fidei. Quare inutilis videtur haec quaestio (1). — Quoad eos vero qui officia hominis christiani diu neglexerunt, vix continget, eos advertisse ad neglectum hoc praeceptum; et de caetero huius negligentiae peccatum satis patebit Confessario ex manifestatione aliorum peccatorum. Ipse vero Confessarius determinare non poterit, quoties hac ratione peccatum fuerit. Quare neque opus erit ulterius in hoc inquirere; sed satius erit monere poenitentem, ut in posterum actus fidei, uti et aliarum virtutum theologicarum, hic et nunc eliciat.

181. II. Per accidens, i. e. ratione *alterius praecepti,* obligatio est fidem eliciendi

1° *Communiter*, quandocumque quis tenetur elicere vel exercere *alium actum* supernaturalem *qui fidem supponit.* Sed hic, ut patet, certo sufficit fides implicita, eaque in illum articulum quae praecepto implendo praerequiritur.

2° *Extraordinarie:* 1) quum urget *gravis tentatio* contra *alias* virtutes, quae aliter superari nequit. Ex quo praecipue capite oriri potest obligatio tum in articulo mortis tum saepius in vita. 2) Quum *libere* quis posturus est actum qui, ut *debito modo* fiat, fidem requirit.

ARTICULUS II.

DE ACTU EXTERNO SEU PROFESSIONE FIDEI (2).

182. Ex praecepto divino (3) et affirmativo fides exterius confitenda est:

I. Per se et *communiter;* 1° quum adultus fidem amplectitur et Baptismum suscepturus est, vel infans baptizatus ad aetatem adultam pervenit. 2° Aliquoties in decursu vitae. — Quae obligatio ut adstruatur, specialis quidem est ratio ex natura societatis externae et visibilis, qualem Christus instituit Ecclesiam. « Verumtamen quia exercendo alios actus religionis catholicae sufficienter fit haec fidei exterior significatio, ideo non occurrit neque as-

(1) Ita De Lugo Disp. XIII. S. II, n. 45. Cfr. n. sq. 2°, 1).
(2) Sporer n. 40 sqq.
(3) De praecepto ecclesiastico vide Cursum Iuris Canonici.

signatur occasio, qua specialiter obliget illa confessio formalis propter internam fidem ostendendam. Neque id mirum; saepe enim contingit in praeceptis affirmativis, ut occasio exercendi unum ex obligatione propria cesset, quia per observationem alterius praecepti cessat illa necessitas, in qua alterum praeceptum poterat obligare. Et hanc forte ob causam Auctores non assignant tempus huius necessitatis nisi in illis occasionibus extraordinariis, quae sunt fere accidentales (1) ».

II. *Extraordinarie* vel per accidens obligatio oritur, quum ita exigit honor Dei, propria vel proximi salus. Quae obligatio per se est charitatis, quandoque tamen fidei: quum sc. honor Dei ut fidei Auctoris, vel propria fides periclitatur.

Casus obligationis fidei *ob honorem divinum tuendum* erit generatim, quoties silentium vel aequivocatio ex circumstantiis aequivaleret negationi fidei vel erubescentiae (2).

Magis speciatim casus adesse potest, cfr. nota

1° Si pluribus de fide interrogatis, dum alii fidem profitentur, alii tacerent; vel unus pro altero tacente responderet ipsum non esse catholicum.

2° Ut plurimum obligatio aderit in casu propositionis damnatae (3): « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno ». Hoc itaque *per se* peccaminosum est habendum, et per accidens excusaretur solum, quum silentium haberetur pro confessione fidei.

Nota. Aliud est, si quis a persona privata interrogatur; tum enim facile fieri potest, ut silentium vel responsi declinatio solum exprimat interrogantis contemptum.

3° Quum fides vel veracitas divina contumeliose tractatur; v. gr. intervenit quis vel interest colloquio vel disputationi catholicorum cum haereticis; advertit ob illorum ruditatem doctrinam fidei et Ecclesiae irrisioni et blasphemiis exponi; *si* se sufficientem et prodesse posse putet, tenetur fidem defendere.

---

(1) Balterini ex Suarez.

(2) Cfr. n. sq. quo hi casus proprie pertinent: cfr. etiam n. 179, nota.

(3) 18ae sub Inn. XI. Denz. n. 1035.

Ex parte ipsius profitentis seu *propriae salutis causâ* adest casus, cum quis tacendo vel dissimulando periculum subit, ne timori vel erubescentiae cedens fidem abneget.

Sola proximorum salus quando vere obliget ad fidei confessionem, puta eam defendendo, hoc iudicandum est secundum regulas charitatis.

183. Ex praecepto negativo *numquam licet* 1° fidem veram negare, etiam externe tantum, vel erubescere; 2° falsam religionem profiteri vel simulare (1).

184. Dissimulare fidem — posito praeceptum profitendae fidei secundum dicta n. 182 non obligare — licet *ex causa* pro circumstantiis satis gravi.

Simulat falsam fidem seu religionem, qui eam *exterius significat*, interius veram fidem retinendo. Dissimulat solum, qui neque falsam neque veram fidem significat, sed *veram occultat*. — Utrumque fit verbis, signis, factis. Difficile tamen quandoque esse potest unum ab altero discernere. Pro quo sit

185. Regula universalis. — Omnia ex hoc praecepto vitare debemus, quae ex se vel ex circumstantiis significant internam fidei abnegationem; v. gr. dicere: « non sum catholicus »; communicare coenae lutheranae. — Quae vero per accidens et indirecte tantum negationem fidei significare possunt, v. gr. gestare vestem turcicam, per se quidem vitanda sunt, ne aliis causam demus credendi nos fidem abnegasse; attamen ob iustam causam licita fiunt. — Quae vero plane non significant abnegationem fidei, v. gr. dicere: « non sum sacerdos, monachus; non audivi Sacrum »; per se huic praecepto non adversantur.

186. Regulae speciales — I. de verbis. *Simulat* falsam religionem, qui in odium fidei interrogatus, utendo restrictione mentali vel verbis ambiguis, ita respondet, ut credi et intelligi certo debeat fidem veram negare, falsam profiteri; v. gr. qui in Anglia interrogatus, an sit fidei regiae, affirmaret intelligendo non modernam haereticorum sed antiquam catholicorum regum fidem (2).

---

(1) Sicut enim nulla virtus *semper et pro semper* ad sui exercitium positivum ligat, ita omnis vetat ne ullo unquam casu laedatur.

(2) Minus rectum et contra communem videtur, quod Sporer n. 49 hic distinguit num quis a persona publica vel publice, an a privato et privatim interrogetur. Quoad substantiam casus idem videtur; differentia solum ut inter maius et minus.

Contra qui interrogatus tacet, vel dicit se non teneri vel nolle respondere, vel ambigendo respondet, se esse eius fidei in qua confidit se salvandum, vel simili modo tergiversatur; is per se non peccat (1).

II. De signis. 1° « *Nutus*, vel manuum et digitorum motus, quibus significetur negatio fidei vel professio falsae sectae, numquam liciti sunt; aequivalent enim, in his adiunctis, verbis quibus diserte vera fides negetur (2). Hoc tamen non putaverim extendendum ad signa quibus franco-murarii se invicem agnoscere solent; quae non videntur aequivalens huius sectae professio, sed medium ut a sectae sociis amice tractentur (3) ».

2° *De vestibus et ornatu*, quorum quatuor genera distinguuntur.

1) Alia sunt *distinctiva nationis* seu gentis, *non sectae* vel religionis, ut communis vestis oblonga vel pileus Turcarum. Quibus uti licere omnes consentiunt, dummodo adsit iusta aliqua et *rationabilis causa*.

2) Alia sunt *distinctiva* quidem religionis vel *sectae*, sed *non protestativa;* instituta nempe ad finem politicum. Quo pertinent vestes et signa, quae solum indicant eminentiorem statum in tali secta. Haec etiam ex communiori sententia, contra non paucos, licite adhibentur *ob gravem causam*.

3) Alia sunt ex sua institutione vel consuetudine *protestativa sectae* vel religionis. Haec communius censent numquam permitti posse. Sed alii cum De Lugo (4) distinguunt: « Quoties usus vestium talis fuerit, ut qui personam antea noverant (5), eum propter eas *omnino judicent* fidem negare et falsam religionem amplecti, usus ille *nullo casu licitus* erit. Quando vero qui personam norunt, *poterunt dubitare* an ob alium finem diversum vestis usurpetur, *poterit aliquando* usus licitus esse *ex gravi causa,* quae eo

(1) Cfr. n. 182, II. 2°.

(2) De Lugo, Disp. XIV, Sect. V, n. 93.

(3) Génicot n. 197 in fine. — Aliter Noldin n. 16, 2, c.

(4) Disp. XIV, S. V.

(5) Loquitur de persona nota iis inter quos tales vestes gerit. Quod pariter in aliis resolutionibus supponitur. Secus enim nihil reapse significatur.

gravior esse debet, quo ex circumstantiis vestis illa magis accedat ad significandam negationem verae fidei, quamvis non omnino determinate eam significet ».

4) Alia demum non solum protestationem sed etiam *continent cultum* actualem talis sectae vel illius auctoris, ut imagines idolorum vel haeresiarcharum. Haec a fortiori communiter et absolute damnant. Sed nonnulli cum eodem etiam hic eodem modo ac supra distinguunt; et in posteriori hypothesi ea *ex gravissima causa* permitti censent.

III. De factis. 1° *Esus carnium* diebus abstinentiae 1) *per se* ex communi sententia permittitur ad evitandum grave incommodum vel periculum seu occurrente *gravi causa*. Excusandi v. gr. certo non sunt qui abstinentiam servando non tam timent gravem vexationem, sed potius erubescunt se prodere catholicos et legum Ecclesiae fideles observatores. 2) *Si ex circumstantiis* fieret signum protestativum, ut si v. gr. in odium fidei convivae statuerent, ut qui est hostis fidei Pontificiae, comedat carnes, *peccaret* contra fidem qui ederet *sine protestatione*: secus, si protestaretur.

2° *Adire templa* haereticorum, interesse eorum concioni, sine formali communicatione vel cooperatione, *per se* — seclusa nempe speciali prohibitione et abstrahendo a scandalo et perversionis periculo — peccaminosa non sunt; puta si ex curiositate semel vel iterum, vel rationabili ex causa fiat. Graviter vero illicita sunt si profitendae haeresis suspicio adesset, ut si haec saepe et sine legitima causa fierent.

3° *Haeretici funus* comitari, etiam in lugubri habitu, et sepulturae mere interesse, non communicando ritibus vel precibus haereticis ut plurimum officium mere civile, adeoque licitum censetur.

4° De conviviis nuptialibus idem quod sub 3° dicendum est.

Sed quoad *ipsas nuptias* quae coram ministro haeretico tamquam tali, et ritu haeretico celebrantur, « distinguendum est inter eos qui simpliciter adsunt, et eos qui testium munere fungentes auctoritatem conciliant contractui. Hi enim communicant cum haereticis in eorum re sacra, et implicite auctoritatem illius sectae eiusque ministrorum agnoscunt, quod non licet. Quoad illos vero qui simpliciter adsunt, si honoris causa id tantum faciant, cum of-

ficium civile exhibeant, id eis licere dicendum est (1) ». — In iisdem adiunctis officio paranymphi fungi, pariter « si ad eum solum pertineat tradere sponsam sponso, vel econtra, postquam legitime coniuncti sunt, nihil apparet illicitum in eo munere, cum sit actio mere civilis. Si vero eius munus sit quasi offerre sponsos ministro ut eos coniungat, iam videtur habere participationem in ritibus..... quod est illicitum (2) ».

5° *De Baptismo* S. Off. (3) respondit: « absolute non licere, nec per se nec per alios, fungi officio patrini in Baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur » (4). Et S. C. P. F. (5) ad qu.: « an haeretici levare possint ad Baptismum filios fidelium et e contra? resp.: « Alias dubium fuisse resolutum negative ».

Resolves 1° Adesse etiam potest *obligatio occultandi* fidem; 187.
quum nempe eam profitendi necessitas non est, et ex eius professione magna damna forent timenda, v. gr. vexatio fidelium.

2° *De fuga* speciatim haec regula esse potest; si sis eius conditionis, ut te fugiente periclitetur honor Dei vel salus animarum, tuique muneris observatio, fugere non poteris. Quodsi solum esses utilis manendo, non tamen necessarius, potes manere, sed non teneris cum gravi tuo incommodo vel periculo (6). Quodsi denique remanendo potius obesses quam prodesses, peccares non fugiendo propter malum quod infers, nisi te bona fides excusaret.

3° Ad tegendam fidem facilius licet omissio signi fidelium, quam usus signi infidelium. — Si quando princeps iuberet omnes catholicos certum signum gerere, huic edicto *per se non tenerentur* obtemperare. — Quodsi catholicis assistentia concionibus vel sacris functionibus haereticorum praeciperetur *in sectae falsae favorem, ne liceret quidem* obtemperare. Probabiliter vero *liceret* si solum praeciperetur *ordinis servandi causâ* (7).

---

(1) Ball.-Palm. n. 96: ed 3ª. n. 61.

(2) De Lugo, *Resp. Mor.* Disp. XIV, n. 157.

(3) 10 Maii 1770.

(4) Aliter docuit Sporer cum aliis pro locis ubi haeretici tolerati cum catholicis permixti sunt.

(5) 22 Sept. 1642.

(6) Cfr. P. III.

(7) Cfr. Génicot n. 200, 2°.

4° Occultare specialem statum, v. gr. sacerdotalem vel religiosum, multo facilius licet, quam tegere fidem.

CAPUT SECUNDUM.

DE PECCATIS CONTRA FIDEM.

188. Primo notanda et tum ab aliis tum inter se distinguenda sunt infidelitas et haeresis.

I. **Infidelitas** generatim est carentia fidei *in homine non baptizato,* et distinguitur:

1° Positiva est in eo cui revelatio est sufficienter proposita, et qui eam positive respuit.

2° Privativa est in eo qui suborto dubio de suae religionis veritate, vel revelatione cum probabilitate proposita inquirere negligit.

3° Negativa est in eo cui revelatio nondum vel non sufficienter est proposita, vel qui saltem bona fide non esse attendendum vel inquirendum putavit (1).

189. Resolves. Infidelitas positiva est peccatum *mortale ex genere suo toto;* privativa est peccatum *grave pro rata negligentiae;* — negativa *non est peccatum.*

Ratione variorum errorum praecipuae infidelitatis species sunt: Paganismus, Iudaismus, Mahumetismus, Atheismus, Deismus, Pantheismus, Rationalismus etc.

190. II. **Haeresis** formalis est error liber et pertinax *in eo qui fidem susceperat.* — Ab ea *specie non differt apostasia* quae est defectus totalis a vera fide.

191. Resolves 1° Haeresis formalis est peccatum *grave ex genere suo toto.*

2° Specie non differunt variae haereses.

3° Si tamen fit transitus ad sectam haereticam vel infidelium, *accedunt* variae species *contra religionem,* quia singulae sectae includunt varias specie irreligiositates (2).

---

(1) Eamdem hanc triplicem infidelitatis speciem Sporer n. 59 ss. cum aliis aliter interpretatur.

(2) Plura de haeresi et apostasia tradunt Canonistae, ubi de censuris; vid. infra tract. XI.

Secundo notanda sunt peccata quae **in credentibus** et reti- 192.
nentibus fidem occurrere possunt:

1° peccata commissionis et omissionis de quibus cap. pr.;

2° peccata admissa ob non vitata pericula fidei, de quibus pauca hic addimus.

§ I. — *De periculis fidei vitandis.*

Iure naturali sub peccato, pro rato periculo, graviori vel 193.
leviori vitanda ea sunt quae alicui sive natura sua sive ob peculiarem fragilitatem periculum sive amittendi fidem sive aliter contra eam peccandi inducunt.

II. Iure ecclesiastico plura prohibentur ob periculum quod saltem communiter afferunt.

Unde intelligitur esse etiam pericula quae utroque simul iure vitanda sunt. Ea autem quae, vel in quantum, solo iure ecclesiastico prohibita sunt dispensatione licita fieri possunt; quae vero iure naturali, haec illicita manent quamdiu huius prohibitionis ratio adest.

Praecipua pericula, iure saltem ecclesiastico vitanda, sunt: 194.

I. Librorum aliorumque plurium scriptorum lectio etc. (1).

II. Disputatio cum haereticis de rebus religiosis *publica omnibus* est prohibita sine expressa S. Pontificis licentia (2); *privata laicis* est interdicta. Sed haec posterior prohibitio, ut plures notant, cessat urgente necessitate; imo in locis ubi haeresis impune grassatur, abrogata censeri potest. Manet tamen legis naturalis obligatio pro iis quibus res est periculosa.

III. Communicatio cum haereticis (3). — Communicatio *cum infidelibus* generatim, *in rebus mere civilibus* per se *nullo iure* est prohibita. — Communicatio *cum Iudaeis* speciatim, in pluribus rebus etiam mere civilibus, *olim* prohibita erat. Hodie vero ad legem naturalem potius attendendum est, et vi-

(1) Cfr. Curs. Iur. Can., et infra Tract. X.

(2) S. C. C. 8 Mart. 1658.

(3) De qua Canonistae ibid.

tandum scandalum vel perversionis periculum, quod ex nimia cum iis — sicut etiam cum haereticis et incredulis generatim — familiaritate timeri debet. — Communicatio in sacris vel mixtis activa — qua catholicus cum haeretico vel infideli in *horum* ritibus etc. communicat — prohibita et peccaminosa est ex ipso iure naturali saltem ut cooperatio vel ut approbatio exterior et simulatio falsae religionis (1).

Nota. Praeterea tamquam periculosa notanda sunt 1° frequentatio scholarum acatholicarum(2); famulatus apud acatholicos(3).

§ II. — *Quaesita.*

195. Quid de liberalismo? — Liberalismus, ut differt ab atheismo et rationalismo, et tamquam *doctrina* spectatus, est systema politico-religiosum quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur. Eum suprema sua auctoritate reprobarunt Pius IX Encycl. *Quanta cura* 8 Dec. 1864, et Leo XIII Encycl. *Libertas* 20 Iun. 1888. Cfr. Denz. n. 1538 sqq.

« Ut autem statuatur, quale peccatum contra fidem committat qui liberalismum profitetur, sedulo inspiciendum est, quid praecise per illam professionem suam intelligat; cum inter eos qui non penitus ad atheismum vel rationalismum deflexere et catholici manere volunt, infinita varietate haec liberalismi vox accipiatur; deinde videndum quousque ignorantia et bona fide a formali peccato quisque excusetur. Haec breviter indicasse sufficiet:

1° Haereticus est qui plene amplectitur liberalismi doctrinam seu eius suprema capita, puta plenam independentiam Status ab Ecclesia, vel — quod peius est — subiectionem Ecclesiae Status auctoritati. Nam aliqua subordinatio Status ad Ecclesiam manifeste continetur in plena potestate qua Christus Petrum

---

(1) De Matrimonio speciatim cum infidelibus vel acatholicis dicetur in Tr. de Matrim.

(2) Cfr. Tr. de IV Pr. Dec.

(3) De quo plura Sect. III.

eiusque successores instruxit: quod iampridem Bonifacius PP. VIII in Bulla « Unam sanctam » definivit.

2° Idem dicendum est de iis liberalibus qui pertinaciter tenent doctrinas quasdam particulares quae etiam fidei divinae adversantur ex gr. eam quae proscripta est prop. 73ª Syllabi Pii IX: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium... ». Denz. n. 1621.

Saepe ab haeresi excusantur catholici, qui hos errores tuentur, propter ignorantiam, quae tamen plerumque culpabilis est; imo haeresim veram committerent qui diserte animum gererent haec prava dogmata retinendi, etiamsi ea ab Ecclesia reprobata esse nossent.

3° Non esset haereticus, sed graviter contra obedientiam Ecclesiae debitam peccaret, qui non teneret fundamentalem doctrinam liberalismi, sed tantum errorem aliquem secundarium, ab Ecclesia quidem reprobatum, minime tamen fidei divinae contrarium, puta prop. 76ᵐ Syllabi: « Abrogatio civilis imperii, quo Ap. sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret ». Denz. n. 1625.

Facilius in hoc argumento aliqua bona fides admitti potest, cum doctrina ipsa de relationibus inter Ecclesiam et Statum minime obvia sit, multique confundant praxim tolerandam cum theoria reprobanda. Si qui vocantur liberales vel has partes politicas sequuntur aliunde tamen boni catholici officia explere videntur, prudenter erit explorandum num in doctrina vel agendi ratione aliquid mali admittant vel sine sufficienti causa malis aliorum consiliis cooperentur, quod crebro, non tamen semper contingit » (1).

Quid de adhaerentibus **propositionibus a S. Sede inferiori quam haeresis nota reprobatis?** 196.

I. Qui sustinet doctrinam erroneam — oppositam conclusioni theologicae — plerumque *haeresis peccatum interne* committit: siquidem veritatem naturaliter certam et evidentem ordi-

(1) Genicot n. 205.

narie non negaverit; quod si non facit, nihil relinquitur nisi ut alteram fide certam neget. Quare merito de haeresi suspectus est et *praesumitur haereticus.*

II. Qui tenet thesim haeresi vel errori proximam, vel temerariam *interne* committit *peccatum temeritatis, externe* vero *etiam contra fidem* delinquit, quum *sibi* periculum creet incidendi in haeresim et labefactandi fidei fundamenta. Qui vero eiusmodi doctrinas docet eatenus contra fidem externe peccat, quatenus periculum illud fidem labefactandi haeresimque inducendi *pro aliis* excitat.

III. Qui sustinet vel docet propositiones damnatas ut scandalosas, haeresim vel errorem sapientes etc. — propter sensum ambiguum — peccat vel peccato irreligiositatis vel peccato contra eam virtutem quam laedit periculum vel scandalum aliis creando. — Quodsi sub verbis ambiguis sensum falsum tenet, peccatum, quod committit, ex modo dictis intelligitur.

IV. Qui tenet doctrinam non ab ipso S. Pontifice sed a Sacris Congregationibus proscriptam, *per se* peccat *temeritate et inobedientia.*

Per se: nam 1° facile etiam gravius, et contra fidem peccare potest, ut quia aliunde plane constat doctrinam proscriptam adversari revelationi, vel propter periculum de quo sub II. — 2° Contra, quia plane impossibile non est Rom. Congregationem a vero aberrarre, fieri potest ut non peccet vir doctus qui ob gravem rationem assensum suspendit, dummodo externam obedientiam servet (1).

SECTIO II. DE SPE (2).

197. Spes, ut *habitus,* est virtus theologica qua ferimur in Deum, quatenus est beatitudo *nostra,* ex promissione divina per media ordinata obtinenda. *Quoad actum principalem* est certa exspectatio futurae beatitudinis ex Dei gratia et nostris meritis. *Actus praevii* sunt 1° amor Dei concupiscen-

(1) Lehmkuhl n. 302 sqq.
(2) Sporer n. 107 sqq.

tiae, quo ferimur in Deum ut summum bonum nostrum; 2° desiderium simplex; 3° desiderium efficax seu intentio.

Obiectum formale *proximum* est ipsa Dei promissio, principale vero et *ultimatum* est summa fidelitas Dei promittentis: Qui omnipotens potest, benignissimus vult praestare, fidelissimus certo praestabit id quod promisit. Alii aliter; sed differentia est potius in concipiendi et loquendi modo quam in re.

Necessitas. Actus spei adultis necessarius est necessitate medii 198.
et praecepti, ut dictum et expositum vel disputatum est de actu interno fidei n. 174 et 179 sqq.

Peccata contra spem, praeter omissionem actus spei per se 199.
seu ratione sui praecepti, sunt 1° desperatio, 2° praesumptio.

I. Desperatio est deliberata abiectio omnis spei consequendi beatitudinem vel media sufficientia ad illam. Est peccatum grave ex genere suo toto, magis tamen vel minus grave pro diversis motivis desperandi; ad quod discernendum attendendum praecipue est, num fundetur in iudicio haeretico, falso vel temerario in materia fidei. Praeterea compleri desperatio eiusque malitia potest odio Dei abominationis, quo quis non vult beatitudinem suam in Deo constituere.

Contra spem peccari potest etiam desiderio perpetuum in hoc mundo vivendi; si nempe revera quis bona praesentia praeferret futuris ac possessioni Dei. Quod non ita frequens; sed plerumque tale desiderium concipitur per modum velleitatis prae magna erga praesentia affectione vel timore mortis ob aeternae beatitudinis incertitudinem (1).

A desperatione proprie dicta distinguenda non solum est mera desperationis tentatio, sed etiam nimius timor, quo non ita facile graviter peccatur. Saepe etiam desperatio fit venialis ex imperfectione actus, eo quod quis prae gravi tristitia non est plene sui compos.

Praesumptio *duplex praecipue* distinguitur: « una quae 200.
innititur propriae virtuti... alia quae innititur inordinate divinae misericordiae » (2). Prior illa involvit haeresim. Altera quoque ab haeresi non est immunis si quis deliberato iudicio

(1) Lehmkuhl. n. 313; Génicot n. 209.
(2) S. Th. 2. 2. q. 21, a. 4.

in sola divina misericordia innititur, exclusa cooperatione. Verum tale iudicium communiter non concipitur, sed practice homo ita agit ac si illud iudicium habeat (1). — Ad hanc alteram pertinent quae sequuntur:

1° Peccat qui divinum auxilium sperat ad res illicitas; quod non fit sine blasphemia et vix sine haeresi.

2° Peccatum praesumptionis admittit qui divinam misericordiam vere sumit pro motivo peccandi, perseverandi in peccato, seu peccata augendi, puta quia aeque facile plura peccata ac pauciora a Deo seu una Absolutione remittuntur: non autem, qui peccat, *concomitanter* solum sperans fore ut peccatum postea remittatur, seu in quo spes tantum removet maiorem timorem quo a peccando cohiberetur; uti nec ille qui peccata multiplicat quia aeque facile peccatum pluries ac rarius commissum confitetur, quamquam haec certe est prava dispositio. — Hoc sibi vult aliorum distinctio: peccare *ex* et *cum* spe.

Praesumptio ultimo notata admittit parvitatem materiae, si nim. ageretur de solis venialibus committendis. Pariter illa qua quis speraret extraordinaria bona contra ordinem divinae providentiae, puta auxilium in aliquo periculo sine oratione. Alii praesumendi modi sunt graves ex genere suo toto.

SECTIO III. DE CHARITATE (2).

201. **Charitas** est virtus theologica qua diligitur Deus propter Se, proximus autem propter Deum.

Distinguitur amor *concupiscentiae, benevolentiae* et *amicitiae*. Amore concupiscentiae quaerimus bonum *nobis;* amore benevolentiae volumus bonum *alteri;* amor amicitiae est amor benevolentiae *mutuus cum affectu unionis;* « in quantum sc. amans aestimat amatum quodammodo ut unum sibi vel ad se pertinens et sic movetur in ipsum » (3). Porro charitas est amor amicitiae.

Affectus et actus praecipui charitatis sunt: 1° *complacentia* de bono habito ab amato; 2° *desiderium* boni amato, seu

(1) Lehmkuhl n. 310, III, 2.
(2) Sporer n. 126 sqq.
(3) S. Th. 2. 2. q. 27. a. 2 c.

benevolentia cum beneficentia; quibus quantum ad Deum addatur 3° *obedientia* seu amor obedientialis, sic dictus a praecipuo eius officio, quod est observantia praeceptorum. Alii actus ut gaudium, fruitio, unio, ad dictos reducuntur.

Obiectum materiale *secundarium* charitatis sumus nos 202.
ipsi et proximus. Dilectio tamen sui neque in definitione communiter neque in mandato divino diserte exprimitur, sed supponitur et implicite continetur.

Proximus noster intelligitur omnis creatura rationalis gratiae divinae aeternaeque beatitudinis nobiscum capax vel particeps seu *creatura re vel spe beata;* excluduntur ergo soli damnati.

Obiectum formale est Deus ut summum bonum *in se,* 203.
seu propter ipsiusmet intrinsecam et infinitam bonitatem ac perfectionem amabilis. Intelliguntur omnes perfectiones divinae, sive collective sive distributive sumptae.

Bonitas Dei relativa seu erga nos — idemque est de aliis attributis relativis — *tamquam talis non* sufficit; *sufficit* autem si consideratur *ut perfectio divina* ad Deum pertinens.

Deus ut bonum nostrum quamquam est obiectum spei et amoris concupiscentiae, si tamen desiderans non sistit in bono suo, sed considerat Deum ut sibi iam inchoative unitum per gratiam, et desiderando tendit ad perfectam unionem et fruitionem, hoc desiderium est verissimus et perfectissimus affectus et actus charitatis (1).

Nos et proximos propter Deum diligimus, si fiat propter supernaturalem et ipsam divinam bonitatem participatam seu quatenus aliquid Dei sumus vel esse possumus. Et quamvis « nemo proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit ut charitas esse possit » (2); tamen *haec*

---

(1) Cfr. S. Bonav. Sent. III, D. XXVII, art. 2, q. 2; D. XXVI, a. 1, q. 1 ad 5; praeterea vide Scholia editionis *Quaracchi* ad D. XXVI, l. c. et ad D. XXVII, a. 2, q. 1. Hic abs re non erit perlegere doctrinam Quietistarum damnatam: Denz. n. 1088 sqq. et n. 1193 sqq. Quae ut facilius intelligantur, recole pleni Quietismi essentiam sistere in *absorptione animae qua spiritualis a Deitate* et proin post se trahere irresponsabilitatem, Semi-quietismi vero, ut vocant, in *amore disinteressato* (ubi nil mali latet, sed) *cum despectu vel saltem neglectu amoris spei.*

(2) S. Greg. P. Hom. 17 in Evang.

dilectio sui est vera charitas quia per obiectum suum formale primario tendit in alterum, sc. Deum (1).

Datur etiam virtus *moralis* qua nos et proximos diligimus, nim. propter honestatem quae lumine rationis in eo amore agnoscitur.

CAPUT PRIMUM.

DE PRAECEPTO CHARITATIS ERGA DEUM (2).

204. **Actus** charitatis erga Deum necessitas medii in N. T. est hypothetica, in defectu Sacramenti.

Praeceptum obligat *quoad modum* ut Deum diligamus super omnia, i. e. amore appretiative seu aestimative summo, atque adeo efficaci et absoluto seu cum firma voluntate Deum numquam, in ulla hypothesi, graviter offendendi. — *Non* praecipitur amor *intensive summus,* neve certus gradus intensionis; *sensibilis* vero nequaquam praecipitur (3).

Quoad tempus antea multi et graves AA. docuerunt praeceptum hoc numquam obligare *per se* ad actum *formalem,* sed ei plene satisfieri per observantiam praeceptorum. Hodie vero magis consentiunt hoc praeceptum ut affirmativum obligare *in principio vitae moralis,* praeterea saepius in vita: idque maxime propter propositiones ab Innoc. XI damnatas (4). Hoc tamen pro praxi non affert difficultatem: nam 1° non constat *quoties* haec obligatio urgeat; 2° plerique hic etiam sentiunt non requiri actus *explicitos,* sed sufficere implicitos, puta contentos in contritione perfecta, in quolibet opere bono exercito ad finem placendi Deo, in oratione praesertim Dominica, maxime per illa « Sanctificetur... Adveniat... Fiat... »; 3° si qua hac in re committitur negligentia, vix umquam aderit advertentia. — De obligatione per accidens dicendum ut de fide et spe.

205. Praeter omissionem actus praecepti ratione sui, peccata specialia contra charitatem Dei sunt odium tum *inimicitiae,*

(1) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 25, a. 1.
(2) Sporer n. 151 sqq.
(3) Cfr. P. III.
(4) 5ª, 6ª 7ª; Denz. n. 1022 sqq.

quod est peccatorum omnium gravissimum; tum *abominationis* — quo quis Deum, seu Dei attributa, non secundum se, sed ut ipsi mala sunt, detestatur — quod peccatum est priori levius, semper tamen mortale. Quo reducitur omnis motus deliberatus pravae vel malignae affectionis erga Deum. A quibus omnibus distingue affectus abominationis, aversionis, indignationis, impatientiae solum contra ipsa mala vel adversa occurrentia vel homines qua illorum causas, sine motu adversus ipsum Deum: qui affectus ad impatientiam vel odium proximi spectant.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRAECEPTO CHARITATIS ERGA SE (1).

Charitas cuique imponit curam salutis tum temporalis tum spiritualis. Quod salutem spiritualem attinet, officia hominis coincidunt cum aliis eius obligationibus; et peccata opposita in aliis peccatis implicite continentur. Dicendum itaque solum hic est de obligationibus quoad salutem temporalem: quae indicantur eâ quae sequitur:

Regula. I. Numquam licet *propria,* et probabiliter neque *alia* humana auctoritate seipsum directe occidere; 206.

II. neque indirecte, ad mortem suam proxime cooperando se periculo mortis exponendo, vel mortem suam permittendo, *nisi ob iustam causam;*

III. neque se mutilare *nisi* ad totius corporis conservationem.

Ratio regulae, praeterquam, imo magis quam ex charitate sibi debita, petitur ex iure Dei qui solus est humanae vitae directus et absolutus dominus.

Ad I. Reum iuste capitis damnatum licite, auctoritate civili, in seipsum mortis sententiam exequi, communius negant; non pauci probabiliter affirmant, cum nihil impedire videatur quominus reus duplicem personam, punientis et puniti, agat. Eum cogi ad hoc non posse, consentiunt, quia nimis inhumanum foret. 207.

(1) Sporer, tr. V, n. 366 sqq.

208. Ad II. Peccant mortaliter qui noxia sumendo, vel intemperanter vivendo *proxime* gravem morbum, magis si mortem causant vel notabiliter accelerant. Item qui solum lucri causa, vel simili, probabili se mortis periculo exponunt, ut imperiti funambuli vel ieiunium ex sponsione diutius protrahentes; *secus si* arte vel experientia periculum *remotum* est.

Licet vero ob rationem, pro rata gravem, causam indirectam mortis vel morbi ponere, modo finis rectus sit, et bonus effectus saltem aeque immediate sequatur ac malus (1). Hinc:

1° Licet in naufragio tabulam iam apprehensam qua salvari posses, alteri cedere, et sic mortem tuam, etiam certam, permittere.

2° Licet ad vitandam mortem acerbiorem, secus actu inferendam vel subeundam, se in periculum etiam certum mortis minus acerbae coniicere; v. gr. se ex alto praecipitem dare vel in mare proiicere ad evadendum incendium vel mortem atrocem ab alio inferendam.

3° Licet militibus ignem pulveri tormentario iniicere ad evertendam munitionem hostilem, vel propriam navem incendere aut submergere ne hostes in damnum Reipublicae ea potiantur, etsi praevideant se simul esse perituros.

4° Licet virgini ad servandam integritatem corporalem se certo mortis periculo exponere, etiamsi confidat se non concensuram; non ita facile tamen liceret ei se in certam mortem coniicere.

5° Licet ex iuxta causa utiles labores assumere, regionem valetudini nocivam petere etc., etsi vita pluribus annis minuenda videatur.

209. Obligato positiva est vitam conservandi mediis ordinariis, cuiusque statui congruentibus; non vero extraordinariis statu attento. Priora enim negligere, non posteriora, moraliter idem esset ac sibi mortem dare.

Resolves. 1° *Non tenetur* quis uti mediis pro suo statu nimis sumptuosis; vel subire curationem cum maximis doloribus, vel gravem mutilationem; neque puella tenetur subire magnum pudorem.

---

(1) Secundum dicta n. 9 sq.

2° *Tenentur* plerique ut habeant vel habituri sint unde vivant, laborare vel artem utilem addiscere. — Aliis autem, i. e. singulis per se non praecipitur labor nisi in quantum necessarius est ad alia officia implenda, puta pietatis, charitatis, et maxime ad vitanda peccata.

Ad III. 1° *Non licet* inveni sibi *pollicem abscindere* ad se liberandum a militia subeunda et ad vitanda pericula sive corporale sive spirituale; prius enim periculum remotum est, alterum voluntati subiacet. 210.

2° *Non licet se castrare* ad servandam castitatem vel tentationes sedandas; ob eamdem ac supra rationem, et accedit medii inefficacia.

3° *Neque licet,* lucri faciendi causa, *pueros* etsi consentientes *castrare* ut vocem suavem servent: id quod communiter, contra paucos, ut certum docent.

CAPUT TERTIUM.

DE PRAECEPTO CHARITATIS ERGA PROXIMUM.

ARTICULUS I.

DE PRAECEPTIS AFFIRMATIVIS (1).

Praecipitur duplex actus charitatis erga proximum; unus internus et elicitus: ipsi bene velle; alter externus et imperatus; de quo n. sq. 211.

De actu interno (2). Communius censent (3) huic obligationi satisfieri per occasiones quibus urget praeceptum dilectionis per accidens; puta quum urget gravis tentatio odii, vel odium conceptum est deponendum, vel alicui in necessitate constituto est succurrendum. Abstrahendo autem a talibus circumstantiis, practice saltem facillime satisfit communi oratione, v. gr. Dominica a qua nemo excludatur.

---

(1) Sporer, Tr. III. n. 691 sqq.

(2) Cfr. Propp. 10ª et 11ª damn. ab Inn. XI; Denz. n. 1027 sq.

(3) Idque Sporer n. 707 docet absolute.

212. **De actu externo** I. Debentur *omnibus* signa communia charitatis. Quorum alia sunt *absolute* communia, ea nim. quae omnes omnibus exhibere solent; alia sunt *respective* talia quae inter coniunctos pro diverso coniunctionis genere et gradu mutuo exhiberi solent, quaeque proin erga non vel non ita arcte coniunctos censentur specialia. Utraque variant pro variis locorum consuetudinibus, quae ideo casu occurrente, puta ut iudicium feratur quid inimico debeatur, sedulo attendendae sunt. Ut plurimum autem communia habentur: salutantem resalutare, alloquenti respondere, postulanti merces vendere et similia.

II. Obligatio est opem ferendi proximo quum concurrunt hae *duae conditiones:* 1° *necessitas* proximi nota; 2° *facultas* moralis succurrendi.

213. I. Ad 1^m conditionem. Obligatio charitatis communis solum respicit casus necessitatis *cuivis occurrentes;* non imponit legem inquirendi; haec oritur ex pietate seu ex speciali coniunctione vel ex officio superioris.

II. Ad 2^m conditionem. Haec duo praecipue supponit: 1° dari *spem fructus* seu effectus futuri; 2° succurri posse *sine proprio incommodo relative gravi.* In postremo maxime est difficultas practica. Praemittimus generalia, postea dicturi speciatim de eleemosyna tum temporali seu proprie dicta, tum spirituali seu correctione fraterna.

§ 1. — *De Ordine Charitatis* (1).

214. **Praenotandum.** Quoad affectum complacentiae, post Deum praeferendi aliis sunt meliores seu sanctiores Deoque similiores; qui ideo maiori quoque cultu, reverentia et amore sunt afficiendi. Qua etiam ratione parentes prae liberis, benefactores prae beneficiatis etc. sunt diligendi. In hoc nulla difficultas; aliud est de affectu desiderii seu de benevolentia et beneficentia; pro quo

Ordo essentialis et universalis est ut diligatur 1° loco Deus, 2° nos ipsi, 3° proximus; et — quoad nos et proxi-

(1) Sporer, Tr. III, n. 803 sqq.

mos — 1° loco quoad animam seu vitam et bona spiritualia, 2° quoad corpus seu vitam temporalem, 3° quoad bona temporalia. Unde, ceteris paribus, plerique casus sat facile resolvuntur.

Stante disparitate **triplex ordo** est attendendus (1): primus ordo necessitatis, idque independenter ab utroque sequenti; secundus ordo bonorum, independenter ab eo qui sequitur; tertius ordo personarum. 215.

Ordo necessitatis triplici constat gradu: 1° extrema, cui aequiparatur gravissima seu quasi-extrema; 2° gravis; 3° communis. Quae ita distinguuntur secundum duo *simul* attendenda: 1) secundum *bonum* maximum, magnum vel non ita magnum, cuius respectu quis necessitatem patitur; 2) secundum impotentiam vel *difficultatem* maximam, magnam vel minorem seipsum e necessitate liberandi. V. gr. in necessitate extrema vel quasi-extrema versatur, cuius salus aeterna vel vita temporalis ita periclitatur ut sine alterius auxilio vix vel ne vix quidem salvari possit (2). 216.

Ordo bonorum, respectu quorum supponitur necessitas: 1° loco bona spiritualia; 2° loco temporalia *interna*, vita, sanitas; 3° loco temporalia *externa* 1) *moralia*, honor, fama; 2) *physica*, bona fortunae. Quae tamen 2° et 3° loco enumerata sunt, eorum in morali aestimatione ordo quandoque variari potest; puta si bonum maximum inferioris ordinis comparetur bono minimo superioris ordinis. 217.

Ordo personarum; post Deum. 218.

I. Primo nos ipsi; secundo proximus.

II. Inter proximos: 1° *coniuncti;* 2° *extranei.*

III. Coniunctionis ordo 1. Quoad obsequia communia et extra necessitatem 1° *spiritualis;* 2° *carnalis;* 3° *civilis.*

Coniuncti in suo quisque genere 1) aliis etiam coniunctis praeferendi sunt secundum ea tantum bona in quibus ista coniunctio fundatur; 2) magis coniuncti praecedunt minus coniunctos.

2. In vera et gravi necessitate, etiam spirituali, cognatio carnalis praecedit spiritualem.

(1) Cfr. n. 219

(2) Cfr. P. II.

IV. 1° *Communitas* vel persona bono communi necessaria; 2° *persona singularis* et privata.

219. Ex dictis quasdam deducemus regulas plus minusve speciales et practicas; sed praenotamus et monemus: ordo, qualem exposuimus, is est qui servari possit vel etiam conveniat, at non semper qui servari debeat. In quibusnam et in quantum sub peccato ordo iste servandus sit, persaepe difficillime discernitur. Quocirca in memoriam revocamus regulam generalem in materia de peccatis traditam (1), secundum quam ne censeatur grave peccatum commissum, nisi de notabili, eaque necessarii ordinis inversione clare constet.

220. Regula I. Quoad bona spiritualia necessaria ad ultimum finem quisque tenetur simpliciter et absolute sese aliis praeferre. Quinimo ne *veniale* quidem umquam peccatum licitum esse posse ad succurrendum proximo, per se patet. — *Licet vero* quandoque bonum spirituale, non ex praecepto consequendum, negligere vel differre in utilitatem etiam temporalem proximi; item probabili peccandi periculo, caute tamen, se exponere.

Regula II. Proximo in necessitate *spirituali* extrema constituto succurrendum est cum periculo et cum ipso certo dispendio cuiuscumque boni *temporalis*, etiam ipsius vitae, *positis tamen ponendis* (2).

Regula III. In spirituali proximi necessitate gravi *eadem obligatio solis Pastoribus* animarum incumbit. — *Alii* sub gravi obligantur, sed *non cum gravi incommodo.*

Necessitati extremae practice aequiparanda videtur necessitas gravis et communitatis, eo maxime quod in hypothesi certo credi debeant esse etiam qui vere in extrema necessitate versentur.

De necessitate spirituali communi, illius nim. qui, nisi moneatur etc., graviter peccaturus est vel in peccato perseverabit, vide § III.

De necessitate corporali dicitur in ea quae sequitur

§ II. — *De Eleemosyna* (3).

221. **Eleemosyna** definitur: opus quo datur aliquid indigenti propter Deum. Quae postrema verba adduntur ut sit actus non virtutis mo-

(1) Cfr. n. 125.

(2) Cfr. P. III.

(3) Sporer Tr. III, n. 726 sqq.

ralis tantum sed verae charitatis theologicae (1). Quamquam obligationi satisfieri dicunt, etiamsi motivo charitatis non detur.

Obligatio pendet et metienda est e duobus: e necessitate aliena et facultate propria; n. 212, II, sq. Ad facultatem dantis quod attinet

Necessaria vel superflua bona esse possunt dupliciter: 1° naturae seu *vitae*, 2° personae seu *statui*. 222.

Vitae necessaria dicuntur quae necessario requiruntur ad conservandam vitam *suam et suorum;* statui ea quae necessaria sunt ad decentem conservationem status pro sua cuiusque conditione; quo et annumerari possunt 1° ea quibus provideatur necessitatibus futuris quae communiter accidere solent, ut quae reservantur pro tempore morbi, senectutis, pro educandis, elocandis, dotandis liberis; 2° ea quae conservantur ad statum moderate augendum.

Quae his *utrisque* supersunt, *simpliciter* superflua dicuntur, ut distinguantur a relative seu vitae superfluis, non autem statui.

Resolves I. Non tenetur 1° sola necessaria vitae habens eleemosynam facere etiam laboranti extrema necessitate. 223.

2° Sola necessaria statui habens non tenetur *cum detrimento sui status* eleemosynam facere laboranti *solum gravi* vel communi necessitate.

II. 1° Obligatio certa et gravis est proximo succurrendi in *extrema* necessitate etiam ex bonis *statui* necessariis, seu cum incommodo vel damno non quidem valde magno, sed tali tamen quod absolute grave dici possit, at relative ad necessitatem proximi grave censeri non debet. — Non itaque quis tenetur cum iactura vel gravi detrimento sui status; neque, etiam ex bonis *simpliciter* superfluis, tenetur expendere magnam pecuniae summam ad procuranda media prorsus *extraordinaria* (2). 224.

---

(1) Vix opus est monere, nos non loqui de charitate theologica, quatenus in statu naturae purae posset et deberet esset virtus vel actus naturalis, sed de charitate theologica supernaturali, quae Deum respicit *aliquo modo* supernaturaliter apprehensum.

(2) Cfr. n. 209, et P. II.

2° In *gravi* necessitate obligatio certa est dandi eleemosynam ex bonis *simpliciter superfluis* (1). — Sed num gravis sit obligatio non omnino convenit inter AA. Plerique affirmant, idque saltem in gravi necessitate *plurium* multo probabilius videtur. Sunt etiam qui obligationem statuunt ex bonis statui non valde necessariis; sed hoc multi negant.

Alia praeterea est inter AA. *controversia*, sc. num gravis necessitas quae non ducit ad extremam, sufficiat ad inducendam obligationem, gravem vel levem, *certo cuipiam* indigenti succurrendi. Difficultas non est si plures simul versentur in gravi necessitate, ita ut omnibus subvenire quis non possit: tunc enim per se loquendo certo satisfacit qui alicui eorum quem ipse praetulerit, succurrat, vel pluribus simul ex parte. Sed difficultas spectat casum quo existens in gravi indigentia concurrat cum pauperibus vulgaribus. Talis saltem valde probabiliter videtur praeferendus; non tamen diffitendum opinionem negantem habere suos patronos, i. q. S. Thomas (2) citatur.

Magis conveniunt AA. gravem esse obligationem avertendi grave malum proximi, si commode potest, puta in casu incendii.

3° In *communi* necessitate obligatio certa videtur, ex communi contra paucos, dandi eleemosynam ex bonis *simpliciter superfluis;* sed num gravis an levis dubitatur, utrimque probabiliter. — Gravem, quam supponit, obligationem ita explicat Suarez ut dives teneatur dare aliquid, aliquando et aliquibus; non semper neque omnibus petentibus; nim. si haberet *propositum* formale vel virtuale *numquam dandi* eleemosynam nisi in gravibus necessitatibus, illud foret peccatum *mortale*.

225. Ad 2^m^ et 3^m^ nota 1. Neque a veniali excusandus videtur, qui non superflua quidem at statui commodoque suo convenientia bona habens 1° pauperes ordinaria necessitate pressos plerumque sine ullo auxilio dimittit; vel 2° ut singularis hominis necessitatem omnino gravem sublevet, ne leve quidem donum concedere vult,

---

(1) Huc spectat prop. 12 ab Innoc. XI die 2 Mart. 1679 damnata: *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Denz. n. 1029.

(2) Quodlib. 8 q. 6 a. 12.

maxime quum id fere fieri possit ex iis rebus, quibus ipse pro se suisque iam uti nolit.

2. In reliquis autem casibus qui occurrunt, fideles potius, proposito merito eleemosynae, exhortandi quam obligatione urgendi sunt; idque multo magis nostris temporibus valet, quando tributis impositis fere quilibet etiam ad sublevandos pauperes cogitur (1).

3. Pro omnibus necessitatibus nota accidere posse, ut re in commodatum vel mutuum data vel vendita satis provideatur proximi necessitati, consequenter obligationi satisfiat.

Quantum et quo modo dari debeat vel expediat, aestimandum est ex quatuor: 1° ex quantitate facultatum; 2° ex necessitate pauperum; 3° ex numero pauperum; si enim multi sunt, expedit ut minus detur singulis, quo plures iuventur; si vero multorum necessitas est gravis et extrema, et plures satis iuvare nequis, praestat uni vel paucis dare quod prosit, quam inter plures dispergere quod non prosit; — 4° ex ordine charitatis; supposita enim plurium necessitate aequali, aliis praeferendi sunt nobis corpore vel spiritu magis coniuncti; n. 218. 226.

I. *Per se* solum ex bonis propriis et iustis seu restitutioni vel solutioni debitae non obnoxiis dari debet et potest. 227.

II. *Uxores, filiifamilias, tutores, famuli* quid possint ex bonis alienis vel quorum administratio est penes alium, maxime pendet e consuetudine et consensu rationabiliter praesumpto illius cuius interest.

Corollarium. Ex dictis patet de operibus misericordiae corporalibus *generatim,* quae nim. omnes nomine eleemosynae comprehenduntur, quorumque omnium respectu potest esse maior minorve necessitas proximi, adeoque maior minorve succurrendi obligatio. 228.

Speciatim notetur medicos, advocatos, aliosque in simili officio constitutos teneri gratis succurrere pauperibus, nisi publicis sumptibus sit provisum.

§ III. — *De Correctione fraterna* (2).

Correctio — magis proprie: *correptio* — fraterna est admonitio proximi de emendando peccato huiusve periculo vitando, 229.

(1) Lehmkuhl n. 606, V.

(2) Sporer, tr. III, n. 770 sqq.

facta ex charitate; cfr. n. 221. Stricte loquendo plures eam solam intelligunt quae spectat emendationem peccati *commissi;* eam autem quae tendit ad vitandum peccatum *futurum,* dicunt simplicem admonitionem. Est quaestio de nomine; nam eadem moraliter est res et obligatio, cum idem sit utriusque obiectum formale seu intentum: avertere malum spirituale proximi.

Est itaque *fraterna* correctio fratris ad fratrem, eiusque finis bonum spirituale ipsius qui corripitur. In quibus *differt a iudiciali* quae est Superioris ad subditum, cuiusque finis primarius est bonum commune. Inter utramque media est correctio *paterna* quae fit a Superiore solum quia talis, non qua talis est, i. e. non tamquam iudex neque per poenae impositionem, sed tamquam aliis ad corrigendum aptior.

230. **Obligatio** correctionis fraternae, positis ponendis, faciendae, eaque gravis ex genere suo, non solum est legis divinae positivae(1), sed etiam naturalis, ut a fortiori sequitur ex dictis de eleemosyna, quacum correctio maximam habet similitudinem; quare etiam dictorum de illa pleraque in hanc quadrant. — Omnes quoque ligat haec obligatio ex charitate; cui *pro Superioribus et animarum Pastoribus* accedit (2) obligatio *pietatis vel iustitiae,* quae obligatio gravior est, neque tam facile excusationem admittit.

231. **Conditiones** requisitae ut obligatio gravis *reapse* urgeat, sunt:

1° Ut certo constet de gravi peccato commisso, eiusve committendi gravi periculo. — *Inquirere* autem num proximus peccarit vel peccaturus sit, per se atque ut plurimum soli superiores et licite possunt et subinde debent.

2° Ut correptio necessaria videatur, neque probabiliter proximus sponte iam se emendaverit vel emendaturus aut periculum vitaturus sit.

3° Ut desit aptior qui correpturus saltem probabiliter sit.

4° Ut sit spes, saltem unice probabilis, fructus.

---

(1) Matth. XVIII, 15.

(2) Vel potius: quae est etc.; cfr. Tr. IV ante n. 115.

3° Ut sine gravi incommodo fieri possit; cfr. tamen n. pr. in fine.

Practice concludunt et notant pro privatis personis et inter aequales raro adesse simul omnes conditiones, consequenter et obligationem.

I. *Per se* in correptione facienda servandus est ordo a Christo praescriptus: ut primo fiat privatim, dein coram uno vel altero teste privato, tandem fiat denuntiatio Superiori. Quae denuntiatio intelligitur, non iudicialis, sed evangelica quae nim. fit Superiori ut patri, saltem per se et primario. 232.

II. Casus excepti ab obligatione huius ordinis servandi praecipue sunt:

1° Quum *peccatum est publicum.*

2° Quum agitur de avertendo *damno communi vel tertii innocentis,* cui a privato non satis certo occurri possit.

3° Quum ex primo vel secundo correptionis modo *non speratur fructus.*

4° Si corripiendus *iuri suo hac in re cessit,* ut fit in nonnullis Ordinibus religiosis; quamquam et in hac hypothesi, etsi cesset obligatio iustitiae, manet tamen obligatio charitatis parcendi famae proximi, si sola correctio privata censeatur moraliter certo efficax.

Quaer. num alumni a Confessario sint sub gravi obligandi ad denuntiandos occultos corruptores? 233.

Resp. 1° Si tantum timetur unius vel alterius damnum, haec obligatio non videtur urgenda cum gravi incommodo denuntiaturi; nam charitas non obligat ad privatum damnum impediendum cum tanto incommodo. Hoc autem facile adesset, si poenitens denuntiationem exequi non posset nisi simul proprium scelus fateretur Superiori apud quem integra fama frueretur. Insuper, saltem in nostris regionibus, plerique valde abhorrent delatoris nomen vel suspicionem.

2° Si grave damnum commune timeretur, ut puta plurium corruptio vel domus infamia, urgenda esset obligatio denuntiationis, non obstante gravi incommmodo poenitentis, *nisi* Confessarius clare praevideret hanc monitionem suam non esse profuturam, vel dubitaret de efficacia denuntiationis ad malum praecavendum » (1).

Quoad modum etiam correptio est facienda *cum charitate.* Saepius non prospere succedit quia deficit in modo, ut si fiat cum 234.

(1) Génicot n. 221.

ira, asperitate, animi impetu, coram aliis. Plerumque neque convenit ut delinquens statim corripiatur (1).

235. Peccata venialia, nisi forte proxime disponant ad mortalia, nemo non-Superior tenetur corripere, nisi summum sub veniali cum facillime potest.

At vero Superiores, maxime religiosi, ex officio per se tenentur corripere etiam venialia subditorum; idque sub mortali si impunitas et licentia peccandi venialiter invalesceret cum notabili damno Religionis et religiosae disciplinae detrimento.

236. Ex ignorantia invincibili peccantem vel peccaturum admonendi obligatio, si datur, proprie huc non spectat, nisi accedat periculum *formaliter* peccandi, quod subinde revera timendum est. Multi quidem statuunt obligationem, praesertim si agitur de iure naturali laeso vel laedendo; sed alii eam negant.

Per accidens autem certa obligatio monendi oriri potest, praesertim *ob damnum tertii vel commune,* ut si quis ex ignorantia detinet rem alienam; ob damnum *ipsius ignorantis,* ut si quis ingressus est societatem quam nescit esse catholicae religioni adversam; *ob scandalum,* ut si Sacerdos inscius domum meretricum ingrederetur. Praeterea notanda hic est obligatio parentum, Pastorum, aliorumque qui ex officio tenentur monere et docere sibi subditos vel commissos (2).

ARTICULUS II.

DE PRAECEPTIS NEGATIVIS (3).

Peccata commissionis contra charitatem proximi praecipua sunt: *odium* et *invidia,* de quibus hoc loco; *scandalum* et *cooperatio,* de quibus cap. seq.

237. **Odium** duplex est: *abominationis* et *inimicitiae;* abominationis rursus duplex: ipsius *personae* et *qualitatis* tantum.

---

(1) Lehmkuhl. n. 612.

(2) Génicot n. 219. III. De Confessario vid. P. III.

(3) Sporer, tr. II, n. 173 sqq.

Odium abominationis ipsius *personae* proximi est quo ipsam personam secundum se velut malum displicens indignum nostra dilectione vel amicitia aversamur.

Odium abominationis *qualitatis* est quo proximum solum secundum aliquam qualitatem ipsi adiacentem — seu hanc, non ipsam personam proximi — aversamur.

Odium inimicitiae est actus deliberatus voluntatis, quo proximo, ut malo nobis displicenti apprehenso, etiam malum volumus. Eius affectus et actus directe opponuntur actibus internis charitatis; complacentiae opponitur tristitia de bono proximi; desiderio boni seu benevolentiae et beneficentiae desiderium mali et tendentia ad malum proximi.

Resolutio I. Odium abominationis proximi *quoad* 238.
qualitatem ex se indifferens est. Eius moralitas pendet e qualitate proximi seu e causa propter quam concipitur.

II. Odium abominationis proximi *quoad personam* deliberate conceptum est grave peccatum, cum sit positiva exclusio proximi a communi charitate.

III. Odium inimicitiae est etiam mortale ex genere 239.
suo. Quantum reapse peccetur, pendet e quantitate mali quod proximo optatur, vel boni quo ut privetur desideratur seu de quo tristitia fovetur. Sed

Nota. Desiderium mali proximi — idemque est de aliis affectibus — ut vere sit peccatum odii, ponitur desiderari proximo malum *quatenus ei malum est.* Nam contra

Licet optare malum aliquod proximo desiderio ineffi- 240.
caci (1), dummodo 1° primario feratur *intentio in bonum* sive illius ipsius sive optantis sive tertii; *et* 2° *servetur ordo charitatis* debitus, quo nim. attento bonum hoc merito praeferatur illi malo. Sic licet alteri desiderare iacturam bonorum, morbum vel etiam mortem, quo cesset peccare, innocentibus damna dare, familiam infamare etc. Non licet vero cupere mortem patris ut obveniat pinguis hereditas (2).

(1) Nam efficaci, seu proposito inferendi malum, obstat iustitia.

(2) Cfr. propp. 13ª sq. damn. ab Inn. XI; Denz. n. 1030 sq. Plura huc spectantia vid. n. 132 sqq.

241. De specie et numero peccatorum nota ex sententia communiori et probabiliori peccata *non differre* specie vel numero pro variis malis vel pluribus uno actu proximo optatis, quia, ut ponitur, omnia apprehenduntur sub unica ratione mali proximi.

242. **Invidia** est tristitia de bono alieno aestimato ut malo proprio, nim. ut minuente vel obscurante propriam invidentis excellentiam: qua ratione invidus — ut revera eius tristitia charitati adversetur — ponitur desiderare ut proximo bonum illud potius desit. Differt itaque a tristitia odii.

Differt etiam 1° a tristitia de bono alterius quatenus illo abutitur in damnum nostrum vel aliorum; puta de doctrina, eloquentia haeretici; 2° de bono proximi, non quia ipsius est, sed quia — cum idem nequeat esse plurium — nobis deest; ut si mercator vel caupo videns plurimos emptores vel hospites ad suum vicinum divertere, dolet de illo concursu quatenus ipsi est lucri cessatio; 3° de bono proximi quia illo vere indignus est. Quae triplex tristitia non est ex se peccaminosa, nisi sit excessiva, vel divinam providentiam aliquo modo accuset, etc.

ARTICULUS III.

DE DILECTIONE INIMICORUM (1).

243. Ut inimicos diligamus speciatim praeceptum, non speciale praeceptum est, sed comprehenditur communi praecepto dilectionis omnibus debitae. Quamquam ipsa inimicitiae circumstantia inducere potest obligationem per accidens, quae secus non esset. Itaque

I. Debemus non odisse inimicum, seu non malum ei velle, idque 1° *negative* semper; 2° *positive* quandoque per accidens: puta quum debes inimico reconciliari, vel in necessitate succurrere, vel quum recordatus inimici vel offensae gliscens odium non posse superare tibi videris nisi, positivo actu charitatis elicito, nolis amplius eum odisse, vel ei malum velle. — Huc itaque pertinet obligatio offensam remittendi seu veniam dandi; cfr. n. 246, III.

(1) Sporer n. 184 sqq.

II. Debemus actus et signa communia charitatis inimico exhibere; cfr. n. 212 — *nisi tamen* circumstantiae aliud suadeant vel rationabilis causa excuset — quare non solum bene ei velle sed pro circumstantiis etiam benefacere.

Ad II. — 1° Specialia charitatis signa solum *per accidens quandoque* debentur: puta 1° quum ipse inimicus veniam petens amice te salutat, alloquitur; tunc enim teneris ad reconciliationem, atque non reddendo similia dilectionis signa odium a te retineri ostenderes. 2° Si ea inimico exhibere solebas, nunc vero iis negatis scandalum oriretur. Quod tamen raro in peccatum imputandum erit, quia per se ex interrupta amicitia speciali immerito concluditur ad odium. 3° Si hoc medio inimicum ab odio vel a graviori odio retraheres. Quod, cum pertineat ad generalem charitatis obligationem succurrendi proximo in spirituali necessitate, practice plerumque non urgebit ob grave incommodum quale generatim habetur exhibere offensori specialia charitatis signa. 4° Quoties signa illa specialia omittere ex circumstantiis evaderet signum speciale odii vel inimicitiae: ut si omnes cognatos vel vicinos ad convivium invites, obvios omnes ex vicinia vel in domo tibi occurrentes salutes, solo inimico excluso; si eleemosynas de proprio vel de alieno legato in omnes loci pauperes distribuens, solos inimicos excluderes, cum tamen eleemosyna sufficeret; secus si non omnibus sufficeret. 244.

2° Dictum est: *nisi tamen* etc. ». 1° *Prudenter* quandoque signa communia, ad tempus saltem, *negantur:* puta quia inde speratur inimicus emendandus; vel quia timetur ex his signis deterior futurus, iniuriam illatam vilipensurus, facilius denuo illaturus, vel ipsa signa charitatis male interpretaturus; quia times ne novae lites oriantur. Speciatim pater vel superior ad iustam punitionem filii vel subditi delinquentis prudenter eis denegat signa charitatis solita, ut suum errorem agnoscant, ut eorum incuriam, proterviam vel insolentiam frangat.

3° *Excusat* praecipue significatio iusti doloris, ut si negatio solum fiat in signum acceptae, perceptae ac dolentis iniuriae, vel ex ingenti animi dolore ob acceptam iniuriam. Extra hos et similes casus

245. III. Negando communia inimico signa charitatis peccatur pro ratione 1° intentionis internae et 2° significationis externae offensivae inimici.

Ad 1m Videndum num negatio illa fiat vere ex odio, et ex quali et quanto; cfr. n. 238 sq.; ad quod diiudicandum attendendum etiam est ad causam ob quam fiat.

Ad 2m Tria consideranda sunt: 1° num agendi ratio vere significet internum odium et inimicitiam, an vero alii causae attribui possit et debeat, puta inadvertentiae, distractioni etc.; 2° num inimicus advertat; 3° num etiam sentiat, aegre ferat, scandalizetur, itàque in inimicitia obfirmetur, atque num multum an parum.

246. I. Reconciliationis regula assignatur haec: offensor inchoare debet reconciliationem; si vero mutua fuit offensio, et iniuriae aequales, ille qui prior; si iniuriae inaequales, ille qui gravius offendit. Verum in mutua offensione, cum facile uterque sibi persuadeat se gravius esse offensum, uterque — nisi prorsus evidens sit gravior offensa — a Confessario urgendus est ut reconciliationem procuret, puta ut saltem incipiat salutare vel per alios reconciliationem proponere.

II. Veniae petitio *formalis* practice tum solum necessaria est, quum èt gravis fuit offensio, èt aliud medium adhiberi ad reconciliationem vèl non potest, vèl omnibus prudenter consideratis non convenit; ut si laesus eam rationabiliter petat, vel superior ita decernat, vel si alicubi, puta in Ordine religioso, sic moris sit, vel si laesus sit Superior, pater etc. Sed et tunc caute procedere debet Confessarius, cum saepe prudentia suadeat ut rem silentio premat ne poenitentis bonam fidem perturbet.

Necessaria non est in his et similibus casibus: 1° si offensor est multo superior; qui tamen debet et facillime potest aliis modis offensi animum reconciliare; 2° si alia aequivalens et aeque grata satisfactio exhibita est; 3° si laesus eam non curat, vel veniam non concessurus vel magis irritandus creditur; tum opportunius tempus expectari potest. Cfr. P. II.

III. Veniam dare, *etiam externe,* offensus debet eam *petenti*, *opportune* tamen. Nam 1° per se non tenetur ad *externam* reconciliationem, nisi offensor petat; et 2° non est urgen-

dus offensus ut *statim* post iniuriam illatam, atrocem praesertim, petenti det veniam: hoc enim supra humanam fragilitatem et res violenta foret.

IV. Post reconciliationem et offensae condonationem intima familiaritas seu amicitia quae *libere* antea contracta erat, non est ex obligatione redintegranda. Aliud est si intercedat relatio insolubilis, puta cognationis etc.; tum enim offensor secundum modum omnibus cognatis etc. debitum tractari debet.

247. Quid iudicandum de poenitente, qui Confessario dicit se omnino velle ignoscere, sed non posse oblivisci, non quidem odisse, non tamen posse aspicere etc.?

Resp. Advertendum tales saepe ita constitutos esse, non ex vero odio voluntario, sed solum ex forti impressione phantastica, maxime melancholicos et cholericos; qui statim ad recordationem iniuriae acceptae, ad conspectum vel praesentiam inimici, moventur ad amaritudinem contra ipsum, ita ut eiusmodi motus vèl praeveniant vèl perturbent rationem, et saepe in verba, gestus et signa atrocia erumpant, licet revera voluntate non consentiant; quin etiam facti sui compotes et advertentes motus illos, resistant contrario actu amoris et benevoleutiae. Cum his Confessario habenda est patientia et caute eis credendum quum dicunt se ex animo ignoscere inimico, non tamen posse oblivisci. Si tamen capaces sint, interrogandi sunt quo sensu non possint oblivisci: num solum quoad memoriam et horrorem iniuriae acceptae, an vero quoad malevolentiam; si prius, credat Confessarius et absolvat; si posterius, ut absolvere possit, ad meliorem dispositionem adducere conetur.

CAPUT QUARTUM.

DE SCANDALO ET COOPERATIONE.

248. Haec, ut adversatur charitati, sunt eiusdem speciei; *differunt* in hoc quod *scandalum ad voluntatem* peccandi concurrit, *cooperatio ad opus* ipsum peccaminosum. Non raro in una actione utrumque simul occurrit, ita ut ad moralitatem actionis diiudicandam utrumque considerari debeat.

ARTICULUS I.

DE SCANDALO.

§ I. — *Notio et Divisio* (1).

249. **Scandalum** definitur: opus minus rectum praebens proximo occasionem ruinae spiritualis.

(1) Sporer, Tr. V, n. 7 sqq. et n. 27.

I. Opus: intelligitur *dictum, factum* vel *omissio.*

II. Minus rectum: i. e. vel *malum* vel *mali speciem* prae se ferens.

Ad posteriorem classem referenda sunt: — 1° ea quae, per se prohibita, ex dispensatione aliave causa excusante licite fiunt; — 2° ea quae, in se omnino licita, nata tamen sunt aliis periculum creare; uti ea quae inter solos coniuges per se licent, sed ab aliis sine periculo videri vel animadverti nequeunt; — 3° ea quae, reapse non mala, suspecta tamen sunt et hac ratione peccatis ansam praebent; ut si Sacerdos mulierem suspectam apud se retineat.

250. Dictis operibus datur *activum* scandalum proprie dictum, cui respondet *passivum* scandalum simpliciter sic dictum — alii vocant: *datum,* alii *acceptum quia datum.*

Verum etiam ex opere omnino recto, bono vel indifferente, *sumi* potest occasio peccandi seu scandalum improprie dictum. Quod quidem si sumatur *ex mera malitia,* dicitur *pharisaicum;* si *ex fragilitate vel ignorantia, pusillorum* audit. Quia tamen ex charitate per se tenemur avertere a proximo damnum spirituale, si per opus in se omnino rectum contra hanc obligationem peccatur, huiusmodi opus *latiori sensu* tum minus rectum tum scandalum vocatur: idque videtur eiusdem speciei esse ac scandalum proprie dictum. Dicitur *acceptum* vel *mere acceptum.*

251. III. Praebens proximo etc.

1. Non requiritur ut peccatum proximi intendatur vel quaeratur. Quod *si intendatur,* scandalum dicitur directum: si intendatur *formaliter ut peccatum* — malum proximi, offensa Dei — vocatur diabolicum seu directum *et* formale; si quaeratur ob aliam quamvis rationem, ut utilitatis, delectationis, dicitur directum simpliciter.

2. Quodsi lapsus proximi non quaeratur, habetur scandalum indirectum, ad quod requiritur.

1° ut praevideatur vel praevideri debeat proximi ruina vel huius probabile periculum. Quare 1) a scandali indirecti peccato *non excusatur,* qui vere periculum alienum timere debuit, etsi reapse alter non peccaverit. Contra 2) *excusatur* qui posuit

opus per se quidem periculosum, non tamen in datis circumstantiis: quod contingere potest si tale opus patretur coram aliis qui sunt vèl valde stabiles in bono, vèl valde corrupti.

2° ut ponens opus non excusetur, ob necessitatem aliamve legitimam causam, ab obligatione impediendi peccatum proximi; cfr. n. 261, sqq.

IV. Occasionem. Non requiritur ut influxus exerceatur per causam proprie dictam. 252.

V. Ruinae spiritualis. Scandali ratio non adest, si ex opere minus recto sola aliorum admiratio vel indignatio sequitur, vel peccantis diffamatio. Observandum tamen est ex operibus minus rectis et *palam* factis, praeter praedicta, etiam vera scandala oriri solere ut detractiones, calumniae, suspiciones iniustae, contemptus totius cuiuspiam communitatis vel status certorum hominum, maxime si agens alias optima fama vel auctoritate prae aliis gaudet.

§ II. — *Scandali Malitia* (1).

I. Species. — Scandali tum directi tum etiam — secundum communem, contra paucos antiquiores — indirecti malitia propria opponitur charitati proximi, specifice quidem huius virtutis actui externo fraternae correctionis. 253.

1° Scandalo directo certo inest insuper malitia peccati cuius occasio datur; continet enim illius peccati *approbationem*. 254.

2° De scandalo indirecto plures idem docent; sed multi alii probabiliter negant. Ratio posterioris: quia solum continet peccati alieni *permissionem negativam;* sed virtus quaelibet non videtur imponere unicuique hanc obligationem ut teneatur impedire illius violationem vel procurare illius conservationem et cultum in aliis. Tantum ex charitate, quae est virtus excellentior et universalior, videmur teneri ad impedienda proximi peccata, non quatenus speciali cuipiam virtuti adversantur, sed quatenus sunt malum spirituale proximi.

---

(1) Sporer, Tr. V, n. 17 sqq.

Pro praxi 1° concludes auctorem gravis scandali directi explicare debere, speciem peccati alieni, ad quod induxit, secundum obiectum suum et circumstantias, non vero, probabiliter saltem, auctorem scandali indirecti.

2° Observabis utrumque explicare debere malitiam actionis a se positae si haec in se est mala.

Recoles ex Tr. de peccatis probabiliter non multiplicari numero peccatum scandali pro numero eorum quibus datum est.

255. **II. Gravitas.** — Propriam scandali malitiam esse ex genere suo gravem ex eo liquet quod adversatur charitati. — Admittit proinde *parvitatem materiae,* si vèl *levis damni* spiritualis occasio vèl tantum *levis impulsus* praebetur.

256. **Resolves.** 1° Actio scandalosa continere potest malitiam gravem scandali, et nullam vel levem ex suo ipsius genere; et contra, malitiam gravem ex se, scandali vero levem.

2° Graviter certo per se peccat, qui *gravis* peccati occasionem praebet innocenti vel cuivis a peccato saltem tali alieno.

257. Controvertitur vero utrum *gravis* scandali reus sit, qui gravis peccati ansam dat alteri qui iam actu vel habitualiter ad tale vel quodvis eiusdem generis peccatum paratus est. Multi *probabiter negant,* — saltem generatim, cfr. n. 259 — quia pro tali peccatore hoc vel illud peccatum externe commissum eius ruinam spiritualem parum auget. Alii probabiliter affirmant ob contrariam rationem.

258. Pro praxi concludes: 1° Petens actum impudicitiae a publica meretrice probabiliter non peccat graviter contra charitatem; ex 1ª opinione.

2° Qui ad peccatum induxit alterum non paratum ad illud sed tamen consentientem, graviter quidem offendit charitatem, sed probabiliter non tenetur exprimere circumstantiam *inductionis;* quia cum probabiliter (ex 2ª opinione) *consentiens* quoque graviter violavit charitatem, illa circumstantia est mere aggravans in eadem specie; ipsum vero peccatum contra charitatem contentum intelligitur in peccato cum altero commisso; ita v. gr. sufficiet confiteri ipsum peccatum fornicationis.

3° A gravi peccato excusanda videtur uxor quae hic et nunc ansam quidem blasphemandi praebet marito, si hic qualibet levissima occasione blasphemet. Item puella quae, dum viri turpia effutiunt, ex mero respectu humano identidem subridet. Imo practice istae puellae credunt quidem se contra modestiam aliqualiter peccare; sed scandali malitiam ex parte sua nullo modo advertunt (1).

259. Sine dubio tamen dantur casus in quibus magno etiam peccatori dari potest scandalum grave. Si enim mortale peccatum committi potest non corrigendo peccatorem, eo magis eum impellendo ad peccatum. Id accideret si emendationis probabilis spes affulgeret; magis etiam si peccator v. gr. occasione Missionis ad conversionem inclinaret. Proinde illi lenones qui miseras puellas, utut paratas, ad peccatum impellunt, excusari non possunt. Gravissime pariter etiam contra charitatem delinquunt illae mulieres, quae dum percipiunt se turpiter amari ab aliquo viro, studiose illius conspectui sese offerunt, non ut consentiant, sed ut iugiter de ipso iocum sumant (2).

260. Ceterum num et quantum scandalo *indirecto* peccetur, resolvendum est ex traditis de voluntario indirecto; dependet nempe ex obligatione — in casu: charitatis — non ponendi actum ne effectus malus — in casu: scandalum passivum — sequatur. Quare sit

§ III. — *Obligatio cavendi scandalum passivum* (3).

261. Obligatio haec ut rite intelligatur et in casibus particularibus recte diidicetur, observandum: — 1° Ab una parte obligationes charitatis, utpote virtutis praestantioris, ex genere suo esse graviores quam aliarum virtutum, etiam ipsius iustitiae, et maxime hanc de qua iam inquiritur obligationem, cum agatur de proximi bono praecipuo, nim. spirituali. — 2° Nihilominus ab altera parte in casibus ordinariis charitatem non cum tanta difficultate obligare ad actus positivos et omissiones externas, quam iustitiam; tum generatim quia ei non correspondet ius strictum proximi, tum speciatim et

(1) Berardi *Prax.* ed 1ª n. 244, contra Gury *Cas.* n. 227.
(2) Berardi l. c. n. 243.
(3) Sporer, Tr. V, n. 28 sqq.

maxime in hac materia, quia peccatum proximi non potest ipsi non esse voluntarium et liberum. Hinc

262. **Regulae generales.** — I. Permitti nequit ullum scandalum *nisi ob causam* iustam, proportionatam tum gravitati peccati cui ansa datur, tum difficultati cui proximus exponitur vitandi peccatum. Porro quo magis quis ius habet ad aliquid, eo facilius iure suo utens excusatur.

II. Permitti debet quandoque scandalum, nim. *concurrente obligatione* graviore incompossibili. Unde deducuntur:

263. **Regulae magis particulares.**

I. Non licet ob ullum scandalum vitandum quidquam facere intrinsece mali, vel omittere id quod est de necessitate medii, vel in datis circumstantiis gravius urget, ideoque vere et solum obligat.

II. Scandalum ab ipso proximo facile vitandum, et maxime pharisaicum, ut plurimum *ex quavis* rationabili etsi non gravi *causa* licite permittitur. Imo ob scandalum pharisaicum vix umquam peccatur, modo ipsum peccatum *ne placeat neve temere vel studiose provocetur;* cfr. n. 259.

III. Si id quod quis facere vult, speciem mali habet, vel ex sola aliorum ignorantia fieret peccati occasio, illa mali species est auferenda, vel ignorantes monendi seu edocendi sunt, si fieri potest. Quod 1° *si fieri nequeat,* causa pro rata gravis ad licite agendum requiritur; 2° *si factum fuerit,* et tamen alii scandalizentur, eorum scandalum haberi potest ut pharisaicum.

IV. Facilius permitti potest scandalum mere acceptum quam datum: n. 250; scandalum unius vel paucorum quam multorum; cfr. n. 256, 2° et 257.

264. **Resolves.** I. Opera bona lege positiva praecepta

1° ob scandalum *pharisaicum* non sunt omittenda. Si tamen ea differendo vel alio modo, puta Missam alia in ecclesia audiendo, aeque commode praeceptum impleri potest, ita sub levi saltem fieri debet.

2° Ob scandalum *pusillorum* 1) obligatio omittendi certo non est a) si praevideatur tantum aliquem vel aliquos *in confuso* scandalum sumere forte posse; neque etiamsi

aliquis in particulari scandalizandus praevideatur; b) si *frequenter* omitti deberent; vel c) si *ob specialem rationem* hoc grave alicui accidat. 2) Extra hos casus controvertitur: alii dicunt aliquoties omittenda; alii omitti non posse; alii rem liberam esse. — Casus foret si mulier sciret sui conspectum in ecclesia fore personae determinatae occasionem peccandi pravis desideriis.

II. Opera bona meri consilii 1° ob scandalum *pharisaicum* sub levi summum et aliquoties omitti debent, saepius vere differri etc. ut supra. 2° Ob scandalum *pusillorum determinatae personae* per se certo hic et nunc sunt omittenda, a fortiori differenda etc.; non vero obligatio est ea omittendi saepius, neque si grave alicui foret bonum opus omittere, puta susceptionem Sacramentorum ob specialem quamdam occasionem. 265.

III. Res et opera indifferentia speciem mali non continentia paulo saepius quidem quam opera bona sunt omittenda; caeterum vero eodem modo est resolvendum ac n. pr. — Sic v. gr. 1° mulier ad grave scandalum pusillorum certi viri vitandum hic et nunc atque sub gravi abstinere deberet a deambulatione, vel alia via ire ac secus eligeret. 2° Si vero diutius vel saepius abstinere deberet vel continuo anxie perpendere num sufficientem rationem exeundi habeat, ob hoc grave incommodum foret excusata. 3° Pariter non tenetur honestum ornatum dimittere, etsi timeat ne aliqui ansam peccandi inde sumpturi sint. 266.

IV. Idem quod n. pr. resolvi potest, cum debita tamen proportione, quoad res et actiones venialiter malas ad peccatum non graviter provocantes; puta de ornatu mulierum etiam venialiter peccaminoso sive ob excessum sive ob denudationem pro more regionis non graviter inhonestam: facilius enim grave foret huiusmodi morem, uti detegendi pectus vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est, introducere. 267.

V. Bona temporalia ut plurimum non tenetur quis dimittere ad scandalum vitandum. Nam plerumque incommodum vel grave, vel si in se leve, tamen saepius subeundum foret: vel de scandalo mere pharisaico agetur. Ita v. gr. non tenetur quis plus aequo solvere operario vel rhedario blasphematuro nisi ultra iustam mercedem obtineat. Neque Parochus tenetur dimittere quae sibi de- 268.

bentur iure stolae ad praecavendas obtrectationes: cum pauperibus autem magis expediet ut eos, a quibus suum ius repetit, eleemosynis deinde adiuvet.

269. **Difficultates peculiares.** I. Ob iustam et rationabilem causam necessitatis vel utilitatis alicuius momenti licet petere opus ab aliquo qui id sine peccato praestare potest, etsi putetur vel praevideatur cum peccato praestiturus. Ratio: quia peccatum alterius ad tuam petitionem mere per accidens et ex sola alterius malitia sequitur, idque data causa excusante non teneris impedire. Eo autem facilius id licet quo magis vèl alter est ad illud peccatum paratus, vèl petens ius habet ad illud opus.

Ita licet petere Sacramenta a sacerdote, maxime a proprio Parocho, etsi is putetur in statu peccati; vel mutuum ab usurario. Ita potest femina adire iudicem vel magnatem pro sua iusta causa vel pro beneficio sibi aliive impetrando; aegra vocare medicum pro sui curatione; aeger admittere assistentiam feminae cum necessario obsequio, etiamsi in his omnibus timeantur secutura peccata. Consequenter resolvunt licite posse quemlibet adire iudicis, magnatis etc. concubinam vel amasiam eamque precibus vel muneribus sollicitare ut pro ipso intercedat, si alia via se non offerat optatum obtinendi.

270. II. (1). Parato et certo determinato ad peccatum gravius suadere licet minus malum; idque probabilius et communius resolvunt etiamsi alter non ad utrumque vel non ad gravius in eodem genere peccatum est determinatus. Ratio: quia huiusmodi suasio semper habet rationem boni quod est evitatio maioris mali. — Hoc tamen semper intelligendum est *salvo iure tertii;* cfr. P. II.

De inducente ad ebrietatem vid. n. 153.

271. III. Ob iustam causam et ad bonum finem licet 1° occasionem peccandi permittere seu consulto non auferre; quin etiam 2° ultro ponere per actum in se indifferentem. Ratio: quia ob causam proportionatam licite permittitur effectus malus.

---

(1) Sporer, Tr. V, n. 47 sqq.

Nota 1. Gravior requiritur causa pro eo qui vèl — ad 1^m — ipse posuit occasionem, vèl — ad utrumque — ex officio peccatum alterius impedire debet.

2. Cum numquam liceat peccatum alterius intendere, hinc neque praedicta licent eo solo vel primario fine ut alter puniatur.

3. Iustae autem causae ad utrumque excusandum praecipue sunt efficacior correctio et emendatio ipsius delinquentis, et indemnitas propria.

4. Ob nullam umquam causam licet alterum ficte, sed modo externe serio, ad peccatum sollicitare, quia hoc vere foret positiva ad peccandum inductio adeoque directum scandalum.

§ IV. — *Casus scandali frequentius occurrentes.*

272. Notandi praecipue sunt: I. Parentes aliique superiores qui cuiusvis generis peccata committendo, vel officia hominis christiani negligendo, praevident filios aliosve subditos esse ipsos imitaturos; vel permittentes iisdem occasiones seu pericula peccandi, ut conversationes cum altero sexu solitarias etc.: vel mittentes eos ad scholas periculosas.

II. Loquentes valde turpia, maxime coram iunioribus et praecipue cum vel coram personis alterius sexus.

III. Cantilenas valde turpes componentes, imprimentes, divulgantes, cantantes.

IV. Compositores etc. comoediarum valde turpium; item actores et actrices, atque conferentes ad tales comoedias sustinendas; sive tales comoediae turpes sunt ex se sive ex alia ratione, ut vestitùs, modi saltandi, gesticulationis.

V. Sculptores, pictores et photographi statuarum vel imaginum valde turpium, et speciatim earum imaginum quae mediante stereoscopio, similive vivaci instrumento vel apparatu: puta kinematographo, sunt conspiciendae. *Item qui* talia obscoena in officina, domi vel alibi omnium conspectui *exponunt*. Pariter ornatùs vel *vestitùs muliebris fabricatores*, qui in officinis suis praetereuntium oculis ostendunt exemplaria graviter offensiva, quibus

nempe repraesentantur mulieres modo prorsus immodesto et valde ad lasciviam provocantes.

VI. Conscribentes etc. libros aliave scripta, ut diaria, bonis moribus vel Religioni valde adversantia.

VII. Qui in scholas inducunt perniciosam docendi rationem, vel libros periculosos, et pueris vel puellis tradunt libros in se forte bonos, sed materiam tractantes cuius cognitio pro naturali eorum innocentia ac sensibilitate per se offensioni reputatur.

VIII. Mulieres et puellae modo lascivo sese exornantes, quod praecipue fit immoderata pectoris denudatione, puta usque ad mamillas, ut fieri saepius solet in solemnibus prandiis et conventiculis vespertinis.

IX. Mariti retinentes ancillam uxori non sine ratione suspectam. Item uxores quae venustulos suos amasios ad familiaria colloquia admittendo offensioni sunt maritis aliisque, sicut docet experientia.

X. Cauponum filiae et ancillae oscula passim permittentes ab omnibus.

§ V. — *Obligatio reparandi scandalum* (2).

Hac illi praecipue tenentur qui scandalum dederunt per facta in se mala.

273. I. Si scandali dati adhuc timetur influxus, hunc pro posse destruere oportet. Neque ita facile ac alii scandali auctor excusatur a corrigendo scandalizato, cum ipsi maior sit tum obligatio tum opportunitas.

II. Quomodo hic influxus tolli possit vel debeat, iudicandum est ex diversis casuum circumstantiis, attendendo praecipue ad specialem scandali dati indolem, eius publicitatem, atque ad qualitates personarum scandalizantis et scandalizati.

---

(1) Cfr. V. Egeren, *de scandalo* n. 12 ubi plura; et de plerisque cfr. Tr. de 6° Decal. praecepto.

(2) Sporer, Tr. V, n. 117 sqq.

Sic v. gr. qui scandalum dedit per iniquum consilium, mandatum, additis forte minis vel dolosa deceptione, haec omnia, si adhuc efficacia putentur, revocanda sunt. — Paterfamilias qui scandalizavit filios vel domesticos, manifestare iisdem debebit suam displicentiam mali exempli dati, eosque paterne exhortari, vel etiam auctoritate sua adhibita vetare ne illud in posterum sequantur. — Qui scripta scandalosa, falsas vel perniciosas doctrinas typis evulgaverit; haec per nova scripta quantum poterit retractare debebit. — Publicus peccator publice a peccato cessare debet, puta publice, relicta vel dimissa occasione peccati, accedere ad Sacramenta, vel etiam tenebitur publice aliquo modo satisfacere, si nempe secus fideles de ipsa Ecclesia administrante Sacramenta scandalum sumerent: cfr. P. III.

Extra hos casus, si minus sola ab iniquis moribus cessatio sufficit, saltem nihil aliud quam discreta bonorum operum ostensio exigi poterit.

Nota. Quoad scandalum non recenter sed olim datum obligatio reparationis ex charitate vix aderit, cum hinc credi debeat scandalizatum multas iam habuisse occasiones sibi consulendi si voluerit; illinc vero valde molestum esse soleat de huiusmodi rebus antiquis sermonem ingerere.

De obligatione ex iustitia quae oriri potuerit, vide P. II.

ARTICULUS II.

DE COOPERATIONE (1).

§ I. — *Notio et Divisio.*

Cooperatio distinguitur 1° formalis et materialis. 274.

1. Formalis est cooperatio ad alterius actionem ut peccatum est; seu est ea quae *continet consensum,* explicitum vel implicitum, *in peccatum* principaliter agentis.

Adest itaque 1° quum alterum quis iuvat ea intentione ut peccet, securius peccet etc.; 2° quum actio qua iuvat continet approbationem peccati alterius, sive

(1) Sporer, ll. citt.

1) *Ex natura sua*, nim. quum actio cooperantis iam est intrinsece in eodem genere mala, adeoque *ex se ad malum illud determinata;* v. gr. si quis verberat, vulnerat aliquem quem alter occidere intendit, vel simul cum altero sclopetum in eum explodit, vel si famulus seduceret vel invitaret mulierem ut peccaret cum hero suo. Sive

2) *Ex circumstantiis;* ut si quis sponte, vel saltem nullo modo coactus, se offert vel paratum ostendit ad iuvandum alterum, v. gr. sola spe mercedis vel ad satisfaciendum amico. — Actiones huius generis, secus ac praecedentes, mutatis circumstantiis fieri possunt cooperatio materialis, ut mox patebit (1).

2. Materialis est cooperatio ad alterius actionem ut actio physica est et nullo modo consensum continet in peccatum principaliter agentis, sed *qua alter abutitur* ad peccatum perpetrandum.

275. II° Distinguitur cooperatio immediata et mediata.

1. Immediata est participatio in ipsa actione prava, seu eius executio una cum et pro altero.

2. Mediata est exhibitio materiae, facultatis, occasionis, verbo mediorum ad peccatum. — Haec subdividitur in *proximam* et *remotam*.

§ II. — *Regulae de Cooperatione.*

276. I. **Quoad licentiam** generatim:

1. Formalis cooperatio est semper peccatum; evidenter patet ex ipsa eius notione.

2. Immediata item semper peccatum est in materia intrinsece *et* absolute mala; extra eam, per se et ut plurimum; cfr. n. 29, II, et 95, III; et P. II. Patet similiter ex eius notione. Ceterum plerumque coincidit in cooperationem formalem quae talis saltem est ex ipsa natura sua.

3. Materialis mediata. — 1° per se illicita etiam est, quia directe opponitur obligationi impediendi peccata proximi;

(1) Advertatur cooperationem formalem non eodem modo ab omnibus distingui a materiali. Unde quandoque *specie* variae resolutiones apud AA.

— 2° fieri potest licita, nim. quum a) *actio* cooperantis est *in se licita*, et b) simul adest *iusta causa*, ob quam peccatum alterius permitti possit. Sequitur ex principiis de voluntario indirecto.

II. Quoad causam requisitam: 277.

1. *Regula generalis.* Eo gravior requiritur causa 1° quo gravius est peccatum ad quod concurritur; 2° quo magis illud est damnosum aliis, vel rationem scandali habet; 3° quo propinquior est cooperatio; 4° quo probabilius sine cooperatione alter non est peccaturus; 5° quo minus est cooperatoris ius agendi vel quo maior eis obligatio peccatum alterius impediendi.

2. *Regulae magis particulares.* 1ª. Cooperatio proxima ad grave peccatum ut licita sit, requiritur gravis causa; — gravior si est necessaria vel rationem simul scandali habet vel cedit in damnum tertii; — si cedit in damnum commune nullo privato damno excusatur; — secus, solum metu damni proprii aequalis.

2ª. Cooperatio remota ad peccatum certo tamen tandem exequendum, vel ad peccata indeterminate tantum cum probabilitate praevisa, licet ob causam rationabilem seu mediocrem. — *Quodsi* negato concursu peccatum impediretur, vere gravis causa requiritur.

Nota 1. *Numquam sufficit* sola ratio, quod uno non cooperante alter est cooperaturus vel peccatum tamen certo committetur. Nihilominus in hypothesi remote cooperans a peccato mortali probabiliter excusatur.

2. *Semper licita* est cooperatio materialis quae fit ad maius malum advertendum.

§ III. — *Casus particulares Cooperationis.*

I. Advocare ministrum haereticum ut moribundo 278.
suae sectae subsidia religionis praebeat, hoc nim. fine expresso, S. Off. interrogatum num id liceat monialibus nosocomii curam gerentibus, respondit *non licere*, sed oportere ut *passive se habeant* (1). Quae verba ipsum S. Off. ita explicuit ut nulli catholico liceat di-

(1) 15 Mart. 1848.

recte obsequi petitioni acatholicorum infirmantium ut vocent aliquem huius sectae ministrum; *liceat tamen uti aliqua persona ad eamdem sectam pertinente* ad eumdem ministrum vocandum, cum hac ratione salva maneat prohibitio communicandi in divinis cum acatholicis (1). — Utramque declarationem probavit Leo XIII (2).

Quodsi nullus acatholicus praesto sit qui aegroti petitionem transmittat ad ministrum suae sectae; non quidem per se, sed tamen ob gravem causam licitum videtur a ministro haeretico mere petere ut ad aegrotum se conferat, dicendo v. gr): « talis infirmus vult te alloqui ». Gravis autem causa hic non solum ex privato incommodo sumenda est, sed maxime ex bono communi, cui multum derogaretur si ex denegatione talis nuntii odium publicum Catholicae Religionis excitaretur, atque monialibus facultas multa bona praestandi interciperetur. — Nihilominus omni casu pro posse curandum est, ut moribundo, qui in bona fide versatur, aliter provideatur; nim. ut cum ipso actus perfectae contritionis post alios actus necessitate medii necessarios eliciatur (3).

279. II. Pro ministro acatholico in similibus circumstantiis mensam parare, in ipso ritu utensilia, panem et vinum porrigere haec omnia per se materialem tantum cooperationem continent, hanc autem hinc quidem multo propinquiorem quam n. pr., sed illinc minister iam ponitur multo paratior ita ut actio peccaminosa iam impediri nequeat. Quare de liceitate vix aliter dicendum videtur ac n. pr.

Practice tamen id caveri potest et generatim debet, ne tempore ipsius ritus servitium immediate praestetur; quia hac cautione cooperatio est remotior (4).

280. III. De aedificandis templis haereticorum, idolorum etc.

1. Si haec cooperatio ex adiunctis habetur ut favor ab operariis, architectis etc. praestitus haereticis, numquam licet. Hoc autem facilius contingit ubi agitur de secta recens exorta.

---

(1) 31 Ian. 1872.
(2) 26 Dec. 1898.
(3) Lehmkuhl n. 652; Génicot n. 201, V.
(4) Lehmk. n. 653.

2. Iis in locis in quibus nondum extant haereticorum templa, graviter peccant, saltem regulariter, « architecti, conductores, opificum domini qui curam et operam suscipiunt ad extruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero murarios aliosque opifices subalternos pertinet, ii possunt excusari, modo desit scandalum, neve quae facere iubentur faciant in contemptum Religionis (1) ».

3. In locis in quibus sectae haereticae iamdiu publice cultum suum exercent, architecti et operarum domini nequeunt talem aedificationem suscipere unice ob lucrum faciendum; excusantur tamen si ob denegatam operam suam gravia detrimenta paterentur, puta si propterea a plerisque clientibus suis desererentur.

Nota. Templis haereticorum assimilanda videntur aedes francomurariorum et aedificia quae societatibus impiis, ex gr. Socialistis usui futura sunt.

4. Templis idolorum aedificandis operam dare *numquam*, etiam ad vitandum mortis periculum, *licere*, constanter respondit S. Sedes (2).

Mahumetanis autem templis, *gravis mali metu*, manum admovere pluries permisit S. C. P. F. (3).

5. Quae de aedificatione per operarios, architectos etc. dicta sunt, etiam et a fortiori applicanda sunt cooperationi quae datur per pecuniam ad templa *haereticorum*, *idolorum* etc. aedificanda.

Speciatim de pecunia conferenda ad aedificanda templa *haeretica* S. Poen. an 1822 respondit id *licitum* esse tantum *si* hac ratione catholici, qui cultum in eadem ecclesia cum protestantibus celebrant, se ab hac scandalosa promiscuitate liberare possunt. Attamen Konings (4) existimat id alicui licitum fieri posse *ob gravem causam*, ex gr. si secus eius officina a protestantibus deserenda sit.

Nota. Facilius in locis in quibus permixti protestantibus vivunt catholici, licet pecuniam conferre ad aedificanda vel sustinenda instituta quorum *finis principalis non est religiosus*, puta scholas, orphanotrophia etc.

---

(1) Instr. Card. Vicarii ad Parochos Urbis, an. 1878, n. 6.
(2) S. Inq. 8 Ian. 1851: Coll. P. F. n. 1718 etc.
(3) Ex. gr. 21 Nov. 1837: Coll. P. F. n. 1733.
(4) I. n. 313.

modo publice talis cooperatio non consideretur tamquam favor falsae sectae praestitus, neque eadem pecunia insumatur ad pervertendos catholicos qui in iis institutis suscipiuntur.

Iam hodie in multis regionibus patet omnibus Deputatos catholicos qui subsidiis in favorem cultus heterodoxi suffragantur, id facere ut graviora mala vitent, nullatenus ut sectae falsae faveant. Ideo id iam sine speciali protestatione in his regionibus licet (1).

281. IV. Pulsare campanas in templo acatholico quamvis haberi potest ut merum signum seu nuntius concionis mox habendae, adeoque cooperatio materialis, *quia tamen facillime etiam pro invitatione* sumitur, adeoque cum formali cooperatione proxime cohaeret; non videtur licere nisi *ex valde gravi causa* (2).

282. V. Pulsare organa cantumve dirigere in templo haeretico 1° in ipso ritu tamquam formalis cooperatio numquam licita videtur (3): 2° extra ritum *idem de cantu* dirigendo dicendum videtur, saltem *si vere haereticus* is est, i. e. si haeresim continet: *organi pulsatio* per se est cooperatio materialis tantum — cum eiusdem melodiae plura sint cantica — proxima tamen: quare neque licita nisi *ex valde gravi causa* (4).

283. VI. Opus illicitum in alios reiicere 1° paciscendo ut sibi liceat abstinere a tali opere: *licet*; 2° paciscendo ut alii pro ipsis opus perficiant, non licet.

284. VII. De libris etc. moribus vel fidei contrariis.

1. De editore vel domino typographiae qui prava scripta edenda suscipiunt, vix ullum dubium esse potest: hi si norunt librum esse aperte malum illius editionem impressionemve sine peccato gravi admittere nequeunt.

2. Quoad operarios typographicos magis practicum videtur distinguere inter *indolem officinarum* in quibus operam navant, quam inter singulos libros quibus imprimendis opem dant; nam horum naturam multi ignorare solent.

Ii itaque qui laborant in officinis *e quibus nihil nisi prorsus malum prodit,* ex. gr. ephemerides aperte impiae vel obscoenae,

---

(1) Génicot n. 237; cfr. Lehmk. n. 660

(2) Lehmk. n. 654.

(3) De pulsandis organis ita resolvit S. Off. 19 Iun. 1889.

(4) Lehmk. n. 656.

biblia et tractatus protestantica, *si proxime cooperantur* (1) impressioni, tenentur per se sub gravi eas officinas deserere. Attamen cum talis cooperatio non videatur intrinsece mala, possent manere, secluso gravi scandalo, donec aliam officinam repererint, in qua salarium ad familiam suam alendam sufficiens lucrentur. *Remoti cooperatores* et ipsi quidem ad aliam offininam adeundam obligantur, non tamen cum notabili suo detrimento.

At si agitur de aliis officinis in quibus excuduntur ephemerides non ita aperte malae, vel libri nunc boni, nunc mali praelo mandantur, tum neque cooperatores proximi obligantur ad officinam omnino bonam cum notabiti detrimento adeundam (2).

3. Annuntiare in ephemeridibus fidei vel moribus ordinarie adversantibus res suas vendendas, locandas etc. in se quidem peccatum non est; attamen si multi idem faciunt, influit in ephemeridis propagationem et sustentationem. Quia tamen singulorum cooperatio valde remota et influxus levis est, rationabilis vel *mediocris causa* excusare videtur.

Idem fere resolvendum est de iis qui ad tales ephemerides vel similia periodica *articulos imprimendos mittunt,* nisi tamen de erroribus refutandis agatur. — *Sed quandoque* ob gravem favorem praestitum, puta a scriptore peritissimo, gravis causa requireretur, vel etiam nulla sufficeret, puta si pessima scripta hac cooperatione cum magno fidelium scandalo promoverentur.

4. Subscribere tali diario ut liceat, *aliquanto gravior causa* seu aliqua necessitas videtur requiri; ut si quis pro sua negotiatione eo indiget; modo specialis Ecclesiae prohibitio ne obstet, et caveatur ne ab aliis legatur.

5. Caupones qui huiusmodi ephemerides hospitibus legendas exhibent, gravis scandali insuper per se rei sunt; neque excusantur ex hoc quod confluentes eas petunt, alias alio ituri. Solum si tale diarium postulatur ob aliquam necessitatem, ut supra, videtur suf-

---

(1) Cooperatores *proximi* censentur qui typos ordinant vel atramento tingunt, chartam typis imponunt, impressa corrigunt etc.; *remoti* qui chartam praeparant, folia vel libros impressos ordinant etc. *Hodie autem* cum plerumque machinis artificiosis opus peragatur, plerique cooperatores remoti censendi sunt.

(2) Génicot n. 240, 4°.

ficiens ratio esse cur *separato in loco* illud exponant, etsi forte praevideant nonnullos hac occasione esse abusuros. — Non tamen videntur teneri ad reiiciendum aliquod diarium ex eo quod interdum quid pravi et periculosi continet (1).

285. VIII. Ad choreas vel comoedias inhonestas *cantu vel actione* concurrere generatim et per se est cooperatio graviter illicita. Nihilominus modo absolute graviter turpes ne sint, nonnulli *ad breve tempus* excusant eum qui, pravo affectu et periculo proprio exclusis, concurrat *propter valde gravem penuriam* in qua alias versaretur (2).

Facilius excusari possunt *musici,* quia quod ab ipsis praestatur in se nihil mali continet et tantum per unionem cum verbis et actionibus aliorum ad peccata provocare potest. Etiam communis aestimatio, cuius in tali argumento magna ratio habenda est, benignius de eorum quam aliorum concursu sentit. Quare neque videntur a bona fide deturbandi qui talem cooperationem sibi licitam putant ad maius lucrum faciendum, famam acquirendam, etc. (3).

§ IV. — *Resolutiones speciales de Cooperatione.*

I. De famulis aliisque subditis.

286. 1. Ipsa ratio famulatus seu servitii *est sufficiens* causa ut excusentur famuli etc. si iussu dominorum faciant opera ex se indifferentia et remote tantum ad peccatum se habentia; ut 1° si famulus iussu heri usurarii pecuniam ad usuram dandam numeret, deferat, recipiat, in librum referat; 2° si dominis ieiunium vel abstinentiam violaturis famuli coenam et carnes coquant et ministrent; 3° si famulus iussu heri quem scit iturum ad adulterandum sternat equum, ipsum mere comitetur mereque exspectet; item si feminam quacum herus peccaturus est in domum admittat, ei lectum sternat etc.; vel si ancilla heram suam meretricem ornet; 4° si famulus vel ancilla inter huiusmodi heros et heras deferat litteras, internuntia, munera, solius urbanitatis vel amicitiae plena; aliaque similia sexcenta.

(1) Lehmk. n. 664 sq.; Génicot l. c.; Gury n. 256.
(2) Lehmk. n. 667.
(3) Génicot n. 242, 6.

2. *Contra* vero in iis quae propinquius ad peccatum se habent, iuvant vel ordinantur, etsi de se indifferentia, ad rationem famulatus causa pro circumstantiis gravior accedere debet; idque maxime si cooperatio simul scandali rationem habet, si est necessaria et eâ negatâ peccatum impediretur, vel si hoc iniuriam erga tertium innocentem continet.

In pluribus autem casibus huc pertinentibus multum variant AA. Sic v. gr. litteras turpiter amatorias scienter deferre Sporer aliique resolvunt numquam licitum esse posse. Alii vero censent hoc et similia ex causa gravi licite praestari, idque probabilius videtur, cum nequaquam appareat intrinseca malitia. Accedit quod practice vix constabit famulis quid litterae contineant neque eorum est hoc inquirere: id quod et alii concedunt.

II. De opificibus et mercatoribus. 287.

1. Solo titulo commercii seu lucri ordinarii licite conficiuntur et venduntur res per se indifferentes, etsi sciatur multos iis esse abusuros.

2. Si tamen in ipsa emptione eiusve circumstantiis appareat intentio tali re abutendi ad peccatum, idem non licet nisi ob causam pro rata gravem. Ita vix unquam licebit vendere pharmacum quod peti patet ad abortum procurandum.

3. Res quae unice pravum usum habere possunt, numquam conficere vel vendere licet; puta imagines prorsus obscoenas et quae nulli utilitati scientificae inservire possunt, vel libros impios et obscoenos qui ad nullum honestum finem utiles sunt, vel instrumenta quae adhibentur ad copulam sine fructu peragendam.

4. Similes fere res, sed quae bonum usum saltem possunt habere, ut idolorum imagines, plerique pravi libri, ex gravissima causa conficere et vendere licet. Vix tamen excusatio practice admitti poterit si prava petentium intentio est manifesta.

5. Alias res, quae tamen magnum periculum abusus secum ferunt, ut venenum, non licet vendere nisi de bono usu intento satis constat, vel talis res tam saepe in bonum usum adhibetur — quod de quibusdam venenis forte dici potest — ut iam passim illam omnibus vendere per leges et consuetudines liceat.

6. Speciatim pingere imaginem amasiae pro eo quem

pictor scit in illam turpiter esse affectum non licet nisi gravis necessitatis causa.

7. Domum locare meretricibus licet iis in locis ubi ad maius malum vitandum tolerantur; maxime si alii conductores desint; nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm domus ansam maiorem darent peccatis.

Eadem applicentur ubi agitur de domo locanda cauponi praebenti choreas parum honestas, et similia.

Gravior sane causa requiritur ut eam liceat locare viro vel coetui qui *bono communi* plurimum nocet, puta socialistis: vix umquam id licebit si, contractu denegato, huiusmodi nebulones alias aedes congruas reperire nequeant (1).

288. **III. De cauponibus.**

1. Ipsa diminutio divertentium ac inde cessatio lucri notabilis, si merito timetur, est sufficiens causa cur caupones possint ministrare potum se inebriaturis, vel diebus interdictis carnem postulantibus. Quin etiam si praevident multos hospites carnem esse petituros, prandium carnibus parare possunt, dummodo etiam aliis qui abstinentiam servare velint id faciendi copiam praestent.

2. Praebendo vel permittendo apud se choreas non per se graviter peccant, si nempe satis honestae illae sunt, etiamsi plures ea occasione peccabunt; sed attentis circumstantiis non raro id grave scandalum adeoque peccatum censeri debet: quod facilius contingit si primi chorearum consuetudinem alicubi inducunt vel soli servant, vel eas habent tempore divinorum officiorum, vel ad summam noctem protrahunt.

3. Difficulter excusari possunt si locum ad peccandum postulantibus concedunt; nequaquam vero illi qui ad hunc finem destinata cubicula secreta tenent.

(1) Génicot n. 238.

TRACTATUS VII.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Religio definitur: virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum cultum Deo debitum; alii addunt: tamquam Supremo rerum omnium Domino; alii: tamquam Primo omnium Principio; alii utrumque exprimunt; alii neutrum exprimunt sed utrumque subintelligunt sub verbo; debitum. 289.

Obiectum materiale *quod* seu *proximum* est cultus divinus; formale est ratio debiti. Obiectum materiale *cui* seu *remotum* est Deus, formale est Dei excellentia ut Primi Principii etc., ut supra, cui respondet nostra dependentia.

Actus religionis immediatus *et* elicitus est voluntas colendi Deum seu devotio stricte dicta. *Alii* actus sive interni sive externi qui ab affectu religionis immediate procedunt, i. e. qui aliam quam religionis honestatem ex se non habent, dicuntur *imperati,* vel *eliciti secundarii* seu mediati, vel *immediate imperati.*

Cultus sanctorum, is nim. qui eis exhibetur ob propriam eorum et intrinsecam excellentiam supernaturalem, dicitur duliae vel, relate ad B. M. V., hyperduliae, specie prorsus distinctus a cultu dicto latriae qui soli Deo debetur. Sporer n. 258.

SECTIO I. PRAECEPTUM PRIMUM DECALOGI.

CAPUT PRIMUM.

DE ACTIBUS ET PRAECEPTIS RELIGIONIS.

Quae sunt 1° adoratio cum Sacrificio; 2° oratio; 3° reverentia rerum Deo divinoque cultui dedicatarum. — De Sacrificio dicetur Sect. III; pro scopo nostro sufficiet hic dixisse de oratione.

ARTICULUS UNICUS.

DE ORATIONE (1).

290. **Oratio** late sumpta est *elevatio mentis ad Deum* seu quivis pius animae affectus in Deum et in supernaturalia; stricte et *proprie dicta* est petitio decentium a Deo.

Necessitas. Oratio ut petitio *ad Deum, pro seipso* est *adultis* necessaria 1° necessitate medii quia et in quantum est *medium ordinarium* a Deo statutum obtinendi gratias necessarias, maxime efficaces et perseverantiam finalem; 2° necessitate praecepti tum naturalis tum divini positivi.

Obligationem esse frequenter orandi tum per se, i. e. ex virtute religionis, tum et magis etiam per accidens, consentiunt omnes: quando autem vel quoties per se orandum sit, determinari nequit; cfr. et applica dicta de actibus virtutum theologicarum.

291. Obligationis per accidens quatuor casus speciales communiter assignantur:

1° si *gravis tentatio* superanda est;

2° Si a Deo *eximium beneficium* ad salutem necessarium est impetrandum;

3° *mortis imminente periculo*, maxime et saltem pro peccatore;

(1) Sporer, n. 232 sqq.

4° si *communitas* in magno periculo vel necessitate est constituta; quo tamen casu quia facile praesumi possunt multi orare, eo ipso aliorum obligatio, maxime gravis, dubia evadit. Extra hunc casum

Obligatio charitatis orandi pro aliis, si ponatur, impletur neminem excludendo ob orationibus communibus. — Obligatio orandi *pro homine determinato* in necessitate spirituali constituto, quam plures admittunt, aliis videtur nimis scrupulosa; et dubia saltem dicenda practice est ob dubiam orationis efficaciam ad effectum intentum obtinendum.

Orandi mane et vespere vel ante et post refectiones non 292.
est stricta obligatio; enixe tamen illa praxis inculcanda.

Oratio ad Sanctos non videtur esse de praecepto. Nihilominus qui illam prorsus negligit, venialiter peccare potest ob incuriam salutis.

CAPUT SECUNDUM.

DE PECCATIS CONTRA RELIGIONEM QUASI PER EXCESSUM.

Quae comprehenduntur vitio generali superstitionis.

ARTICULUS I.

DE SUPERSTITIONE IN GENERE (1).

Superstitio in genere est religiosus cultus vitiosus. Vi- 293.
tiosus autem esse potest.

I. Secundum modum tantum quo Deus colitur; qui modus est

1° *superfluus* solum, si quis Deum colere intendit per aliquid inane, inutile, vel tale quid vero cultui admiscet;

---

(1) Sporer n. 287, et n. 338 sqq.

2° *falsus* sive a) ex parte *obiecti* significati, ut si Deum etiamnum colere quis vellet antiquae legis sacrificiis vel caeremoniis, si quis falsa miracula vel revelationes fingit; sive b) ex parte *cultus* tantum, ut si laicus Sacrificium offerre praesumit.

II. Secundum obiectum vitiosus est cultus, si pro Deo colatur creatura. Vide n. 295.

294. **Resolutiones ad I.** 1° Omnis cultus falsus est ex se peccatum mortale, quia omnis falsitas in re religionis est res gravissima. Raro solum et per exceptionem admittit parvitatem materiae.

2° Cultus superfluus ex se est peccatum veniale tantum, quia in eo non est gravis deformitas; eaque, si qua est, bona intentione vel simplicitate ita colentis minui solet. — Fieri tamen potest peccatum mortale, praecipue ratione scandali, gravis praecepti ecclesiae violati vel notabilis deformitatis vel turpitudinis ipsius rei, ut si in Ecclesia inter divina officia admisceantur cantus vel musica lasciva ad impuritatem provocantia.

295. **Ad II.** Secundum obiectum superstitio committitur vèl mere colendo creaturam ut Deum, et est idololatria; vèl invocando daemonis opem ad quemvis finem, seu habendo cum eo quovis commercio, et est superstitiosa observantia ad quam pertinent *divinatio* et *vana observantia* cum *magia* et *maleficio:* omnia *ex genere suo toto* mortalia in quantum adversantur religioni; saepe autem accedit peccatum alterius speciei, ut patebit.

Superstitiosae observantiae species variae solum materialiter inter se differunt: *divinatio* speciatim *notitiam* rei occultae vel futurae, *observantia* generatim *quoslibet effectus, magia miros, maleficium* alteri *nocivos* effectus quaerit.

ARTICULUS II.

DE IDOLOLATRIA (1).

296. **Ad idololatriam** non refert utrum necne id quod colitur aliquo modo repraesentetur; neque quo signo honor exhibeatur,

(1) Sporer n. 288 sqq.

dummodo actus positus ex intentione colentis vel consuetudine seu acceptione communi significet honorem divinum.

Distinguitur: 1° alia materialis seu *simulata tantum*, qua sine affectu interno, puta ex metu, colitur creatura;

2° alia formalis quae subdistinguitur; 1) alia est *o quad existimationem et affectum*, cum quis idolum vere deum putat, et dicitur perfecta; 2) alia est *quoad affectum tantum* cum quis sciens volens creaturae cultum defert, et imperfecta audit, estque aliis gravius peccatum.

ARTICULUS III.

DE OBSERVANTIA SUPERSTITIOSA (1).

Superstitiosa observantia committitur cum pacto expresso 297.
vel tacito seu cum invocatione explicita vel implicita daemonis. Ad pactum expressum merito quidem refertur usus signi vel medii de quo ab alio cum daemone conventum est; praestat tamen ab hoc usu distinguere pactum proprie dictum, quia huic saepius accedunt alia peccata, ut haeresis, idololatria etc.

Implicite invocat diabolum qui utitur signis vel mediis 298.
quae novit esse vana et naturaliter improportionata ad effectum intentum. Quare talia agentem neque excusat quod protestatur se nullum cum daemone commercium velle: est enim protestatio facto contraria adeoque frivola.

Haec tamen implicita invocatio, secus ac explicita, frequenter a mortali excusari potest, sc. 1° ob ignorantiam gravis malitiae; experiuntur Confessarii quantae saepe molis sit persuadere hominibus hoc vel illud medium esse superstitiosum. 2° Ob levitatem actus seu defectum seriae intentionis, ut si quis eiusmodi signis utatur solum risus vel ioci causâ. 3° Ob imperfectionem actus, ut si quis sine *certa* fide ex sola vana formidine vel cum dubia aliqua spe eiusmodi signa *semel vel iterum* observat. *Aliud* autem est de eo qui totam fere vitam suam per eiusmodi signa dirigit.

---

(1) Sporer n. 293 sqq.

§ I. — *De Divinatione* (1).

299. **Divinationis** plurimae enumerantur species; praecipue 1° *astrologia iudiciaria* ex astris, 2° *augurium* ex garritu avium, 3° *auspicium* ex avium volatu, 4° *aruspicium* ex visceribus animalium, 5° *chiromantia* ex lineis manuum, 6° *geomantia* ex signis apparentibus in corporibus terrestribus, 7° *necromantia* ex mortuis evocatis et apparenter praesentibus, 8° *omen* ex fortuito casu, 9° *oniromantia* ex somniis, 10° *oraculum* ex idolis, 11° *sortilegium* ex sortibus, 12° *vaticinium* ex vatibus vel chartis occultam notitiam quaerit.

300. Somniis praeternaturalibus antequam credatur, prudenter examinandum est a quo spiritu videantur immissa. Discrimen autem non solum peti debet ex obiecto vel fine bono vel malo, sed magis ex somniantis et expergefacti dispositione et immutatione mentis. Quodsi res valde dubia manet, praesumptio est maior pro interventu diaboli quam Dei, adeoque nulla fides habenda. Satis autem constare de praeternaturali somnio, vix unquam contingit.

301. Sortes 1° *divisoriae* adhibentur ad lites dirimendas: quae per se licitae sunt, cum non sint nisi contractus aleatorius; sed vetantur in officiis et beneficiis ecclesiasticis.

2° *Consultivae* adhibentur ad Deum consulendum quum ignoratur quid agi oporteat; quibus si expresse vel tacite *signum aliquod extraordinarium* a Deo petatur, non licent nisi ex speciali Dei instinctu, quia secus tentationem Dei continent; — si solum intendatur et precibus ad Deum fusis petatur *occulta sortium directio* per specialem providentiam, ut licitae sint, requiritur necessitas vel utilitas aliqua gravis spiritualis vel temporalis in dubio aliter non commode expediendo.

3° *Divinatoriae* sunt quibus occultorum manifestatio vel consilii alicuius directio petitur per media vana et impertinentia: quae adeo superstitiosae et illicitae semper sunt.

302. Consulere vates seu eos qui ex chartis similibusve artibus occulta vel futura praedicunt, est subiective grave pecca-

(1) Sporer n. 298 sqq.

tum si serio fiat, obiective si saltem vates serio agat; sed practice plerumque neutra conditio adest.

§ II. — *De Vana Observantia* (1).

303. I. **Vana observantia** dignoscitur praesertim 1° *ex insufficientia causae;* 2° *ex admixtione circumstantiae* vanae vel falsae quasi necessario requisitae; 3° *ex infallibili exspectatione* effectus.

II. In dubio de sufficientia causae 1° *si probabiliter* effectus putari potest respondere *causae naturali*, licebit, saltem cum protestatione contra diabolicum interventum, medio isto uti; cum enim mirae et doctos etiam saepissime latentes sint naturalium causarum virtutes, non est ratio praesumendi interventum daemonis.

2° Si solum dubium est num effectus divinae an diabolicae virtuti tribui debeat, *naturali nempe certo non possit;* non licet, quia foret Dei tentatio. Hinc

304. I. Virgae divinatoriae usus ad detegendas aquas vel metalla recentioribus non videtur absolute damnandus, *modo* ne motus dependeat ab intentione ferentis. Suadetur tamen ad cautelam protestatio.

II. Neque certo superstitionis damnandi sunt ii quos salvatores vocant, qui nim. signo crucis facto et aliquas preces fundendo brevi tempore medentur certis morbis et vulneribus. — *Superstitiosi* vero censendi sunt qui vano aliquo et *inutili medio utuntur;* qui talem virtutem *ab alio didicerunt;* qui *certis verbis utuntur* quibus virtutem inesse credunt. Gratia enim sanitatum, quae hic supponitur, personae confertur, non verbis et signis.

§ III. — *De Maleficio* (2).

305. I. **Maleficium** si vere adesse putatur, licite solvitur vel ablatione signi malefici, vel etiam adhibendo signum contrarium quo, ex pacto conditionato diaboli, is solum cogitur *abstinere* a malo inferendo vel continuando. Quodsi *probabiliter* saltem creditur li-

(1) Sporer n. 311 sqq.
(2) Sporer n. 325 sqq.

cito modo solvi *posse,* licite ab ipso etiam malefico petitur ut illud solvat, idque etiamsi putetur novo maleficio esse alterum soluturus. Si vero licito modo solvi non potest, ad alia media, puta exorcismos et similia recurrendum est.

II. Experientia constat hodie rarissima esse vera maleficia. Quare Confessarius facilis esse non debet in iis credendis quae a poenitentibus minus doctis quandoque narrantur. Graviter autem increpandi erunt ii qui, praeiudiciis occupati, alium, praesertim senem vel anum, maleficii incusant (1).

APPENDIX DE HYPNOTISMO, MAGNETISMO ET SPIRITISMO (2).

306. I. **De hypnotismo et magnetismo animali,** inter quae non videtur esse discrimen essentiale, et quae saltem sub respectu morali eodem loco sunt habenda, haec pro expositione sufficiant.

1° Quae ut phaenomena hypnotismo vel magnetismo obtenta narrantur, neque omnia vera neque omnia ficta et falsa habenda sunt.

2° Illicitus certo est utriusque usus si adhibentur media in se mala, puta tactus turpes, vel si quaeruntur effectus certo supernaturales vel inhonesti.

Supernaturales autem effectus videntur: cognitio rerum quae hic et nunc in locis valde distantibus fiunt, vel quae ab hypnotizato nullis mediis naturalibus apprehendi possunt, ut *clara* cognitio morborum et conditionis alicuius personae absentis, cuius capilli vel vestes hypnotizato exhibentur; suggestio in distans per *merum* voluntatis imperium exercita; distincte proferre, lingua prorsus ignota, ea quae certo e nullo vestigio in memoria relicto provenire possunt; scripta thecis ferreis ligneisve inclusa legere luminis ordinarii ope (3); ostendere scientiam v. gr. artis medicae, quae certe non fuerit antea naturaliter acquisita, —

---

(1) Berardi *Prax.* n. 260; Génicot n. 269.

(2) Bierbaum-Sporer post n. 336. Antonelli *Med. past.* n. 227 sqq. et n. 244 sqq.

(3) Abstrahimus a possibilitate cernendi res trans corpora opaca ope radiorum quos nuper observavit Dr. Röntgen.

Sed in casibus concretis cavendum est ne sine *maturo examine* pronuntietur nullam adesse fraudem vel naturalem causam qua quaedam maxime mirabilia explicari queant; puta dum hypnotizatus cogitationes aliorum directe percipere videtur, quae reapse ipsi indicantur motibus inconsciis illius quem tangit, vel tenui labiorum motu, etc.

3° Quoad plures alios effectus, eos nempe qui hypnotismum regulariter comitantur prout a medicis virisque scientificis adhiberi solet, dissentiunt theologi. Plures eos omnes, si minus ex se, saltem reapse superstitiosos habent. Alii hoc negant vel dubitant. Neque dubium sustulerunt Responsa S. Inq. (1), ut quae distinguant inter usum et abusum magnetismi: id quod nobis imitandum prorsus videtur; theoretice quidem quia vix credi potest superstitiosa praxis, quam et tot medici peritissimi simul et religiosissimi sequuntur, et S. Sedes, rei certe optime conscia, non reprobat. Pro praxi vero collatis dictis n. 303, II, cum Génicot (2)

Resolvo I. Etiam quando abest labes superstitionis, illici- 307.
tum est aliquem in somnum hypnoticum coniicere, vel seipsum hypnotizanti tradere, sine gravi causa et debitis cautelis. Rationes sunt 1° abdicatio fere totalis libertatis; 2° pericula morum; 3° pericula sanitatis ubi imprudenter vel ab imperitis inducitur hypnosis, praecipue si quis occulto morbo laborat.

II. Vitatis conatibus superstitiosis, et adhibitis cautelis debitis licet seipsum ob gravem causam hypnotizanti tradere: tum enim non est periculum sive morum sive, ut peritissimi medici testantur, sanitatis. Nihil ergo manet quod moralem difficultatem faciat, nisi privatio usus rationis et aliquale periculum ne quis postea invitus iterum in hypnosim coniiciatur, quod tamen non est semper in potestate hypnotizantis. Iamvero haec valde restricta abdicatio propriae libertatis non videtur notabiliter maior quam quae fit ab aegroto qui ope chloroformii etc. in somnum coniicitur: quod ob gravem causam licere diximus n. 151.

I. Cautelae adhibendae praecipue sunt, ut durante hy- 308.

---

(1) 28 Iulii 1847 et 30 Iulii 1856; 26 Iulii 1899.

(2) N. 274 sq.

pnosi adstet fidus testis, ut hypnotizans sit tum peritus tum integerrimae probitatis.

II. Sufficientes causae sunt praesertim duae: curatio morborum quibus sanandis deest aliud medium prorsus innocuum, et progressus quarumdam scientiarum his experimentis obtinendus.

III. Ut liceat alterum in hypnosim coniicere, praeter dictas conditiones *requiritur eiusdem consensus;* nemo enim invitus etiam ad tempus, usu suae rationis et libertatis privari potest (1).

309. II. **Spiritismus** dicitur spirituum consultatio, praesertim de rebus extramundanis. Est semper graviter illicitus, siquidem aperte continet malitiam divinationis vel vanae observantiae.

Idem dicendum de tabulis rotantibus in gyrum actis *ut* notitia rei omnibus adstantibus occultae, responsum ab ipsa mensa scriptum, similisve effectus obtineatur. — *Aliud est si* solummodo mensa in gyrum vertitur, idque non mero voluntatis imperio sed digitis impositis, qui effectus probabiliter naturalis dicitur.

Generatim itaque graviter peccare etiam ii dicendi sunt qui illicitis tabularum rotantium vel spiritismi sessionibus intersunt. Imo difficulter vel illi a gravi excusari practice poterunt qui e mera curiositate assistunt, cum facile scandali aliave gravis peccati ratio accedat; cfr. Antonelli n. 240 sqq.

CAPUT TERTIUM.

DE PECCATIS CONTRA RELIGIONEM PER DEFECTUM.

Quae comprehenduntur generali vitio irreligiositatis, atque sunt tentatio Dei, blasphemia, sacrilegium et simonia.

ARTICULUS I.

DE TENTATIONE DEI (2).

310. **Tentatio Dei** duplex est: formalis seu expressa, et interpretativa seu tacita vel virtualis.

(1) Cfr. Antonelli n. 298 sq.

(2) Sporer n. 343 sqq.

I. Formalis est quo quis *reipsa dubitando vel diffidendo* de divina aliqua perfectione aliquid a Deo petit vel agit animo illam perfectionem explorandi. Haec semper est peccatum mortale, et accedit peccatum contra fidem.

Huic plures (1) accensent eam, quam alii tentationem Dei improprie dictam vocant, qua quis, *sine ullo dubio* de divina aliqua perfectione, *temere* a Deo petit voluntatis suae vel alterius rei miraculosam manifestationem. Haec etiam graviter *religioni* adversatur.

II. Interpretativa est cum quis, etsi actu non dubitet neque experimentum de Deo sumere intendat, reipsa tamen id agit vel petit quod suapte natura refertur ad divinam perfectionem explorandam. Est pariter peccatum ex genere suo grave, sed saepe fit veniale ex imperfectione actus, indeliberatione, simplicitate, ignorantia, vel etiam ex parvitate materiae ut si quis in levi morbo respuat medicinam confidens a Deo sanitatem consequi generali providentia, nullo petito miraculo.

Quodsi temere se exponens periculo nihil a Deo petit vel exspectat, peccatum quod committit non huc pertinet, sed quinto Decalogi praecepto et charitati sibi debitae adversatur.

ARTICULUS II.

DE BLASPHEMIA (2).

Blasphemia stricte dicta est locutio — late etiam actio vel cogitatio — contumeliosa in Deum. Talis autem esse potest **311.**

1° Ex se seu vi verborum, si nempe haec ipsa directe vel indirecte contumeliam in Deum continent; ut: « Deus est iniustus — velit, nolit Deus, hoc faciam »; item dictio: « *God verdomd* » in propria sua significatione, i. e. maledictus Deus — aliud est si profertur ut formula corrupta loco huius: « *God verdoem me* » cfr. n. 317. — Talia quoque sunt iuramenta per membra inhonesta Christi etc.; item maledicta in Sanctos vel res sacras; item combinationes rerum sacrarum cum vilibus, uti: « *sacramentsche hoer, hond* », etc.

(1) Cum Suarez *de Relig.* Tr. III, L. I, C. II, n. 14.

(2) Sporer n. 347 sqq. Alii de blasphemia agunt ad II^m Praec.

2° Ex modo loquendi et circumstantiis. Quaedam locutiones habentur blasphemiae si proferantur ex ira vel indignatione contra Deum, non vero si contra homines, iumenta etc. Tales censentur formulae proprie iuratoriae per membra honesta Christi etc. v. gr. per capillos, per oculos Dei; item locutiones: « *Tête-Croix-Mort-Dieu* » et similes. Pariter blasphemia est si maledicitur creaturis cum relatione ad Deum, ut si maledicatur pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei;* vel si maledicatur creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet. Secus autem si indignatio fertur in creaturas sine relatione ad Deum. S. Alph. n. 129, ex communi.

3° Ex aestimatione et persuasione communi, sive universali regionis sive particulari alicuius loci; quae quidem aestimatio *practice praecipue* est attendenda, ut communiter omnes docent. Unde quaedam locutiones sunt vel esse possunt blasphemiae in una regione non item in alia. Cuiusmodi praecipue sunt dictiones de quibus sub 2°, et nonnullae etiam ex iis de quibus sub 1°; praeterea: « *God doome — God dommie — God verdom — Sacrê Dieu — Sacré nom de Dieu — Mille noms de Dieu — Duizend sacramenten — Sacre Diu vel Dié* « similesque formulae plus minusve corruptae; cfr. n. 317.

Eadem ratione blasphema alicubi potest esse locutio quae ex se nequaquam est Deo iniuriosa. Huiusmodi tamen *error particularis* a Confessariis et Parochis corrigendus est. — Correctio certe a fortiori necessaria est in hypothesi erroris *communis.* Sed practice communis error neque ita frequenter occurrit, neque ita facile adesse demonstratur, ac error particularis. Praeterea si in *hac* materia error *communis* supponitur, et hac ratione frequens consuetudo blasphemandi, quaeri adhuc potest, an *practice* correctionem tentare, maxime publice, expediat sine interventu Episcoporum.

312. Quid sentiendum de formula neerlandica: « God verdoem (vel: verdom) me », attentis sensu verborum et aestimatione communi, abstrahendo vero ab aliis circumstantiis?

Distinguendus imprimis est sensus verborum:

I. Si sensus supponitur: « maledictus Deus »; vel si intelligantur verba ista continere provocationem, etsi ironicam, Dei ad damnandum, nullum dubium est, sed omnes consentiunt haberi veram et certam blasphemiam.

II. Sensus esse potest mera optatio vel petitio damnationis, ut haec differunt a provocatione proprie dicta. Hic autem notamus: 1° petitio aliquid amplius dicit quam mera optatio; 2° utraque, in dictione de qua agimus, dirigitur ad Deum hoc saltem sensu, quod non tantum exprimitur votum damnationis, ut v. gr. fit in dictione « sim damnatus », sed ut Deus damnet loquentem; 3° in horum alterutro sensu, non in peiori de quo sub I, in patria nostra dictio haec satis communiter a fidelibus accipitur. Iam itaque quaeritur, utrum hic sensus sit, necne blasphemus, atque adeo utrum dictio haec vi verborum seu ex se, abstrahendo a circumstantiis, sit necne, attenta aestimatione communi, vera blasphemia; et

Resp. Affirandum omnino censemus, has praecipue ob rationes: 1ª *optare* suam *ipsius* damnationem vi verborum dicit contemptum seu vilipensionem beatitudinis aeternae. Atqui haec vilipensio redundat in contemptum Dei ut Auctoris, Datoris, imo ut Obiecti nostrae beatitudinis. Ergo *hac ratione* optatio *haec* est blasphema. 2ª *Petere* autem sui damnationem a Deo praeterea impetit voluntatem Eius salvificam.

I. *Obiicitur* contra primam rationem: si ita est, etiam dictio « sim 313.
damnatus » habenda erit blasphema, *Resp.* 1° verba ista, absolute sumpta, reapse putamus sufficere ad blasphemiam, positis ponendis; sed 2° ista verba in sensu iuratorio vel conditionato, conditione mente saltem intellecta, potius quam in sensu absoluto proferri solent: cfr. n. sq. ad 3ᵐ; praeterea, 3° quoad verba ista alia est aestimatio communis,

II. Obiicitur aestimatio communis in aliis regionibus relate ad eandem vel similem formulam, puta in Anglia quoad formulas: « God damn me » vel « you ». *Resp.* 1° Ubi reapse alia est aestimatio communis, eo ipso est ratio practice aliter resolvendi, secundum dicta n. 311, 3°; 2° relate ad formulam « Deus damnet *te* » non existit ratio 1ª a nobis allata; 3° ubi utraque formula « *me* » et « *te* » est in usu, ibi facilius quoad utramque eadem esse potest aestimatio communis, ita ut ratio blasphemiae practice hanc ob causam cesset.

Haec, ni totus fallor, quoad dictionem hanc neerlandicam, et pro patria nostra, semper fuit sententia satis communis inter theologos nostrates.

Contradixit nuperrime, mutatâ sententiâ, Aertnys (1) ob rationes 314.
sequentes, sed quae, nedum nos convincant, ne probabilitatem quidem opinioni neganti conciliare nobis videntur. Argumentatur itaque:

1° « Imprecatio sine vero desiderio ut malum eveniat, inanis est, et peccatum veniale non excedit, ideoque Deo contumeliam non infert. Atqui imprecatio damnationis communiter sine vero desiderio profertur. Ergo hac ratione non est blasphemia. — 2° S. Alfonsus docet imprecationem contra hominem tum solum contumeliam contra Deum continere, cum *anima exprimitur* vel diserte *intenditur;* nam in anima sola resplendet imago Dei.... Atqui.... Ergo.... — 3° Iuramentum exsecratorium: *in aeternum damnet me Deus si mentior*, nullus Theologus dicit esse blasphemiam, si falsum iuratur: ergo neque si ea maledictio sine tali conditione proferatur... — 4° Deo convenit damnare homines perire volentes, estque iustitiae eius officium malos male perdere; tale optatum ergo contra se vel alium exprimere, praesertim non serio, uti fieri solet, non est Deo contumeliosum... » Ita cl. A. in suo Opere maiori cit.

(1) Primo in op. period. *Ned. Kath. Stemmen* anni 1902, pag. 197 sq., dein in opusc. *De imprecatione « D. d. me »*, tandem in nova, septima, editione maioris sui Operis *Theol. Mor.* anno 1906, I, pag. 191.

Resp. ad 1m. Hoc non pertinet ad quaestionem praesentem. Ratio blasphemiae non tam est in hac imprecatione ut imprecatio est, sed praecipue *in obiecto* huius imprecationis, ut n. 312 exposuimus (1); ad rationem autem blasphemiae non refert utrum, necne, damnatio serio optetur, sed sufficit ut petitio vel optatio sit externe seria. Quod idem in sequentibus quoque observetur.

Resp. ad 2m. 1° S. Alphonsus hoc loco agit de imprecationibus quales ut plurimum fieri solent, iisque in alterum, non in se; non vero loquitur de imprecatione qua quis sibi optat vel petit, ut a Deo damnetur. — 2° Verbum illud « solum », quod non est ipsius S. Alphonsi, ex huius mente addi hoc loco potest, si sistatur in distinctione utrum creatura, cui maledicitur, consideretur ut habens specialem cum Deo relationem, necne; non vero extra hypothesim huius distinctionis. 3° Cl. A. hac ratione negat blasphemiam *mediatam;* hinc dato toto, manent tamen rationes pro blasphemia allatae n. 312. Dico: « dato », non: « concesso »; nam sat multi censent sufficienter verificari conditionem a S. Alphonso, aliisque omnibus, requisitam ad blasphemiam mediatam.

Resp. ad 3m. Transeat antecedens — solum notamus neque theologos negare in hypothesi blasphemiam; nam vix est qui quaestionem moveat; et nullus affertur qui diserte neget. Porro addimus, neque nos in hypothesi astruere blasphemiam. — Nego consequens et consequentiam. Nam addita conditio seu ipsa formula et ratio iuramenti indicat loquentem timere Deum et damnationem; contra, dempta conditio seu formula absoluta sensa plane opposita exprimit.

Resp. ad 4m. *Durante hac vita* Deo convenit voluntas salvandi homines etiam perire volentes: est enim salvifica Dei voluntas universalis in omnes viatores etiamsi et quantumvis peccatores. Quod quis ergo optat et petit ab ipso Deo ut ipsum damnet, hoc est Deo contumeliosum, quia impetit Eius voluntatem salvificam. — *In altera vita* vero Deo convenit damnare homines perire volentes, estque iustitiae Eius officium malos male perdere (2).

Pergit cl. A.: « Non obstat communis aestimatio, quia non est communis (3), sed varia in variis locis. Deinde populus potest quidem com-

---

(1) Hinc cl. A. in opusculo *de Imprecatione* « *D. d. me* » pag. 6, alinea « Controvertitur autem », collata conclusione § II pag. 9, alinea « Itaque », nobis videtur minus accurate exposuisse statum quaestionis.

(2) In opusc. cit. pag. 22 cl. A. ad obiectionem petitam ex contempta voluntate salvandi omnes homines respondet: « Distinguamus oportet cum theologis duplicem voluntatem Dei [sc. unam antecedentem et conditionatam, alteram consequentem et absolutam. Atqui verba *D. d. me* indicant posteriorem. Ergo] ». — Ad quae reponimus: 1° haec summum probant Theologos verba ista proferentes vitare posse blasphemiam subintelligendo: « post mortem, si in peccato mortuus fuerim »; 2° si distinguamus oportet, ergo vulgus, qui non distinguit, blasphemat.

(3) Hoc. cl. A. verissime dicere potest, quia loquitur etiam de formula anglica. Quoad patriam nostram vero non videtur negare velle hanc esse communem aestimationem, et certe non hoc sensu quod populus communiter hanc dictionem aestimat *peccatum grave:* hoc enim diserte concedit in opusc. cit. pag. 33 alinea « Itaque ».

muni acceptione sua *sensum verborum* constituere; nequaquam vero decidere *quale peccatum* in aliqua locutione contineatur; hoc enim ad Theologos pertinet ». — *Resp.* Ipse cl. A. concedit sensum constitutum esse saltem optationem vel petitionem damnationis suae a Deo. Atqui hic sensus nobis videtur contumeliosus in Deum. Quodsi quis hoc ipsum negare velit, putamus non tam esse disputandum, quia ope ratiociniorum vix speramus fore ut proficiamus; sed potius applicandum illud: quot capita tot sensus.

Pergit ulterius: « Non obstat quemque timoratum ab ea maledictione abhorrere; nam abhorrent quia dira imprecatio est, quae si ex animo proferatur, certo est peccatum mortale ». — *Resp.* 1° Ipse cl. A. anno 1901 affirmandum dixit locutionem esse blasphemiam « ex communi acceptione, quisque enim timoratus abhorret ab hac locutione tamquam a blasphemia ». 2° Quamquam vulgus non ita accurate species peccatorum distinguit ut solent theologi, non tamen omnia peccata eadem habet specie, atque satis apprehendit, esto confuse, differentiam inter offensam late dictam et stricte sumptam seu contumeliam.

Idem, quod hodie Aertnys, docet Ed. Brahm (1), qui statuit propo- 315.
sitionem hanc (2): « Verba imprecatoria in seipsum *D. damnet me* non sunt blasphematoria, hoc est, non negant aliquid de Deo quod ei convenit; non asserunt de eo quod ei non convenit ». Quam propositionem dein probare conatur. — Resp. Cl. A. verba S. Thomae, 2, 2, q. 13, a. 1, nimis in stricto sensu urget: quare respondeo cum Aertnys (3): « S. Thomas in eadem quaestione adhuc dicit, blasphemiam consistere in *attribuendo Deo falsum.* (*loc. cit. a. 2. ad 2. et a. 3. ad 2.*). Disputant Theologi utrum recte an secus haec dicta sint: alii asserunt haec tantum valere de blasphemia haereticali; alii opponunt *verum* numquam Deo iniuriosum esse posse, nisi ex animo indignanti in Deum dicatur. Attamen S. Doctor recte explicari potest; omnis namque blasphemia Deo aliquid *falsum* attribuit, quatenus nempe supponit Deum esse *contumeliâ dignum*, idque verbis aut factis exprimit. Ita optime Illustr. Waffelaert (Confess. rite instit. ad impugn. blasph. n. 11) ».

Dein (4) ad probandum « haec verba *D. damnet me, dat God my verdoeme* conceptum blasphematorium non exprimere », affert quae sequuntur. « Si ex hominibus quaeramus quidnam *animo concipiant*... quando *scribunt* vel *voce* edunt *G. v. d., D. damnet me*, non dicunt se haec signa *imprecationis in seipsos* usurpasse ad significandum crimen vel defectum in Deo, neque quod Bonitas eius damnet homines; vel quod damnet ante mortem; quod malum, in quantum malum, inferat Deus creaturae suae: hoc est, quod damnet sine demeritis; quod voluntatem arbitrariam habeat damnandi animam; non dicunt se signa *imprecationis in seipsos* G. v. d. adhibuisse ad significandum contemptum Dei, cuius perfectiones in anima speciali modo elucent, vel contemptum tremendae Dei iustitiae vel eius misericordiae, vel eorum quae Christus pro hominum salute in cruce passus est; vel quod Deus non habeat voluntatem salvandi homines, etc. ».

---

(1) Missionarius C. SS. R. in Belgio, in opusc. *Dissertatio* de formula: « G. v. d., Deus damnet me ».

(2) Altera editio pag. 40.

(3) Opusc. cit. pag. 18. in nota.

(4) Pag. 44 sq.

Resp. Horum singula sufficerent ad blaspemiam, sed nullum horum necessario ad eam requiritur; at sufficit, secundum omnes, contumelia Deo illata, quibusvis verbis, etiam verissimis.

316. Uterque A. l. casum nostrum aequiparat casui maledictionis mortuorum, de quo egit S. Alphonsus, indeque uterque, pariter ac S. Doctor, concludit ad necessitatem vel utilitatem dedocendi populum. Quocirca noto: est sat magna differentia inter casum et casum: S. Alphonsus, non ut probabile vel probabilius, sed ut moraliter certum demonstraverat istam maledictionem non esse blaspemiam, ita ut apprehensio populi vere probata esset erronea. Sed hoc neuter A. l. praestitit quoad casum nostrum, quidquid forte imaginatur Ed. Brahm.

317. Quoad formulas corruptas vel dimidiatas distinguendum est:

1° « Si corruptio est *mere grammaticalis,* ita ut attenta communi aestimatione significatio non tollatur vel mutetur, manent blasphemae.

2° Si vero corruptio est *substantialis,* ita ut attenta pariter aestimatione communi sensus tollatur, non sunt blaspemae; uti: *pot verdom me, God doorie, saperju, sacré nom, mille noms, mort bleu.*

3° Si tandem corruptio est *aequivoca,* quae nim. formulam relinquat dubiam, tum *nisi obstet alicubi aestimatio communis,* applicatur regula: locutio dubie blasphema non censetur blasphemia; uti: *jarni (je renie) Dieu, sacré dié, God dom.*

318. Distinguitur blasphemia 1° directa et indirecta, idque tum ratione *intentionis* prout quis formaliter vult vel non vult inhonorare Deum; tum ratione *obiecti* prout Deus immediate in se vel mediate in Sanctis vel rebus sacris inhonoratur — hinc posteriori ratione dicuntur etiam *immediata* et *mediata:*

2° Ratione *sensus* seu verborum distinguitur haeretica quae continet haeresim cum interno assensu, haereticalis quae haeresim significat sed absque interno assensu — non omnes tamen propriis hisce terminis unam ab altera distinguunt —; imprecativa qua malum exoptatur, et mere probrosa, dehonestativa seu simplex quae solam contumeliam continet.

A blasphemia mediata distingui adhuc potest contumelia quae fit in Sanctos, non ut tales, sed solum ut quidam homines in terris fuerunt. Haec non est proprie blasphemia, et censetur veniale tantum si ex joco vel levitate fiat; mortale tamen si ex odio, indignatione vel maligno affectu in Sanctum. Qua sola excepta

Resolves I. Omnis blasphemia est peccatum grave ex genere suo toto, ita ut veniale solum fieri possit ex imperfectione actus. 319.

1. Jocus per se non tollit rationem blasphemiae; nisi nempe attentis circumstantiis tollat omnem irreverentiam contra Deum. Admitti vero hic potest bona fides.

2. Inadvertentia eos solos excusat qui, blasphemando vèl non assueti vèl non iam voluntarie assueti, ex subita ira aliave passione prius protulerint verba quam advertant sensum. Quamquam hanc ipsam inadvertentiam adfuisse adeoque et excusationem alii facilius, alii difficilius admittunt.

3. Impatientiae formulae quae per se essent blasphemae, uti « videtur mei Deus plane oblitus — immerito haec patior », et similes, plerumque propter inadvertentiam ad sensum Deo iniuriosum, et propter simplicitatem, vel etiam propter imperfectionem actus a gravi excusantur.

4. Consuetudo blasphemandi *non retractata* constituit assuetum in continuo statu peccati mortalis; sed non est ex se peccatum distinctum ab ipsis blasphemandi actibus. Quia tamen importat gravem obligationem se corrigendi, is qui emendationi non studet, peccat mortaliter: consequenter si vèl reipsa non blasphemaverit, vèl solum inadvertenter, tenetur hoc suum peccatum, quod nempe periculum blasphemandi non cavit, confiteri. Facile tamen hic admittenda videtur bona fides, saltem in priori hypothesi et quoad confessionem. Cfr. P. III.

II. Omnes blasphemiae probabiliter sunt eiusdem speciei infimae inquantum laedunt honorem Deo debitum. At saepe accedit circumstantia speciem addens, ut blasphemiae ex odio vel desperatione, imprecativae, haereticae vel haereticali. 320.

De sola *blasphemia contra Sanctos,* sive solos sive mediate simul contra Deum, *controvertitur* utrimque probabititer num specie ab aliis differat. — Sunt etiam qui censent circumstantiam *directae intentionis* inhonorandi Deum esse in confessione aperiendam, sed solum ut notabiliter aggravantem; qua de re vid. Tract. de Sacram. Poenitentiae.

Pro praxi praeterea notamus: 321.

I. Confessarius imprimis novisse studeat quaenam dictiones in loco confessionis habeantur *certae* blasphemiae.

II. Ne graviter urgeat indiscriminatim poenitentem ut abstineat ab omnibus formulis quas adhibere solet, sed tantum ab iis quae gravem malitiam continent. De reliquis autem, si opus fuerit, prudenter instruatur poenitens eas nullam gravem malitiam continere, et suaviter inducatur ut ab iis quae nomen Dei continent, ob huius SS. Nominis reverentiam, abstineat.

III. Suadeat iis qui blasphemare solent, ut verba sonora nihil pravi significantia loco blasphemiarum adhibeant: hoc enim facilius obtinebitur quam ut ab omni verbo indecoro abstineant (1).

IV. Pro nostratibus speciatim notetur verbum *vlocken* saepe, a iunioribus praesertim et rudioribus, promiscue adhiberi ad significanda tum blasphemias sive veras sive dubias sive omnino corruptas, tum maledictiones vel etiam mera convicia in homines, iumenta etc., tum demum formulas iuratorias. Quodsi itaque confessio poenitentis dubium relinquat, Confessarius inquirat, num poenitens vere et graviter blasphemaverit, et si minus, num forte ex alio capite, graviter peccaverit.

ARTICULUS III.

DE SACRILEGIO (2).

322. **Sacrilegium** late et improprie dicitur quodvis peccatum contra religionem; proprie ut peccatum speciale est violatio rei sacrae; rem sumendo late. Res autem sacra dicitur omnis illa quae divina vel ecclesiastica auctoritate ad divinum cultum est deputata.

Cuiusmodi rerum triplex distinguitur genus, indeque triplex sacrilegii species; personale, locale et reale. Quae sunt species diversae et probabilius etiam infimae ita ut singulae ulterius specie morali non subdistinguantur, *excepta sola simonia*; cfr. 324. Attamen plerumque alia ratione actio sacrilega in con-

(1) Génicot n. 296, 1° et 5°.

(2) Sporer n. 361 sqq.

creto declarari debet, quoties nim. aliunde iam suam malitiam habet.

Pleraque sacrilegia semper sunt mortalia; aliqua tamen parvitatem materiae admittunt, ut v. gr. furtum sacrilegum; cfr. n. sq. II, nota.

I. Personale sacrilegium triplici modo committitur: 1° 323.
inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2° immunitatem personalem eorumdem violando; 3° luxuriose violando personam sacram; de quo cfr. Tr. de VI°.

II. Locale sacrilegium quatuor modis committitur: 1° violando ecclesiae immunitatem seu ius asyli; 2° ecclesiam ve coelmeterium polluendo; 3° exercendo actionem profanam quae vèl natura sua vèl ecclesiastica prohibitione loci sanctitati repugnat; 4° furando rem e loco sacro ad quem illa peculiari aliqua ratione spectat, puta ecclesiae custodiae commissa, ecclesiae usibus commodata.

Omnia peccata in loco sacro commissa per se aliquam sacrilegii malitiam annexam habent, sed pleraque levem tantum; de peccatis luxuriae cfr. Tr. de VI° Decalogi Praecepto.

III. Rerum sacrarum, quarum violatione reale sacrilegium committitur, *quatuor gradus* et genera assignantur:

1° Sacramenta quorum *invalida vel indigna* administratione vel susceptione, et quoad S. Eucharistiam etiam illicito tactu committitur sacrilegium. — Quodsi *contumeliose* tractentur, accedit blasphemia.

2° Vasa consecrata ad ministerium et usum Sacramentorum: dein sacra olea, aedes sacrae, altaria, crux et imagines Christi ac Sanctorum eorumque reliquiae; item S. Scriptura. Ad hanc postremam speciatim quod attinet, grave sacrilegium est eius verbis abuti ad finem graviter malum, puta ea detorquendo ad sensum impium vel obscoenum.

3° Ornatus altarium et ministrorum, aliaque quae *ad ministerium* divini cultus benedicuntur; quibus, quamdiu ad hunc finem destinata manent, abutendo ad usus profanos graviter peccari potest. Ea quae *ad alium usum* sacrum benedicuntur, puta candelas, aquam, adhibere ad usum profanum, secluso contemptu, non censetur peccatum.

4° Bona ecclesiastica generatim, sc. sive ad Ecclesiam sive ad locum religiosum vel pium pertinentia: quodsi tamen agitur de bonis quae *non in dominio* Ecclesiae sunt, etsi Ecclesiae eiusve ministris debentur, eorum defraudatio etc. non censentur sacrilegia proprie sed late dicta.

IV. Nota: 1. Triplex furtum sacrilegum ex dictis distingui potest. Committitur sc. furando vèl 1° sacrum de sacro — *reale et locale;* vèl 2° non-sacrum de sacro — *locale;* vèl 3° sacrum de non-sacro — *reale.*

2. Loci sacri notio diversimode sumitur: *late* si agitur de violata *immunitate, stricte* si de *sanctitate.* Qua de re, sicut de pluribus aliis huc spectantibus cfr. Cursus Iuris canonici; item de simonia.

ARTICULUS IV.

DE SIMONIA (1).

324. **Simonia** communiter definitur: studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pro pretio temporali. Illa studiosa voluntas, ut non tantum peccatum internum sed vera simonia habeatur, poni debet aliquo modo executioni data: eadem ratione qua v. gr. voluntas furandi est peccatum furti, non furtum.

Specialis malitia simoniae consistit in *iniuria* quae infertur illi *rei sacrae dignitati* qua omnia temporalia superat.

Ex definitione ad simoniam tria concurrunt: res spiritualis vel spirituali annexa, pretium temporale, horum aequiparatio per pactum.

325. I. Res spiritualis est talis vèl *formaliter* ut gratia; vèl *causaliter* ut sacramenta et preces; vèl *ut effectus et usus* potestatis supernaturalis ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, collatio beneficiorum etc.

Res in se temporalis spirituali annexa esse potest 1° *concomitanter et intrinsece* ut labor celebrandae Missae necessario

(1) Sporer n. 368 sq.

impendendus; 2° *concomitanter sed extrinsecus* ut Missa celebranda loco distanti, hora importuna, cum cantu; 3° *consequenter* ut beneficia ecclesiastica quae dantur propter officium spirituale; 4° *antecedenter* ut vasa, paramenta aliaque consecrata vel benedicta.

Iam si 1° vel 3° modo, sunt materia simoniae *iuris divini;* non vero si 2° vel 4° modo — saltem per se, nisi v. gr. propter consecrationem pretium rei augeatur — sed *possunt* esse materia simoniae *iuris ecclesiastici;* cfr. n. 331.

II. Pretium temporale distinguitur triplex: 1° *munus a manu:* pecunia et quaelibet res quae commercio inter homines commutari solent; 2° *munus a lingua:* intercessio, patrocinium, laus, commendatio etc. 3° *munus ab obsequio:* famulatus et quodvis ministerium temporale.

III. Emptione vel venditione seu pacto intelligitur quilibet *contractus onerosus.*

Dividitur I. in simoniam iuris divini, cui convenit data definitio, et quae intrinsece mala est; et iuris ecclesiastici, quo veniunt commutationes vel etiam largitiones solo iure positivo ob speciem vel periculum simoniae prohibitae; n. 331. 326.

II. In simoniam 1° mentalem quae fit cum pacto latente seu cum intentione habita sed nullo modo expressa alterum obligandi; — 2° conventionalem quae facta est cum pacto explicito vel implicito sed nondum ab utraque parte executioni dato, et subdividitur in pure talem et mixtam prout ex neutra vel ex una parte executioni dari coepit; — 3° realem quae ab utraque parte saltem inchoative completa est. — Additur confidentialis cuius materia sunt beneficia ecclesiastica. — Haec divisio attenditur, ubi agitur de *poenis.*

Nota. Simonia iuris divini non admittit parvitatem materiae. Doni tamen exiguitas signum esse potest non haberi mentem simoniacam.

Resolves I. Simonia non est *occasione* functionum sacrarum aliquid accipere vel etiam exigere per modum stipendii ad sustentationem. Cuilibet enim laboranti in commodum alterius ipso iure naturae per se et generatim merces ad sustentationem debetur. Nec quid obstat de eo stipendio pacisci, si lege vel con- 327.

suetudine determinatum non est: quod si pactum est, expresse vel tacite, ex stricta iustitia debetur, atque adeo etiam eo non indigentibus. Et *merces quidem* tale spiritualis operis stipendium vocari potest, *non vero proprie pretium,* quia non commensuratur valori operis praestiti, sed necessariae sustentationi. — Quamquam alii aliter huius stipendii naturam interpretantur, in hanc resolutionem tamen omnes conveniunt. Sed

328. Quid si vèl laboris extrinseci compensatio iusto maior, vèl sine titulo iusto ultra taxatum, lege vel consuetudine, stipendium exigitur?

Resp. Plerique universe affirmant veram simoniam committi, quia deficiente iusto titulo excessus hac ipsa ratione iam ut pretium ministerii sacri exigitur. Quidam tamen per se, i. e. seclusa mente simoniaca, negant; quia quum adest titulus aliquid exigendi, non habetur necessario ista comparatio rei spiritualis cum temporali.

329. II. Simoniam non committunt: 1° Sacerdos qui ludens cum laico Missam spondet si perdat, dum socius pecuniam exponit, quia fit mera debiti commutatio in stipendium Missae. *Cavendum tamen a scandalo.*

2° Qui functiones sacras obeunt *principaliter* intuitu stipendii. Nam quamvis inordinatus affectus subesse queat, per se licet intendere quod licite exigitur.

3° Qui pro stipendio tradunt doctrinam, puta catechesim, theologiam, vel consilia quae non unice ordinantur ab bonum spirituale audientium, sed simul ad temporalem utilitatem, puta instructionem, scientiam, commodum, honorem.

4° Qui dant pecuniam *solum* ut se ab iniusta vexatione liberent, vel ut functionem sacram praestare nolentem permoveant. Quod valet etiam in materia Beneficiorum ecclesiasticorum; in qua ut dignoscatur utrum redimens iniustam vexationem simoniam committat necne, inspiciendum est utrum per rem temporalem viam sibi sternat ad acquirendum ius spirituale, quod nondum possidebat, an tantum servet ius sibi iam quaesitum. Ideo a simonia immunis esset qui pecuniam daret alii ut desisteret a calumniis quibus eum apud beneficii collatorem vexaret; simoniacus foret

qui ipsi collatori munera daret ne iniuste denegaret beneficium digniori.

3° Qui aliquid temporale dat vel promittit alteri, ut is rem spiritualem in sui ipsius commodum praestet. Quod ut plurimum credendum est fieri per modum donationis liberalis. Quodsi donans vel promittens intenderet imponere alteri strictam obligationem, plerique id simoniacum reputant. Alii tamen id probabiliter negant, quia pro temporali non obligatur alter ut donanti aliquid spirituale tradat, sed tantum ut sibi consulat (1).

330. III. Occasione ingressûs in religionem simonia non est dare vel recipere aliquid 1° titulo spontaneae *eleemosynae;* vel 2° titulo *sustentationis si* monasterium sit egens; vel 3° titulo *dotis* in monasteriis *Monialium,* etiamsi sint opulenta; id indulsit Ecclesia, quia monasteria Monialium facilius sunt obnoxia variis infortuniis.

Quoad monasteria *virorum, si opulenta* sint, non convenit inter AA. utrum exigere aliquid pro sustentatione foret simonia iuris divini an tantum ecclesiastici. Sed excipitur ab omni simonia 1° si quid recipiatur pro sustentatione tempore Novitiatus: quod permittit Trid. (2); 2° si recipiendus sit infirmus, senex etc., ita ut oneri, non commodo futurus sit Religioni.

331. Simoniae iuris ecclesiastici casus praecipui sunt:

1. *Venditio Beneficiorum;* etiam secundum id quod in ipsis temporale est, nim. ius percipiendi fructus.

2. *Venditio officiorum* Ecclesiae quae extrinsece tantum ordinantur ad res sacras, ut sacristae, oeconomi, thesaurarii.

3. *Oblatio pecuniae* alteri facta ut collatori suadeat conferre danti Beneficium. Id quod alii plures simoniam iuris divini dicunt.

4. *Pactum de resignando Beneficio* vel ex eo solvendo pensionem, si alter Beneficium tibi impetret.

---

(1) Cfr. Génicot n. 288.

(2) Sess. XXV, Cap. XVI de Reg. et Mon : « Neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur ». Canon. et Decr. Sacros. Oecum. Conc. Tridentini, edit. de Prop. Fide, Romae 1893, pag. 217.

5. *Permutatio et resignatio* Beneficiorum; *item reservatio* pensionis ex Beneficio resignato, si absque legitima auctoritate fiat.

6. *Acceptio munerum* etiam sponte oblatorum pro examine ad Parochiam, pro collatione Ordinum vel Tonsurae, vel pro litteris dimissoriis.

7. *Venditio* olei benedicti, rosariorum, crucium, numismatum quibus annexae sunt Indulgentiae.

332. **De restitutione** simoniace acceptorum.

I. Res spirituales generatim restitui non debent — modo valide translatae sint — ante sententiam iudicis. Excipe Beneficia cum fructibus perceptis, cum eorum collatio ipso iure et ante sententiam iudicis irrita declaretur.

II. Pretium acceptum pro Beneficio aliave re spirituali 1° *nondum traditis,* ipso iure naturali restitui debet, idque ipsi danti (1): 2° *pro iam traditis* 1) restitueudum non est si *sola virtus religionis* laesa est, sc. si tradita est res spiritualis habens valorem temporalem pretio aestimabilem, vel si pro functione sacra stipendium sustentationi congruum acceptum est contra prohibitionem Ecclesiae vel mente simoniaca; 2) contra, si *etiam stricta iustitia* est laesa, i. e. si vèl tradita est res mere spiritualis quae valorem temporalem nullum habet, vèl pro aliis rebus aut functionibus plus acceptum est quam iure accipi potuit, restituendum est, idque ex iure naturae ipsi danti; de iure ecclesiastico num Ecclesiae vel pauperibus restituendum sit, ante sententiam iudicis controvertitur tum generatim, tum speciatim in materia Beneficiorum.

SECTIO II. PRAECEPTUM SECUNDUM DECALOGI.

CAPUT PRIMUM.

DE VOTO.

333. I. **Votum** est promissio Deo facta. Alia, ut «de bono meliore et possibili» quae alii addunt, alii supponunt, magis sunt explicativa.

(1) Cfr. P. II.

Stricte sumptum itaque est actus latriae. Promissiones quae Sanctis fieri dicuntur, ut plurimum sunt vera vota, quia solent ideoque praesumuntur primario fieri Deo, secundario Sanctis, vel his solum ut testibus et patronis apud Deum. Potest tamen promissio valide fieri absolute in honorem Sanctorum, sine intentione se obligandi ipsi Deo; sed talis promissio non erit votum proprie dictum. Est actus quem duliae vel hyperduliae vocant. Sporer n. 204 sqq.

Dividitur votum praecipue 1° in personale, reale et mixtum, prout actio — vel omissio — ipsius voventis, vel res aliqua ab actione personae separabilis, vel utrumque simul promittitur; — 2° in explicitum quod in se seu propriis terminis concipitur et emittitur, et implicitum quod emittitur ut contentum in alio actu vel voto vel ei annexum; — 3° in absolutum et conditionatum quo pertinet *poenale;* — 4° in perpetuum et temporaneum; — 5° in solemne et simplex. Sporer n. 310.

ARTICULUS I.

CONDITIONES AD VOTUM REQUISITAE.

§ I. — *Conditiones ex parte voventis* (1).

I. Requiritur imprimis *vera, deliberata* et *directa* voluntas se obligandi ad aliquid. **334.**

1° Vera: ut sit *promissio,* non merum *propositum* quod neque solum sufficit, neque ad voti *valorem* requiritur.

2° Deliberata: ut habeatur *voluntarium perfectum,* quod ad valorem cuiusvis promissionis requiritur quum sine eo nemo censeri possit velle se obligare. Ut communiter dicunt, requiritur et sufficit deliberatio *qualis ad peccatum mortale* requiritur; *sed* — quod probe notandum — *supponitur* sufficiens notitia *tum obligationis* voti *tum rei* promissae, quae notitia non ita cito et facile praesumi potest ac notitia ad peccandum requisita.

(1) Sporer n. 174 sqq.

3° Directa: quia *voluntas se obligandi* est ipsa voti substantia.

II. Quibus suppositis, quoad actum vovendi sufficit et requiritur ut hic sit saltem virtualiter voluntarius, quia secus non foret actus humanus.

Nota. Attendatur ad naturam voti *conditionati*, in quo *apparens* exceptio a dictis requisitis locum habere potest; cfr. n. sq. I, 3°.

335. **Resolves** I. — 1° Invalide vovet qui naturam seu obligationem voti prorsus ignorat. — Valide vero qui habitualiter obligationem novit, et solum actu ad eam non advertit; item is qui non explicite quidem, sed tamen in confuso voti obligationem apprehendit, vel eam vult implicite: v. gr. qui intendit vovere aliquid sicut alii vovere solent; ex tali autem voto non inducetur maior obligatio quam vovens voluit suscipere atque apprehendit.

2° Valent vota emissa in devotionis fervore, in vehementi alicuius rei desiderio. Item *ut plurimum* vota facta ex iracundia vel alia subita passione, vel ex animi levitate, quia *plerumque* sufficiens remanet deliberatio.

3° Non valet votum emissum in ebrietate, etsi antea praevisum; *valeret* tamen si antea etiam approbatum fuisset, quia tunc esset in se volitum.

II. **Error** 1° impedit valorem si est de rei promissae substantia, vel de circumstantiis substantialibus — quae nim. ipsam rem notabiliter mutant — vel de voti causa finali. — *Excipe* vota quae *statum perpetuum* inducunt, quae solum irrita sunt ob errorem de substantia, qui ipse error in hisce practice non facile admittitur; cfr. n. 351.

2° Non impedit valorem si est de circumstantiis accidentalibus — *nisi* tamen hae magni momenti sint, ita ut iis cognitis *votum non fuisset emissum;* cfr. n. 350, II — vel de voti causa impulsiva.

III. **Metus** 1° iniuste incussus ad extorquendum votum et gravis certo ex iure canonico irritat vota solemnia Religionis; quam iuris dispositionem multi extendunt ad omnia alia vota. Imo communius et probabilius docent eum irritare quaecumque vota

ipso iure naturae, cum Deus censeri nequeat acceptare quod iniuriâ extortum est.

2° Si fuit levis, non praesumitur efficaciter influxisse. *Nihilominus* pro foro interno si de efficaci influxu constaret, multi sentiunt vel probabile habent votum esse invalidum, quia eadem valet ratio.

3° Metus ab intrinseco, vel iuste aut non ad extorquendum votum incussus, illud *non irritat, nisi* forte usus rationis fuerit notabiliter perturbatus.

§ II. — *Conditiones ex parte materiae* (1).

Materia voti debet esse: 336.

1° Moraliter bona, quia re indifferenti Deus non colitur, re mala offenditur.

2° Melior quam eius contradictorie oppositum, sive absolute, sive relate ad circumstantias; quia Deus non colitur actione cuius positio non est melior quam eius omissio.

3° Possibilis moraliter; quia impossibilium nulla potest esse obligatio.

Resolves I. Finis pravus 1° irritat votum, etsi materiae 337. bonae, *si* est *totalis,* vel *primarius,* vel *graviter malus, et* ad eum dirigitur *res promissa.*

Idem est de fine *indifferente, si* hic intenditur ut immediate seu naturali causalitate obtinendus per rem promissam: uti si quis vovoret ieiunium unice vel primario ut parcat sumptibus. *Secus* vero si intenditur ut obtinendus a Deo; tunc sufficit ut petatur res quae rationabiliter a Deo expectari possit, ut sanitas, bona fortunae necessaria vel utilia.

2° Non irritat votum 1) si non res promissa sed solum *emissio voti* vel modus emittendi, puta palam, dirigitur ad finem pravum, v. gr. ad laudem captandam; 2) Si finis *venialiter* malus *secundario* tantum intenditur, *etsi* per rem promissam.

3° Irritum pariter est omne votum primario emissum ex affectu ad rem malam, sc. ad obtinendam a Deo rem malam,

(1) Sporer n. 207 sqq.

vel in gratiarum actionem pro re mala. *Valet* vero votum nuncupatum ex affectu ad rem bonam vel indifferentem, etsi coniunctam cum causa vel conditione mala; v. gr. si quis voveat eleemosynam ut vel si *non capiatur* in furto; cfr. n. 343, IV.

II. **Votum nubendi,** per se irritum, per accidens valide emittitur 1° ab eo qui ad matrimonium obligatur; 2° item multo probabilius ab eo cui ob particularem fragilitatem matrimonium praestat prae caelibatu, sed obligabit solum conditionate, nim. nisi alia media adhibere velit, 3° pari modo valeret votum ducendi puellam pauperem, sc. sub conditione si quam ducturus est.

III. **Votum castitatis** vel **non nubendi** in saeculo emissum ab eo cui ob frequentes lapsus matrimonium videtur certo utilius, *ex communiori et probabiliori* est nihilominus *validum;* quia, cum aliis mediis peccata semper vitari possint, caelibatus manet melior. — Sunt tamen, sed *pauci,* qui saltem *probabile* putant esse *invalidum;* quia omnibus consideratis in casu matrimonium videtur relative melius. Perdifficile videtur negare omnem practicam probabilitatem huic sententiae. Idcirco, si offerretur tali personae matrimonium quod repudiare nequiret sine prudenti timore non reperiendi brevi aliud aptum, non videtur neganda Absolutio destinanti illud arripere sine dispensatione, sed cum animo hanc petendi, saltem ad cautelam, proximo quoque tempore.

IV. **Votum non vovendi,** absolute, *nullum* est. *Validum* vero votum *non vovendi nisi* de consilio Confessarii: quo voto emisso, tamen valida sed illicita forent vota non habito consilio Confessarii; invalida forent solum si vovens ab initio intendisset irrita fore vota contraria, *et immemor* huius intentionis vovisset sine consilio Confessarii.

Nota. Votum religiosi transeundi ad Religionem laxiorem nullum foret.

V. **Votum non peccandi** *omnino,* in perpetuum vel ad tempus notabile, v. gr. per totam Quadragesimam, est *invalidum. Validum* vero votum vitandi *mortalia,* vel *adhibendi specialem curam* vitandi omnia peccata etiam venialia; item, sed solum pro homine solidae virtutis, votum vitandi *venialia vèl plene deliberata* seu ex proposito et quasi ex mera malitia committenda, *vèl* in

specie *determinata et* quorum evitatio non est nimis ardua, v. gr. numquam mentiendi, furandi; aliud dicendum de vitandis iis quae vix vel ne vix quidem evitari prorsus possunt, ut cogitationes otiosae, distractiones in oratione.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ET INTERPRETATIONE VOTI (1).

Regulae interpretationis. 338.

I. Principaliter semper attendenda est intentio voventis, de qua in dubio iudicatur secundum *verba* adhibita vel cogitata.

II. Consideranda est materia voti. — Quae si dubium relinquunt,

III. Attenduntur modus obligandi legis divinae vel ecclesiasticae in eadem materia, et aestimatio communis.

IV. Dubio manente interpretatio fit stricte et in favorem voventis.

I. **Obligatio** voti est gravis ex genere suo. Sed 339.

II. *Etiam in materia gravi,* et quamvis aliunde sub gravi praecepta vel prohibita, vovens *potest levem tantum* obligationem assumere; quia tota obligatio ab eius libera voluntate oritur. — Imo prudenter saepe Confessarius monebit suos poenitentes qui vovere desiderant, ut, etsi gravis sit materia, levem tantùm assumant obligationem, idque maxime si non sint solidae virtutis.

III. *Non vero potest sub gravi* se obligare *in materia undequaque levi,* quum haec gravis obligationis non sit capax. Adverte tamen ad conscientiam forte erroneam.

IV. Vovens absolute, non determinando obligationis gravitatem, censetur se obligasse secundum materiae capacitatem.

Resolves I. Qui vovit calicem, in dubio satisfacit donando 340. argenteum, vel partim etiam inferioris materiae, ubi tales adhiberi solent. Et generatim, qui vovit aliquid non determinando quantitatem vel qualitatem, satisfacit dando quod voluerit, modo non

(1) Sporer n. 253 sqq. et 311 sqq.

tam parum vel talem rem tribuat ut potius videatur Deo illudere quam votum implere.

II. Qui vovit ieiunium per mensem, in dubio non tenetur ieiunare diebus Dominicis; nam censetur se obligasse ad modum Quadragesimae. Qui vovit ieiunium in vigilia alicuius Sancti, si haec in Dominicam incidat, potest more Ecclesiae ieiunare Sabbato. Qui vovit ieiunare singulis feriis sextis vel Sabbatis, si tali die incidat Nativitas Domini, non tenetur ieiunare nisi hoc praevidens nihilominus se obligare voluerit.

III. Qui vovit audire Sacrum per mensem, in dubio non tenetur duo audire diebus Dominicis et Festis; nam intentio censetur fuisse non transigendi diem sine Missa.

IV. Qui vovit recitare Rosarium, in dubio satisfacit tertia parte; quia sic communiter accipitur; potest etiam alternatim cum socio recitare.

V. Qui vovit aliquid pro casu quo defuerit tali obligationi, vel commiserit tale peccatum, non ligatur si impeditus fuerit ne obligationem impleret; neque, generatim, si inadvertenter quid commiserit, quia censetur se obligasse in poenam peccati. Sed alia in posteriori hypotesi est praesumptio, si votum emissum est in medium eradicandi malam consuetudinem, puta blasphemandi.

VI. Poenae autem, sive in vindictam sive in medium emendationis, in dubio obligant toties quoties si sunt ordinariae et repeti solitae; si secus, prima vice tantum.

341. In dubio: I. num votum emissum fuerit, practice resolvi potest non esse obligationem, sive dubium est positivum sive negativum, *modo* praesumptio ne stet pro emissione voti. — Huc pertinet dubium num quis voluerit se obligare an solum propositum habuerit. Quod ut resolvatur, praecipue considerandum est num verba nudum propositum an promissionem significent. Plerumque iudicari debet emissum esse verum votum, si quis existimaverit se peccaturum non implendo propositum; sed excipiendi sunt iuniores praesertim et rudiores qui non raro erronee putant se peccare non implendo quod sibi proposuerant. Advertendum etiam, verba quae per se merum propositum significarent, praesumenda esse continere promissionem si ad pacti instar adhi-

beantur; v. gr. si quis dicat: Domine si sanitatem mihi reddideris, faciam tale opus bonum.

II. In dubio de sufficiente deliberatione, et generatim de valore voti, certo resolvendum est pro eius valore *si* dubium est negativum ita ut praesumptio stet pro voto. Idem multi resolvunt non distinguendo utrum negative an positive dubitetur. Verum quod spectat dubium fundatum cum Suarez (1) « adverto, aliud esse quaerere an stante vero dubio nascatur obligatio, aliud vero esse quaerere quando sit vel non sit tale dubium. In priori quaesito semper verum est votum non obligare. Dicti ergo AA. — qui contradicere videntur — tractant secundam quaestionem ».

III. In dubio num votum impletum sit, *si* dubium est negativum ita ut praesumptio sit pro non impleto voto, urget obligatio; si est positivum, alii affirmant, alii probabiliter negant.

Quae praecedunt, nituntur doctrina de usu opinionis probabilis.

342. **Coalescunt** plures materiae voti, ita ut repetitae violationes grave vel gravius peccatum evadant, *si* promissae sunt per modum unius; *secus si* separatim.

In dubio de intentione voventis prius illud *praesumitur* in votis realibus, *nisi* tempus determinatum sit tale quod habeat vel ex mente voventis habere videatur relationem cum voto eiusve materia, v. gr. si promissa sit eleemosyna singulis Sabbatis largienda in honorem B. M. V.,; posterius praesumitur in votis personalibus.

343. I. **Votum sub conditione suspensiva** emissum, pendente conditione, inducit obligationem: 1° servandi propositum implendi votum quum conditio evenerit; consequenter — 2° non se reddendi inhabilem vel impotentem ad voti executionem; et — 3° non impediendi fraude ne impleatur conditio.

Verum hic occurrunt notanda sequentia:

---

(1) L. IV, Cap. VI, n. 10.

II. Dicta sub 2° et 3° intelliguntur solum de votis emissis sub conditione quae *non* dependeat a libera voventis voluntate: secus namque vovens licite proponit non implere vel impedit conditionem, et sic cessaret omnis obligatio. V. gr. qui vovit ingressum in Religionem sub conditione: si defunctis parentibus nondum Matrimonio ligatus erit; is *per se,* viventibus parentibus, licite Matrimonium contrahit, etiam eo fine ne postea obligetur Religionem ingredi. Dico: *per se,* quia fieri potest ut vovens intenderit se èt ad rem ipsam èt simul ad implendam vel non impediendam conditionem obligare; tunc autem conditio iam non dependeret e libera eius voluntate.

III. 1° Conditiones *per se* implendae sunt, non tantum aequivalenter, *sed* specifice; ita v. gr. votum filii familias ingrediendi Religionem *si patri placuerit,* vel si parentes pauperes *talem haereditatem* consecuti fuerint, ut votum valeat, per se non sufficit si pater nondum interrogatus moriatur, vel parentes aliunde divitias acquirant. *Aliter* tamen resolvendum, si satis constet de contraria intentione voventis, puta se obligandi modo pater ne dissentiat, vel statim ac parentes eius ope non amplius eguerint.

2° Non dicitur fraude impedire conditionem, adeoque neque peccat, qui non utitur medio doloso vel iniusto, etsi quidem efficaci; puta qui eum, a quo conditionis impletio dependet, mere rogat ne eam impleat, vel ad hoc etiam suas rationes ei exponat.

3° Qui fraude impedivit ne conditio impleretur, is peccavit, sed quoad votum res pendet a purificatione conditionis; ex probabiliore et communiore sententia non tenetur votum exequi *si conditio impleri iam non amplius possit; si secus,* debet tollere fraudem vel ab ea abstinere, et exspectare num conditio impleatur.

IV. Quoad conditiones suspensivas de re mala observa:

1° Tum solum votum est nullum, si fiat *ex affectu* ad rem malam; cfr. n. 337. 3°.

2° Votum *poenale duplici modo* emitti potest: vèl ut cadat *solum in poenam* subeundam post peccatum commissum; vèl ut cadat *prius in peccatum vitandum et dein in poenam.*

I. Votum de facto alieno obligat *voventem* ad procuran- 344.
dum factum alienum pro posse, i. e. vèl suadendo vèl imperando pro variis circumstantiis.

II. Sed *directe* nemo potest vovere factum alterius quomodocumque coniuncti.

III. Quare quum communitas, puta monasterium vel civitas vovit aliquid, vi voti et religionis solum obligantur primi ipsi voventes; *successores autem non obligantur vi voti, nisi ratificaverint;* sed solum possunt obligari vi statuti vel consuetudinis vim legis habentis, dummodo accedat expressa vel tacita approbatio Episcopi vel Praelati qui talia etiam abrogare possunt (1).

Tempus implendi votum. 345.

I. Si tempus voti exequendi est determinatum, statuto tempore implendum est sub gravi vel sub levi prout vovens ad executionem vel ad tempus implendi se obligare intendit.

II. Quodsi tempus est determinatum ratione ipsius temporis, puta ob specialem devotionem talis temporis vel diei, aliamve peculiarem cum eo connexionem, censetur determinatum *ad finiendam* obligationem: ideoque si eo tempore non impletur votum, eius obligatio prorsus *extinguitur*. *Neque,* in hac hypothesi si praevideatur impedimentum, est *obligatio praeveniendi.*

III. *Aliud* quoad utrumque — extinctionem et praeveniendi obligationem — est resolvendum, si tempus solum determinatum est ratione ipsius voti implendi; tum nim. censetur determinatum ad *non differendam* seu *ad urgendam* executionem. *Attamen* fieri etiam potest ut vovens intenderit non obligari ante illud tempus, ita ut non sit obligatio praeveniendi si impedimentum praevideatur, ita v. gr. praesumendum et resolvendum erit si praecedens tempus est minus commodum voto, ut si quis vovit ieiunare proxima feria sexta.

Nota. In dubio utro modo tempus determinatum sit, Sporer

---

(1) Suarez *de voto* L. IV, Cap. VIII, n. 12; Sanchez L. IV *mor.* Cap. XV. n. 19. Alii tamen aliter; cfr. Ball.-Palm. n. 51; ed. 3ª n. 634. Sed exposita doctrina confirmatur pluribus S. R. C. responsis; apud Gardellini Ed. III, nn. 1444, 1621, 1871, 1963, 2019, 4152; cfr. Gury-B.-P. n. 327 nota 15.

cum aliis placet regula: in votis personalibus censetur obligatio annexa diei, in realibus prorogari. Sed haec regula saepe fallit.

IV. Qui vovit aliquid facere *intra* certum et praefinitum tempus, v. gr. intra hanc hebdomadam semel ieiunare, intra singulos menses semel confiteri, is praeviso impedimento certo tenetur praevenire.

346. Si tempus non est determinatum, dilatio notabilis,

I. *Per se* et *nisi* iusta causa excuset, est peccatum.

II. Certo grave peccatum est si votum cedere debeat in obsequium Dei perpetuum, v. gr. si quis voverit ingredi Religionem; quia tum imminueretur ipsa materia promissa. Plures dicunt dilationem ad sex menses sine ulla causa esse notabilem; alii contra neque trium annorum moram dilationem mortalem censent. Placet media incedere via, nim. considerandas esse circumstantias, et maxime voventis aetatem: si enim vovens Religionem v. gr. annum aetatis agat 15^{m} vel 16^{m}, concedendum videtur trium vel quatuor annorum dilationem non esse mortalem; esse autem mortalem si vovens annum excedat 25^{m} vel 30^{m}. Praeterea speciatim quoad dictum votum Religionis inspiciendum est, quomodo soleat communiter propositum talis ingressus accipi et executioni mandari (1).

III. In votis continentibus obsequium temporale tantum, quod ex dilatione nullum patitur incommodum aliud nisi solam temporis moram, quantacumque dilatio culpabilis, secluso periculo omissionis vel impotentiae implendi, *probabiliter* nunquam excedet culpam *venialem*. Ratio est, quia in hypothesi, cum totum tandem praestetur quod promissum est, defectus non est nisi accidentalis, — Imo nihil obstat quominus vovens ita intentionem restringat ut nulla dilatione, dictis periculis seclusis, ullatenus peccet.

347. **Modus implendi** vota.

I. Vota personalia *per se*, i. e. secundum ordinariam adeoque praesumptam voventis intentionem, ab ipso solo vovente seu personaliter impleri et possunt et debent; ita ut neque satisfa-

(1) Génicot n. 321; Ball.-Palm. n. 66: ed. 3^{a} n. 646.

ciat vovens alium sibi substituendo, neque ad alium sibi impotenti substituendum teneatur. Potest tamen vovens tum facultatem *per alium satisfaciendi* sibi reservare, tum hanc obligationem *alium substituendi* in se suscipere.

II. Vota realia solvenda sunt ex proprio. Quare qui nequit ex suo, non tenetur ab alio mendicare. Quodsi possit ex suo, et tamen alius sive rogatus sive sponte pro ipso velit solvere, id valet: quia tunc quod alter dat, fit ipsius. Imo sufficere videtur etsi vovens hoc postea solum sciat et ratificet.

Excipe: si *ob peculiarem rationem* quaedam res *in individuo* est promissa.

Votorum realium obligatio — secus ac personalium — per se transit ad haeredes voventis. — *Excipe* si vovens *ab initio* se solum, non haeredes obligari intenderit.

Quam haeredum obligationem Sporer cum pluribus aliis dicit esse *non ex religione sed ex iustitia* ratione acceptae haereditatis seu, ut nonnulli diserte dicunt ex quasi-contractu cum defuncto.

Verum 1° eiusmodi contractus existentia, nisi forte de positiva defuncti voluntate haeredem obligandi constet, valde dubia videtur; 2° minus apte quoque hac ratione explicatur doctrina communis sc. testatorem non potuisse, etsi voluisset, haeredem ab hac obligatione liberare.

Quare melius puto dici cum De Lugo (1) obligationes testatoris *reales omnes,* sive iustitiae, sive fidelitatis, sive religionis indirecte afficere ipsius bona atque adeo cum eius bonis indirecte sed *eodem titulo* transire *ad haeredes quo* incumbebant *testatori.*

Quoad vota realia *primario* emissa *in utilitatem tertii* et ab eo acceptata ratione *huius* contractus obligationi religionis *accedit* alia vel fidelitatis vel iustitiae, prout ipse defunctus sese erga promissarium obligavit. — Huiusmodi votorum *ius* quod inde acquiritur *a promissario,* per se *ad huius etiam haeredes transit, nisi* contrarium ab initio intenderit promittens.

III. Quoad vota mixta generatim pro parte personali et reali respective resolvendum est ut supra.

---

(1) *De Iust,* Disp. XXIII, n. 98 sqq.

Impedita vel cessante obligatione personali *manet obligatio voti ut realis, si* vèl reale principaliter et personale accessorie tantum promissum, vèl utrumque per se et divisim promissum sit, *eaque obligatio ad haeredes transit.*

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE VOTI.

348. Votum eiusve obligatio cessare potest vèl ob causas intrinsecas seu *simplici cessatione,* vèl interveniente alterius auctoritate *per dispensationem, commutationem* et *irritationem.* — Cessare potest *ex integro* vel *ex parte,* — *in perpetuum* vel *ad tempus.*

§ 1. *De voti cessatione simplici* (1).

349. **Causae huius** sunt: 1° cessatio finis principalis seu causae finalis voti; — 2° mutatio materiae vel status voventis relate ad materiam voti; quo generatim pertinet *circumstantia superveniens.*

350. I. **Cessat** votum cessante eius causa finali, eâ sc. ob quam, primario saltem, votum est emissum, et sine quo emissum non esset; v. gr. si quis vovit se non iam ingressurum aliquam domum ob periculum speciale peccati, vel peregrinationem ad impetrandum filio sanitatem: periculo illo sublato vel filio mortuo cessat votum. — Resolutio valet etiamsi causa cesset culpâ voventis.

II. Cessat votum notabili materiae mutatione, si haec nempe *fiat* illicita, indifferens, maioris boni impeditiva, impossibilis. Item mutatione status voventis relate ad voti materiam quae nim. illa mutatione *redditur* notabilier difficilior; atque generatim superveniente circumstantia non praevisa, quae si *praevisa* fuisset, quis non vovisset. Ita communius docent AA. secundum regulam a S. Thoma traditam: «id liberat ab obligatione voti aut iuramenti, quod si initio *accidisset* aut *notum fuisset,* haec fieri impediret».

(1) Sporer n. 348 sqq.

Ratio omnium petitur ex intentione voventis quae sola est causa obligationis.

Non cessat votum ob difficultatem, etsi non praevisam, 351.
quae vèl materiam voti *suapte natura* comitatur, ita ut praevideri potuerit et debuerit, vèl oritur tantum ex mutata voventis *voluntate*. Qua ratione non cessat votum castitatis, etiam in saeculo emissum, ob tentationes vel difficultates non praevisas.

Neque cessant vota quibus assumitur vitae status naturà suà firmus; qualia sunt vota emissa in professione religiosa — tum substantialia tum ea quae iis annectuntur — et in susceptione Ordinis Sacri: quae ratione boni communis, quacumque circumstantia superveniente, nunquam cessant.

III. Quum materia voti fit ex parte impossibilis vel 352.
inepta ad obligationem voti,

1° Manet obligatio quoad partem possibilem et aptam, si materia *et* naturà suâ — ut ponitur — *et etiam* ex intentione voventis divisibilis est seu divisim promissa.

2° Cessat vero omnis obligatio, si materia est *vel* naturà suâ indivisibilis — ita ut aliqua eius pars, etsi forte possibilis, saltem tamen inutiliter poneretur — *vel* ex intentione voventis est copulatim seu per modum unius promissa; de qua intentione in dubio iudicandum est secundum aestimationem communem et casus circumstantias.

Caeterum, attento num in materia voti sit aliud principale, aliud accessorium, applicandae sunt regulae iuris: « accessorium sequitur principale », non contra; et « ruente principali ruit et accessorium », non vice versa.

Nota. Si materia voti *ab initio* fuit ex parte inepta, partim validum est vel omnino invalidum votum secundum eamdem distinctionem.

IV. Voti disiunctivi si una pars fiat impossibilis 353.
vel inepta, idque

1. *Ante electionem,* vovens *per se* ad nihil tenetur. Ratio: quia per se haec circumstantia, quod vovens iam non potest eligere, neque praevisa neque comprehensa est in voto.

Excipe 1° si *ipse vovens* fuerit *culpabilis causa* huius impossibilitatis vel mutationis, vel in mora culpabili eligendi et vo-

tum exequendi; 2° si ab initio certo intenderit se ad alterutram partem obligare *quidquid evenerit.*

2. *Si post electionem pars non electa* fiat inepta, S. Alph. (1) resolvit partem electam nihilominus praestandam esse. Equidem puto *distingui* posse: sc. vèl a) electio facta est per *merum propositum,* ex quo sicut non oritur nova obligatio, ita neque obligatio iam contracta mutatur, et consequenter vovens in casu per se non videtur adstrictus, sicut ad 1^m^ dictum est; vèl b) facta est per modum *novi voti,* nim. confirmativi simul et determinativi prioris.

Praeterea sive uno sive altero modo electio facta est, quandoque vovens deobligabitur ratione circumstantiae supervenientis non praevisae, secundum supradicta.

3. *Si pars electa* sed nondum impleta fiat impossibilis vel inepta, vovens est per se deobligatus, ut dictum est ad 1^m^.

354. Num partem iam electam vovens cum altera commutare possit, controvertitur. Plures *probabiliter affirmant,* quia non obstante electione facta votum manet disiunctivum, nec per factam electionem per se, nisi nempe contrarium intenderit, vovens se privavit libertate etiamnum alteram partem eligendi.

355. Nota. 1° Non est confundendum votum disiunctivum cum conditionato; hoc enim iisdem verbis, nempe disiunctivis, emitti potest ac illud. Differentia est haec: in voto disiunctivo voluntas in neutram partem fertur determinate, sed aeque in utramque, sibi nempe reservando facultatem pro libitu inter utramque eligendi; in conditionato vero voluntas cadit in unam partem determinate, sed sub conditione alterius partis. Inspicienda itaque est voventis intentio.

2° Quoad omnia praedicta considerandum tandem est, num impedimentum vel mutatio materiae vel circumstantia sint perpetua an temporanea tantum. Si enim *prius, extinguitur* omnino et tollitur obligatio; si *posterius, suspenditur* solum obligatio et cessat pro eo tempore, quo illa durant: quibus cessantibus reviviscit obligatio.

---

(1) N. 224.

§ II. *De voti dispensatione* (1).

I. Dispensatio voti est eius absoluta remissio facta auctoritate ecclesiastica — nomine Dei ex iuxta causa: quae adduntur quia quoad vota Ecclesia non dispensat in iure proprio sed Dei, et hac ratione, ut dispensatio *valeat* semper requiritur iusta causa. 356.

II. Causae dispensandi censentur: 1° bonum Ecclesiae, reipublicae, familiae, vel maior profectus ipsius voventis; 2° notabilis difficultas in voti observatione, etsi praevisa, necnon periculum illud transgrediendi; 3° imperfecta deliberatio et libertas in voti nuncupatione, facta v. gr. cum nimia facilitate, ex tristitia vel ira, ex metu intrinseco vel extrinseco, vel tempore impubertatis.

Nota. Ubi causa non sufficit ad integram dispensationem, partim in voto dispensari, partim commutari illud potest.

III. Potestas dispensandi *iure ordinario* est penes solos Praelatos qui gaudent iurisdictione *spirituali* in foro *externo*. — Confessarii Ordinum mendicantium ex eorum privilegiis *iure delegato* dispensant in votis — et iuramentis — sicut Episcopi iure ordinario, non delegato, dispensant: adeoque exceptis votis reservatis.

Nota. Habens facultatem dispensandi vel commutandi eà uti etiam potest pro seipso; ex communi sententia.

I. Vota reservata Summo Pontifici sunt, praeter vota professionis tum solemnia tum, ex iure hodierno, simplicia emissa *in Congregatione a Romano Pontifice approbata*, haec quinque; votum ingrediendae Religionis a Sede Apostolica *approbatae;* votum *integrae* et *perpetuae* castitatis; vota peregrinationis Hierosolymitanae *ad S. Sepulchrum*, Romanae *ad limina Apostolorum* Petri et Pauli, et Compostellanae *ad S. Iacobum*. De quibus omnibus sit 357.

II. Resolutio et regula generalis: reservatio dicto-

(1) Sporer n. 383 sqq.

rom votorum, cum odiosa sit, omnino stricte est interpretanda, ut solummodo comprehendat ea vota si sint:

1° Vota proprie dicta: Deo facta.

2° Absoluta — non conditionata; neque post impletam conditionem, quod est commune quoad vota poenalia, probabile secundum plures etiam quoad alia. Hoc tamen intellige tantum de conditione *libere* a vovente, non naturâ vel iure positivo voto annexa.

3° Determinata — non disiunctiva unius materiae reservatae, alterius non reservatae, probabiliter neque post factam electionem, nisi quis novo voto ad materiam reservatam se obligaverit.

4° Deliberata — plene, non emissa v. gr. ex metu, etiam levi.

5° Perfecta — ratione materiae et obligationis; non vota emissa sub obligatione levi; non votum castitatis coniugalis, vel virginitatis stricte dictae, vel non nubendi; neque votum emittendi unum ex votis reservatis, vel votum suscipiendi Ordines Sacros.

6° Et solum quoad eorum substantiam — non quoad circumstantias, v. gr. quoad modum peregrinationis faciendae, quoad tempus Religionis ingrediendae, vel quoad circumstantiam Religionis strictioris respectu sive saecularium sive iam religiosorum.

III. Praeterea Episcopi et episcopalem iurisdictionem habentes, ex communi sententia, possunt in votis reservatis dispensare in casu urgentis necessitatis, nim. si non sit facilis accessus ad S. Pontificem, et in mora periculum sit gravis damni spiritualis vel temporalis proprii vel alieni. Sed

Num etiam Confessarii Ordinum mendicantium, *controvertitur*. Communius negant, itàque Sporer absolute docet. Non ita pauci tamen probabiliter affirmant. Resolutio pendet ex eo num in hypothesi Episcopus dicendus sit dispensare potestate *mere delegata* an potius iure *saltem quasi-ordinario,* Officio sc. annexo.

358. De voto castitatis a coniugatis stante Matrimonio emisso observandum est: — 1° illud, ex dictis n. pr., *non est reservatum, nisi* compars tempore, quo votum est nuncupatum, vèl amiserat in perpetuum ius petendi, vèl hoc iure cessit; — 2° in hoc voto, *si est reservatum,* vel etiam *ante* Matrimonium emissum, tamen *in ordine ad petendum debitum dispensare possunt* Epi-

scopi et Confessarii Regulares mendicantes; cfr. dicenda de Debito coniugali.

Votum in utilitatem proximi emissum dispensatione tolli 359.

I. Potest 1° si *nondum acceptata* est promissio; 2° etsi acceptata, si fuit *gratuita et primario in honorem Dei* votum emissum.

II. Non potest 1° si promissio proximo facta fuit *onerosa*, vel 2° etiam *gratuita sed iam acceptata et primario in utilitatem promissarii* votum emissum.

§ III. *De voti commutatione* (1).

Commutatio voti est substitutio alterius materiae in locum promissae sub eadem voti obligatione. 360.

I. In bonum minus commutatio fieri non potest nisi auctoritate ecclesiastica.

II. In bonum certo melius ex communiori sententia fieri potest ab ipso vovente; sed excipiunt vota reservata nisi commutatio fiat in statum religiosum.

III. In bonum certo aequale plures negant ab ipso vovente fieri posse; quia non potest aliud pro alio solvi nisi constet de creditoris consensu; sed Deo gratius censetur opus promissum quam non promissum. Plures alii tamen affirmant vel saltem probabile hoc habent; quia cum in opus substitutum transferatur voti obligatio, hoc satis praesumi potest aeque Deo gratum ac ipsum opus promissum.

I. Facultatem commutandi habent, praeter ad hoc solum delegatos, omnes qui possunt dispensare sive iure proprio sive delegato: ex regula iuris « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus » in eodem genere. 361.

II. Qui *solum* commutandi habet potestatem, debet tantum commutare votum in aequale; quia si in minus mutaret, ex parte dispensaret. Aequalitas tamen non est mathematice sed large aesti-

(1) Sporer n. 426. sqq.

manda; secus enim innumeris difficultatibus ac scrupulis obnoxia et pene impossibilis res foret.

III. Quorum dispensatio votorum, eorumdem commutatio quoque est S. Pontifici reservata: cfr. n. 357.

362. Ut licite fiat commutatio in aequale vel minus, *requiritur aliqua causa,* minor tamen quam ad dispensationem. — Ut fiat in aequale vel *paulo* minus, sufficit maior in illud propensio.

Commutationem in minus *sine iusta causa* factam alii dicunt esse invalidam, alii validam sed supplendum esse defectum.

Necessse non est ut vota personalia in personalia, realia in realia commutentur. Quin etiam perpetua in temporanea mutari possunt, dummodo debita proportio servetur. Praecipue attendatur quid magis conducat ad salutem voventis. Plerumque securior commutatio erit frequentia Sacramentorum.

363. Commutatione facta auctoritate ecclesiastica vovens *non tenetur* ad primum opus redire, etsi secundum evaserit impossibile; quia prior obligatio sublata est. — Secus est si vovens sibi ipsi votum mutavit.

Caeterum voventi *liberum est* ad primam materiam redire, idque probabilius etsi commutatio facta sit in melius; quia commutatio fit in favorem voventis. — Excipe, si ad bonum melius vovens novo voto se obligavit.

Commutato voto reservato, ex communiori et probabiliori sententia, materia subrogata non est ideo reservata; quia reservatio non afficit nisi materias determinatas.

§ IV. — *De irritatione voti* (1).

364. **I. Irritatio** voti est eius annullatio vel suspensio facta ab eo qui habet potestatem in voventem vel in materiam voti. Est itaque duplex: 1° *annullatio* voti quae est irritatio directa et proprie dicta, et requirit potestatem *dominativam in ipsam personam* seu voluntatem voventis; et 2° *suspensio* voti seu irritatio indirecta, quae solam *quasi-dominativam* potestatem, sc. *in materiam* voti requirit.

(1) Sporer n. 355 sqq.

Directa prorsus tollit votum ita ut non reviviscat; — voti *indirecte* irritati obligatio *per se* reviviscit cessante potestate irritantis; dicitur *per se:* nisi nempe obstet voventis intentio vel alia cessationis causa intercedat.

II. Habens potestatem dominativam irritare adhuc potest votum iam ab ipso *approbatum,* quia haec potestas a munere superioris non potest separari adeoque neque abdicari. Secus est de habente solam quasi-dominativam potestatem: quod intellige de approbatione quae tacitam saltem contineat renuntiationem illius iuris cui votum praeiudicat.

III. Irritatio voti sine ulla causa facta certo valida est; *neque mortale* peccatum ex communi sententia; num per se *veniale, controvertitur:* probabiliter negatur quia irritans utitur iure suo; quamquam practice difficulter omne peccatum aberit aliam quampiam ob causam.

I. Potestate iurisdictionis spiritualis effici quidem potest ut subditorum vota *ante factum* seu ab initio irritentur, eos nim. in datis casibus vel circumstantiis inhabiles reddendo ad vovendum; non vero ut vota iam valide emissa irritentur. **365.**

II. Quod dominativa potestas se extendit et quousque ad irritanda vota subditorum, hoc dicendum videtur fundatum in iure naturali; declaratum solum et determinatum iure ecclesiastico.

Regulae et resolutiones *de potestate dominativa.* **366.**

I. Qui habet potestatem dominativam in alterum, *omnia* eius vota, *etiam* quoad dispensationem *reservata, irritare* potest.

Eorum tamen omnium qui huiusmodi potestati subsunt, *vota valida* sunt *nisi* vel *donec* superior contradixerit. Ita hodie communiter docent contra communiorem antiquorum.

II. Si potestas superioris, puta patris, cuius tempore votum emissum est, non est *omnino* extincta vel suspensa, potest irritare votum subiectionis tempore emissum, etsi hoc iam transierit; dummodo eo transacto non sit denuo cum scientia infirmitatis voti confirmatum. Secus est, si superioris, puta Regularium, potestas est omnino extincta vel suspensa, vel vovens iam nequaquam ei subest.

III. 1. Superior Religiosorum omnium subditorum, etiam *simpliciter* tantum, *professorum* vota, etiam sub praecedentibus superioribus emissa, irritare potest. Sed *excipiuntur* vota Religionis

substantialia vel iis annexa, necnon (1) votum transeundi ad Religionem strictiorem. — Idem est de Superiorissa respectu monialium.

Novitiorum vero vota *non* potest Superior *directe* irritare, nisi per accidens secundum resolutionem sequentem.

2. Pater — vel qui, sive ex iure sive ex ipsius patris voluntate eius locum supplet, uti tutor, magister, herus — irritare potest omnia vota filiorum *impuberum,* vel ab iis tempore impubertatis emissa, modo ea filii puberes non ratificaverint novo voto independente a priore. — Eadem potestas secundum multos probabiliter competit *matri,* idque etiam praesente patre, modo tamen hic irritationi ne contradicat.

3. Maritus secundum plures irritare potest vota uxoris omnia tempore Matrimonii emissa, etiam soluto Matrimonio exequenda. Hoc, contra communem vel certe communiorem antiquorum, Sporer dicit non improbabile, S. Alphonsus probabilius saltem extrinsece.

367. De potestate quasi-dominativa. I. Qui habet tantum quasi-dominativam potestatem, indirecte irritare potest omnia et sola vota *quae et in quantum praeiudicant* ipsius potestati seu iuri. Itaque

II. 1. Summus Pontifex vota omnium fidelium, Episcopus dioecesanorum.

2. Superior Regularis vota novitiorum quae impediunt novitiatus exercitia, Regulae et disciplinae observantiam.

3. Pater — vel qui eius loco vel nomine bona filiorum administrat — vota *realia* filiorum puberum, *quamdiu* filii non habent bonorum suorum administrationem; et etiam *personalia* sed solum *in quantum* haec praeiudicant domesticae gubernationi. — Idem probabiliter potest *mater* quoad eorumdem vota personalia, non vero quoad realia nisi ipsa sit tutrix vel curatrix.

4. Herus vota famulorum quae obsequium debitum impediunt.

5. Maritus vota uxoris, etiam ante Matrimonium emissa, si iuri coniugali, filiorum educationi vel domus gubernationi obstent; et uxor vota mariti suis iuribus praeiudicantia. Sed hic quaeritur:

---

(1) Attende ad potestatem *dispensandi,* si de Regularibus exemptis agatur.

Quid si coniuges mutuo consensu voverint castitatem, idque ita ut tacite saltem uterque iure suo cesserit: num poterunt adhuc mutuo sibi irritare vota? 368.

Resp. cum Ballerini (1): « Ex praeiactis principiis; nempe 1° de potestate viri directe irritandi vota uxoris, 2° de potestate uxoris indirecte irritandi vota mariti, 3° de potestate irritandi vota etiam a se approbata: facile concluditur [hoc] posse coniuges. — Nam 1° nihil vetat quominus uxor petat a viro irritationem voti a se emissi, idque vir praestet; 2° nihil item prohibet, quominus uxor voto soluta indirecte votum mariti irritet; 3° nihil demum impedit, quominus ambo voto soluti ius in alterius corpus, cui cesserant invicem ex pacto, rursus invicem sibi restituant [a]. Et hinc patet cur S. Alph. (2) dixerit se certam rationem non invenisse cur hanc sententiam damnet, licet oppositae ceu communiori adhaeserit. Verum quum plerique ex hisce Auctoribus in illam opinionem venerint ducti principiis quae ne S. Alph. quidem admittit, patet externam hanc auctoritatem obstare non posse quominus praemissam sententiam quis tuto sequatur ».

CAPUT ALTERUM.

DE IURAMENTO.

ARTICULUS I.

NOTIO ET DIVISIO IURAMENTI (3).

I. Iuramentum est invocatio Dei in testem alicuius rei. — Tria itaque essentialiter requirit: ut sit 1° *invocatio* — non mera assertio — 2° *testimonii* — non solius scientiae vel praesentiae — 3° *Dei veri* ut qui solus neque falli neque fallere 369.

(1) Ad Gury n. 331, Qu. 4°. — Sporer, cum communi ut ait, negat.

(2) N. 239.

(3) Sporer n. 7 sqq.

[a] Mens est ut *remotis ligaminibus, voti* per irritationem et *contractus* per mutuam retractationem, ipso facto reviviscat ius expeditum mutuum in corpus; hoc enim ius non erat exstinctum, nec poterat exstingui stante matrimonii vinculo; sed erat mere ligatum.

possit. Invocatur autem Deus, non ac si tentaretur ad testandum actu, sed ut testetur tempore et modo quibus Ipsi placuerit.

II. Quum huiusmodi invocatio necessario sit actus humanus, patet ad verum iuramentum *requiri intentionem,* virtualem saltem, iurandi seu invocandi testimonium divinum, et *supponi* in iurante aliquam *notitiam* iuramenti.

Porro communiter dicunt pro foro conscientiae sufficere hanc intentionem, nec requiri ullum verbum vel signum quo illa intentio manifestetur: ita ut haberi possit iuramentum pure mentale.

Nihilominus cum Suarez (1) potius contrarium dicendum videtur. Si enim non cum homine sed pro solo foro conscientiae res agatur, 1° nulla videtur esse ratio mere *fidem faciendi* per iuramentum; 2° quodsi autem *obligatio* contrahenda vel Religione confirmanda intendatur, potius votum videtur, saltem non apparet qua ratione a voto differat (2).

III. Fieri potest iuramentum non tantum *verbis,* sed etiam *nutu* ut si tibi dicatur: Iurasne per Deum? et tu capite aliove modo annuas; vel *facto* ut si tibi offeratur iuramentum per crucem, per librum Evangeliorum, et tu illa tangas; idemque evenit si subscribas scripturae iuramenti formam continenti.

IV. Formulae ad instar iuramenti adhiberi solitae *distingui* possunt: 1° aliae per se et *certo iuratoriae,* ut « Deus mihi testis esto » vel « sit » — « Deum attestor » vel « testem invoco ». — « Iuro per Deum » vel « per Evangelium »; 2° aliae *nequaquam iuratoriae,* ut « iuro per hanc herbam » — « in veritate » — « per honorem meum »; 3° aliae *ambiguae,* ut « Deus mihi testis est » — « coram Deo loquor » — « per iuramentum meum » — vel solum verbum: « iuro »; pro quibus circumstantiae in quibus, et maxime intentio, qua proferuntur, est inspicienda.

In praxi ideo praecipue attendendum est quaenam formulae, sive vi verborum sive ex aestimatione communi, habeantur vera iuramenta, quia iis adhibitis *praesumendum* saltem est vere iuratum esse, atque adeo 1° forte *peieratum* esse; 2° si agatur de

(1) Tr. V, L. I, C. XIII, n. 15.
(2) Cfr. D'Annib. II, n. 24; Génicot n. 300, 2°.

iuramento promissorio, *orta* praesumitur *obligatio religionis;* et 3° qui talibus formulis uti *consuevit sine debitis conditionibus,* sive cum, sive sine advertentia, huic consuetudini deponendae studere debet, sicut blasphemus consuetudinarius.

Dividitur iuramentum I. in contestatorium quo solum 370.
testimonium, et execratorium seu imprecativum quo insuper *vindicta* divina in poenam periurii, si committatur, diserte invocatur. — Ad hoc posterius requiritur ut quis sibi vel aliis specialiter ad ipsum pertinentibus vel dilectis imprecetur malum a Deo, tamquam veritatis teste et vindice falsitatis, inferendum vel permittendum. Probabilius tamen non accedit speciale peccatum contra charitatem si falso sic iuratur; quum nemo ex animo sibi vel dilectis malum optet.

II. In explicitum et implicitum prout Deus expresse et directe in testem invocatur, vel indirecte per creaturas in quibus attributa divina specialiter relucent, ut per coelum, Ecclesiam, Crucem, Sacramenta, Sanctos, animam.

III. In solemne et simplex prout in forma iure praescripta et caeremoniis solemnibus emittitur, vel privatim et sine caeremoniis.

IV. In iudiciale et extra-iudiciale.

V. Praecipue ratione materiae in assertorium et promissorium.

I. **Assertorii** iuramenti obiectum seu materia est *assertio* 371.
— affirmatio vel negatio — de re praeterita vel praesenti, *eiusque veritas.* Quoad actiones fit vel de *veritate* vel de *notitia;* et respicere potest etiam actiones futuras, easque vel alienas sed quoad probabilem notitiam tantum, vel proprias quoad propositum praesens. Quo ultimo sub respectu omne iuramentum promissorium includit assertorium, nim. de praesenti voluntate aliquid faciendi in futurum.

Ut distinctum a promissorio definiri potest: *invocatio Dei ad faciendam fidem de veritate sui dicti.*

II. **Promissorii** iuramenti obiectum est *actio propria futura* ut talis, seu eius *futura positio.*

Ut distinctum ab assertorio definiri potest: *invocatio Dei ad faciendam fidem de actione propria futura.*

Per illud invocatur *Deus simul* ut *testis veritatis praesentis*, atque ut *patronus veritatis futurae*, i. e. constantiae vel fidelitatis.

Duplex est: unum sine promissione et dicitur *per se stans, absolutum, nudum, simplex;* alterum cum promissione et dicitur *promissorium stricte* seu *confirmatorium* nim. promissionis factae vèl Deo et est *votum iuratum*, vèl homini et est *pactum iuratum*, vèl Deo simul et homini et est *votum cum pacto iuratum*.

Promissio hic sumitur pro cuiusvis generis obligatione.

III. Discrimina inter iuramenta *cum* et *sine* promissione:

1° *Materia* iuramenti per se stantis est *futura actio* vèl aliunde *non debita* vèl *abstractione facta ab obligatione* si qua forte existat; contra materia iuramenti stricte promissorii est *futura impletio promissionis* vel cuiusvis obligationis aut praevie existentis aut simul cum iuramento susceptae. Unde

2° *Obligatio religionis* e priori oritur *absolute*, ex posteriori vero *dependenter* a promissione vel alia obligatione quacum stat vel cadit sicut accessorium cum suo principali. Proinde axioma: *iuramentum sequitur naturam actus*, intelligendum *solum* est de iuramento *stricte* promissorio. Hinc etiam

3° *Ad valorem* iuramenti confirmatorii *requiritur vèl obligatio* praeexistens *vèl intentio* actu promittendi seu se obligandi ex fidelitate vel iustitia sive erga Deum sive erga hominem; non vero requiritur ad valorem iuramenti per se stantis. Sed hic

IV. Quaer. nonne ad *omne* iuramentum de futuro, ut valeat, requiritur *saltem intentio se obligandi ex religione?*

Resp. *Stricte et speculative* loquendo *negandum* videtur. Ratio: requireretur tantum si haec intentio pertineret ad *substantiam* iuramenti de futuro; atqui non pertinet; nam substantia iuramenti secundum omnes ex parte voluntatis nihil postulat praeter *intentionem invocandi testimonium divinum;* n. 369, II. Sed ex hoc testimonio serio invocato *oritur* obligatio religionis *ut effectus necesiarius* ex sua causa. Aliud est de voto et de quacumque promissione vel contractu, cuius substantia est ipsa voluntas

sese obligandi. Neque ergo stat in contrarium allata paritas cum Matrimonio. — Quod itaque Sporer et alii communiter, contra nonnullos, affirmant, hoc sensu intelligendum puto eum qui *positive* omnem obligationem contrahendam *excludit, practice praesumendum* esse vel prorsus *ficte* iurare, vel *solum de praesenti* proposito fidem facere velle (1).

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS AD LICITUM IURAMENTUM (2).

Quae sunt: veritas, iudicium et iustitia (3).

I. **Veritas** intelligitur subiectiva seu sufficiens certitudo, 372.
nim. moralis, eaque 1° *stricte dicta* in iudicio, 2° extra illud *late dicta* seu solida et unica probabilitas.

Cum aequivocatione et restrictione late mentali iurare generatim licitum est ex qualibet rationabili causa; sine ulla causa veniale foret. — Sed 1° *in iudicio* quum iudex *legitime* interrogat, sub gravi iurandum est secundum mentem petentis; 2° *in contractibus* sub gravi abstinendum est ab iniusta fraude et dolo.

II. **Iudicium** requiritur discretionis seu prudentiae: consideratio et reverentia, maxime ut non iuretur sine necessitate vel rationabili saltem causa.

III. **Iustitia** requiritur *in materia* iuramenti, nim. in iuramento assertorio ut assertio sit licita — num ipsa res asserta sit honesta, per se non refert — in iuramento promissorio ut sit de actione quae licite poni adeoque etiam proponi vel promitti possit.

Lato sensu omne iuramentum illicitum dicitur **periurium**; 373.
stricte tale est solum iuramentum assertorium falsum, quo nim. iuratur *falsum cognitum:* quod etiam dicitur *perversum.* — Quodsi res *positive dubia* et incerta iuranti iu-

(1) Cfr. Suarez Lib. II, Cap. VII, et supra II, alinea *Per illud.*
(2) Sporer n. 90 sqq.
(3) Ierem. IV. 2.

ratur simpliciter ut vera — secus, si tamquam probabilis — dicitur periurium *temerarium;* — *incautum* vero si iuratur non quidem cum positivo dubio, sed *sine consideratione debita* ad *veritatem* assertionis *adeoque cum periculo* falsum iurandi.

374. **Resolves quoad speciem** malitiae: omnia iuramenta illicita, ut talia i. e. ut adversantur reverentiae divino Nomini invocato debitae, sunt eiusdem speciei.

Quoad gravitatem attendendum ad conditiones.

I. Defectus veritatis (cfr. n. 372, et n. 373) efficit, ut — 1° periurium *perversum* sit mortale ex genere suo toto; cum verum vel falsum non admittat materiae parvitatem. — 2° Atque ob eamdem rationem periurium etiam *temerarium,* etsi minus grave quam perversum, semper mortale est. — 3° Sed *incautum* est peccaminosum pro rata negligentiae seu periculi.

II. Defectus iudicii in iurando *per se,* ex communi sententia, non est nisi veniale.

Adesset tamen *ex alio capite* peccatum *mortale* ratione periculi *in consuetudine imprudenter iurandi,* nim. sine debita advertentia ad veritatem vel iustitiam (v. I. et III) rei iuratae, vel cum periculo non implendi iuramenta promissoria.

III. Defectus iustitiae est peccatum grave ex genere suo; sc.

1. *Mortaliter* peccat qui iuramento assertorio confirmat assertionem *graviter* peccaminosam, puta multum iniuriosam vel scandalosam; *si* nempe iuramentum *effectum* huiusmodi *pravum promoveat* — secus, probabiliter negant.

2. *Idem* a fortiori dicendum de eo qui iuramento, sive assertorio, etsi de se licito, sive promissorio, ex proposito utitur *ut medio ad grave peccatum;* si ad leve, probabiliter est veniale tantum.

3. Pariter *graviter* peccaminosum est iuramentum *promissorium de re graviter mala;* venialiter, ex communi, si est de re venialiter mala vel vana. – Quare *maius* peccatum est iurare rem venialiter malam sine animo implendi — quod foret periurium

— quam cum animo implendi; contra, *minus* peccatum est iurare rem mortaliter malam sine animo implendi quam cum eo animo.

ARTICULUS III.

DE IURAMENTO PROMISSORIO EIUSQUE OBLIGATIONE SPECIATIM (1).

Iuramentum de futuro (v. n. 371, II) ut qua tale valeat et obligationem ex religione inducat, oportet ut sit de re moraliter bona, non mala neque indifferente; quia Religio, in specie auctoritas divini Nominis non potest esse vinculum iniquitatis vel rei otiosae. Ita omnes. — Materia itaque huiusmodi iuramenti debet cedere vèl in honorem Dei seu esse de bono meliori ut de voto dictum est, vèl in utilitatem proximi, quod posterius sufficit *si* quidem *primario* in utilitatem proximi sit iuratum. 375.

Quid *praetereea* iuramentum *stricte* promissorium requirat, dictum est n. 371, III.

I. Iuramentum de futuro validum *certo* graviter obligat in re gravi; ita tamen ut èt infidelitas vel inconstantia *in parte levi* sit *veniale* tantum, ex communi; èt iuramentum *de re levi* non inducat nisi levem obligationem, ex communiori et probabiliori. Ratio: quia in iuramento promissorio *qua tali* Deus non inducitur ut testis veritatis, sed ut patronus fidelitatis vel constantiae, haec vero, secus ac veritas, admittunt parvitatem materiae. 376.

II. Omne iuramentum de futuro quoad rem ad quam et casus vel circumstantias in quibus obliget, sequitur intentionem iurantis; iuramentum confirmatorium sequitur insuper naturam actus, cui adiicitur; n. 369, II; 371, III.

Resolves I. 1. Error et dolus irritant iuramentum de futuro vel illud validum relinquunt, sicut votum; n. 335, II. 377.

2. Pariter cessat iuramenti sicut voti obligatio ob causas intrinsecas secundum dicta n. 349 sqq.

---

(1) Sporer n. 23 sqq.

3. Iuramentum *in confirmationem contractus* emissum extinguitur ex causis, quibus extinguitur ipse contractus.

378. II. Iuramentum iniuriâ vel metu iniusto extortum

1. Communius docent, antea communiter, valere et obligare, 1° quia ex regula iuris quodlibet iuramentum in utilitatem proximi praestitum, servandum est quum impleri potest sine peccato; 2° quia cavere debemus ne in testem mendacii adducatur Deus; 3° quia bonum et honestum est servare promissum (1). — Concedunt tamen metum passum relaxationem petere posse; vel si iam solverit, posse solutum in iudicio repetere vel occulte se compensare.

2. Alii negant, vèl absolute vèl ut probabile (2), huiusmodi iuramentum valere quantum est de futuro.

Ad rationes allatas 1^m^ *et* 3^m^ respondent, eas *supponere valorem* promissionis vel certe iuramenti, qui valor ipse est probandus; *ad* 2^m^, eam huc non facere; quia non agitur de vitando peccato mendacii in iurando, sed *infidelitatis in implendo* iuramento: quod *iterum supponit validum* iuramentum de futuro.

Dein *probatur directe:* nam *omne* iuramentum de futuro requirit *materiam moraliter bonam:* n. 375; sed iuramenta v. gr. dandi pecuniam latroni, vel solvendi usuras usurario — quae sunt consueta exempla — sunt de re, si minus mala, saltem indifferenti, vana, inutili. Etenim non potest cedere in utilitatem tertii, qui in casu non potest licite, imo nec valide per se pecuniam accipere; quinimo iurans, si dederit, potest secundum ipsos adversarios statim licite repetere vel etiam occulte se compensare. Ex quibus ipsis patet neque talem materiam cedere in honorem Dei, nisi iterum per petitionem principii iuramentum supponitur validum. — Praeterea si iuramentum in casu supponitur *confirmatorium, ipsa promissio* ex communi *est invalida vel saltem ad nutum promittentis rescindibilis;* atqui . . . ergo.

379. III. 1. Promissio prodiga iurata non obligat, nisi quoad partem non prodigam si res promissa est divisibilis et divisim promissa.

---

(1) Cfr. S. Alph. n. 174.

(2) Sporer dicit non improbabile.

2. Iurata promissio Matrimonii certae personae facta obligat, sed non impedit ingressum in Religionem vel generatim electionem status melioris secundum dicenda in Tr. de Matrimonio.

3. Non peccat qui secretum iuratum detegit quum ipsa lex secreti obligare cessat.

4. Iuramentum praestitum de materia Iuris, interpretandum est secundum limites Iuris; v. gr. si clericus absolute iuret residentiam, potest tamen non residere in casibus a Iure concessis. Qui iurat servare statuta collegii, potest non servare ea quae legitima desuetudine abrogata sunt; atque transgrediendo ea quae sub *poena tantum* obligant *nullius culpae* reus erit, dummodo poenam subire paratus sit si exigatur.

5. Iuramenta parentum etc. puniendi filios etc. *saepissime* non sunt valida vel non obligant, quia plerumque sunt de re *inutili* vel imo de vindicta *inordinata,* vel delinquentes *iam emendati* sunt vel emendationem promiserunt.

6. Iuramenta urbanitatis gratiâ facta se non praecessurum in sedendo, egrediendo vel ingrediendo plerumque non obligant; quia, si serio facta, tacitam tamen includunt conditionem: quantum ad me attinet non praecedam, vel ab altero remitti praesumenda sunt.

7. Iuramenta mercatorum non vendendi minoris vel non emendi pluris, ordinarie non valent neque obligant quia, *si seria* ponantur, *plerumque* tamen sunt de re *inutili.* — Idem dum assertorie iurant, tanti vel pluris sibi mercem constare, saepe non peierant, cum possit habere verum sensum, nim. aestimatis simul pretio soluto, labore, cura, periculo, expensis etc.

ARTICULUS IV.

DE IURAMENTO FICTO.

380. I. **Omne iuramentum** hoc sensu **fictum** quod deest omnis animus *iurandi,* est invalidum; n. 369; et semper illicitum ut constat ex propositione damnata (1).

(1) Ab Innoc. XI, 25ª. *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis:* Denz. n. 1042.

1. *Per se* autem hoc veniale non excedit, ex communissima sententia, quia non est nisi vana divini Nominis usurpatio.

2. Mortale tamen est 1° iuramentum *assertorium* hoc sensu fictum *de re falsa* — saltem si, ut ponitur, coram aliis fiat: n. 369 II — *propter externam speciem periurii;* adeoque etiam iuramentum promissorium deficiente animo implendi. Cfr. 371, I et infra II.

2° *Omne* iuramentum fictum *ratione gravis damni, si* hoc aliis infertur vel inferri probabiliter potest; magis etiam si hoc inferri aliave proximo nociva deceptio intenditur; cfr. n. 374, III.

Propter easdem rationes ex iuramento *promissorio* hoc sensu ficto oriri potest gravis obligatio illud implendi sive ex iustitia, sive ex charitate — ad vitandum scandalum — sive ex religione.

Ficte iurans per se graviter peccaret, quoties sub mortali ad vere iurandum tenetur, puta in iudicio vel contractibus. At quia plerumque fictio est mere interna, iuramento autem externe serio aeque satisfit petenti, ordinarie hac sola ratione quod deest animus iurandi graviter non peccatur.

II. Iuramentum promissorium cui solum deest animus *implendi* est verum iuramentum atque obligat; sed est proprie dictum periurium. Si fiat cum positivo dubio de sinceritate praesentis propositi, vel sine debita consideratione, resolvendum est ut n. 374, I.

III. Iuramentum promissorium cui tantum deest intentio *se obligandi,* plures peccatum *mortale* habent, praesertim quia gravis videtur irreverentia adducere Deum in testem et nolle eius testimonio obstringi. Alii tamen *probabiliter negant.*

De eius valore et obligatione cfr. n. 371, III et IV.

ARTICULUS V.

DE IURAMENTI PROMISSORII EXTINCTIONE.

De *causis intrinsecis* dictum est n. 377, I, 2 et 3; et cfr. n. 349 sqq. — De *causis extrinsecis* pariter dicendum est ac de voto.

381. I. Qui sive directe sive indirecte possunt irritare vota, idem possunt quoad iuramenta promissoria.

II. Qui possunt dispensare vel commutare vota, idem possunt quoad iuramenta promissoria. Ita omnes docent de habentibus potestatem ordinariam. Item de delegatis quoad vota iurata; et communiter etiam quoad iuramenta per se stantia cum vel sine voto emisso; sunt tamen qui cum S. Alph. probabiliter negandum censent; Sporer cum aliis probabilius excipienda putat iuramenta primario in utilitatem tertii praestita etsi nondum acceptata — si acceptata non est dubium; n. 359 — ratio semper est similitudo et aequiparatio iuramenti cum voto admissa vel non admissa.

III. Num iuramenta sint S. Pontifici reservata in iisdem materiis et casibus quibus vota, *controvertitur* utrimque probabiliter. Ratio negandi: quia reservatio, ut odiosa, est stricte interpretanda; accedit vinculum iuramenti esse minus forte quam voti.

APPENDIX DE ADIURATIONE (1).

I. Adiuratio est invocatio Dei ad aliquem adducendum ad 382.
aliquid. Fieri potest etiam implicite seu indirecte per creaturas ut iuramentum. — Easdem quoque ac iuramentum requirit conditiones ut licite fiat; eademque de hisce resolvenda, excepto quod *defectus veritatis* per se *veniale* non excedit. Consistit autem adiurationis veritas in hoc quod quis vere intendit assequi quod petit, et quod vera est causa ob quam petit: deficeret v. gr. si quis fingens paupertatem vel morbum per Deum peteret eleemosynam.

II. Distinguitur 1° solemnis quae fit ab Ecclesiae ministris ut talibus, seu nomine Ecclesiae, et servatis solemnitatibus praescriptis, et privata; — 2° deprecativa et imperativa.

III. Adiurari possunt *directe* 1° Deus ipse, Sancti et Angeli, sed solum *deprecative;* — 2° homines viatores, *imperative si* adiurans habet potestatem in adiuratum; *secus deprecative* tantum; — 3° daemones, sed solum *imperative;* haec adiuratio dicitur *exorcismus.*

Indirecte adiurari possunt etiam creaturae irrationales; nim. adiurando vèl daemones ne per eas noceant, vèl Deum etc. ut per eas nobis succurrat.

(1) Sporer n. 166 sqq.

IV. Exorcismum publice exercere communiter cum S. Alph. ex hodierna Ecclesiae praxi licitum non censent Ecclesiae ministris nisi de expressa Episcopi licentia. Attamen aliter agere, secluso scandalo, non ita constat esse grave peccatum nisi Episcopus expresse prohibuerit.

Privatus exorcismus, etiam ab Ecclesiae ministris et secundum formam Ritualis adhibendus, non est universaliter, sed tamen a pluribus Episcopis prohibitus.

Quid exorcista observare debeat, satis docet ipsum Rituale.

SECTIO III. PRAECEPTUM III DECALOGI ET I ECCLESIAE (1).

383. I. Ut aliquo tempore Deo cultus etiam publicus tribuatur, praeceptum naturale est, determinatum antea tertio praecepto Decalogi, hodie primo praecepto Ecclesiae tum quoad certos dies tum quoad modum colendi Deum.

II. Praecipiuntur sub mortali assistentia Missae et feriatio seu abstinentia ab operibus determinatis, diebus Dominicis et Festis. — Alia non praecipiuntur, sed plura consuluntur.

III. Festa, praeter dies Dominicos, de iure communi servanda ex Const. *Universa* Urbani VIII erant 36 (2), quibus addendum ex Const. *Commissi Nobis* Clementis XI Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. — Quorum Festorum cum plura abrogata sint, sed diversa in diversis regionibus, in unaquaque Dioecesi videndum est quaenam servanda sint, et in quantum; nam sunt etiam dies quibus alicubi sola Missa audienda praecipitur.

CAPUT PRIMUM.

OBLIGATIO MISSAE AUDIENDAE (3).

384. **Praesentia.** Requiritur ut quis sit 1° *respectu loci*, ubi Missa celebratur, moraliter *saltem* praesens; id autem 2° *quoad modum* formaliter seu religiose.

(1) Sporer n. 482 sqq.
(3) Elenchum vid. Tom. III, Tr. IV, S. II.
(4) Sporer n. 488 sqq.

Ad 1m. — I. Praesens *semper satis* censetur is qui est *in ipsa Ecclesia,* ubi Sacrum offertur, etiamsi longe distet tum a Sacerdote tum a reliquis assistentibus dummodo aliqua ratione, puta videndo, audiendo, vel ex signis aliorum, discernere possit quid agatur. — Quoad caecos simul et surdos hinc rectius (1) colligi videtur, eos excusari; quia, licet quid agatur scire, non tamen ipsi per se percipere possunt (2).

II. Moraliter praesens censetur etiam *extra ipsam Ecclesiam*

1° Qui est in sacristia aliove loco Ecclesiae contiguo, etsi ianuà clausà, modo satis prope Altare ita ut Missae partes discernere possit.

2° Qui est prope Ecclesiam, in eius atrio exteriori, in publica platea, ita tamen associando se aliis ut ex signis et gestibus quid in Missa agatur colligere possit, et ad multitudinem assistentium moraliter pertinere censeatur.

3° Qui e fenestra domus advertere possit ad Sacrum in Ecclesia vicina celebratum, etsi via publica intersit, si quidem parva sit distantia.

Nota. *Distantia* 30 passuum ab Ecclesia vel a turba assistentium probabiliter non tollit per se moralem praesentiam (3).

Ad 2m. — I. Duo requiruntur: 385.

1° Intentio — de qua omnes consentiunt — eaque assistendi Missae non materialiter, puta spectandi gratia aliquam caeremoniam, sed quatenus actio sacra et cultus Dei est, ut nim. quis intendat vèl explicite ea actione Deum colere, vèl saltem implicite facere id quod facere intendit Ecclesia.

2° Attentio certo requiritur 1) *externa* quam vocant, quae nim. excludit actiones externas cum attentione interna seu proprie dicta prorsus incompossibiles, ut sunt fabulari, litteras vel libros impertinentes legere et cetera huiusmodi; et 2) *aliqua interna* quoque requiritur, tanta saltem ut quis rationem reddere possit eorum quae in Altari geruntur, seu ut non sit plene distractus a

(1) Aliter Sporer.

(2) Cfr. S. Alph. n. 270; Ball.-P. II n. 9, ed. 3ª n. 714; Génicot n. 343.

(3) Cfr. De Lugo *de Euch.* Disp. XXII, n. 21.

Missa. De ulteriori attentione interna num requiratur ad satisfaciendum — aliud est ad vitanda peccata venialia irreverentiae — controvertitur, utrimque probabiliter.

Practice non sunt de peccato *gravi* arguendi qui, ut fit, nunc confabulantur, nunc attendunt: haec enim ita fieri solent ut salva sit attentio illa confusa quam sententia benignior sufficere autumat. Idem dicendum de iis qui voluntarie cogitationibus vanis vel etiam pravis indulgent; satisfacere pariter dici possunt semi-sopiti vel semi-ebrii (1).

II. Communiter notant satis adesse vel adesse censeri qui habita et retenta intentione debita praestant actiones ad praesentem Dei cultum spectantes, ut qui organa pulsant, canunt, ministrant ad Altare etiam saepius abeundo, quaerendo vel disponendo necessaria. Idem dicunt de collectione eleemosynarum.

III. *Qui sacramentaliter confitentur* per notabile tempus num satisfaciant controvertitur, utrimque probabiliter. Quare opus non est ut fideles hac de re inquietentur, dummodo Missae aliquo modo attendant: si Confessarius casum adesse animadvertat, expedit ut ad Consecrationem et Communionem paulisper interrumpat confessionem, poenitentemque moneat ut attendat.

386. I. **Gravitas materiae** sumitur vel *absolute* solum *ex quantitate* partis omissae — absentia vel distractionibus ut supra — et saltem tertia Missae pars censenda erit gravis; vel *relative,* solum vel partim, *ad qualitatem* et sic minor tertia parte praesertim Canonis, imo a Consecratione ad Sumptionem sat brevis pars gravis censetur; de sola tamen Consecratione vel de sola Communione dubitatur.

Nota 1. Missa quoad assistentiam praeceptam finiri censetur benedictione Sacerdotis.

2. Partes Missae non regulares, ut Symbolum, non vel saltem minus quam aliae computantur.

3. Pars levis si cantu similive ratione diutius protrahatur, non ideo gravis habetur.

II. Determinatio ista quaenam habenda sit pars notabilis minus utilis est pro praxi ad definiendum *reatum* omissionum par-

(1) Génicot n. 341, p. m. 1°.

tialium de quibus se accusant poenitentes; is enim pendet a gradu negligentiae in curanda Missae integritate, et a praevisione periculi cui se voluntarie exposuerunt eam non audiendi. Eadem vero magis conducit ad sciendum quandonam omissio tanta sit ut, etiamsi involuntaria fuerit, substantiae praecepti non sit satisfactum, ideoque alterum Sacrum, si fieri possit, audiendum maneat (1).

III. Sero adveniens 1) *ante Consecrationem* certo tenetur reliquae parti assistere; 2) *post* Consecrationem peractam probabilius non tenetur, quia deficit pars principalis, imo probabilius sola essentialis Sacrificii. Contradicit S. Alph. n. 310 eo quod audiri potest pars notabilis caeremoniae ab Ecclesia praescriptae. Sed Ecclesia caeremoniis illis interesse iubet quatenus cum Sacrificio connectuntur.

De obligatione supplendi levem partem omissam non consentiunt. Affirmat S. Alph. l. c., negat Suarez (2).

IV. Simul diversas partes diversarum Missarum audiendo non satisfit praecepto (3); si vero successive id fiat, atque ex una eademque Missa habeatur Consecratio et Communio utriusque speciei, essentialiter et, accedente causa, plene satisfit praecepto. Inter antiquiores plures, inter recentiores pauciores idem tenent etsi Consecratio et Communio non habeantur ex una eademque Missa; quod non omnino improbabile, adeoque saltem post factum et data aliqua causa in praxi servire potest.

Locus debitus ubi quisque satisfacere potest, hodie est 387.
quaevis Ecclesia vel Oratorium publicum vel semi-publicum. *Non* satisfit *in Sacello domus privatae* nisi ab iis de quibus Indultum mentionem facit; neque per Missam ex privilegio mere personali celebratam *in Altari portatili*, nisi celebretur ab Episcopo vel in Episcopi praesentis commodum.

Causae excusantes (4) ab auditione Sacri revocantur ad 388.
impotentiam, charitatem, officium et consuetudinem;

(1) Génicot n. 339.

(2) *De Euch.* Disp. 88, S. II, n. 7.

(3) Constat ex prop. damn. 53 ab Innoc. XI: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit:* Denz. n. 1070.

(4) Sporer n. 506 sqq.

quae fere recidunt in causam notabilis, i. e. *mediocriter gravis incommodi proprii vel alieni,* quod cum ratione timetur, in anima, in corpore, in bonis fortunae, in honore, fama vel pudore. — Excusantur itaque:

1. Aegroti, convalescentes qui notabile damnum vel convalescentiae moram merito timent. Item qui valetudine debiles vel alia ratione — puta quia ob paupertatem sese ab aëris inclementia protegere non possunt — timent ne infirmitatem contrahant. — In dubio quisque prudenti iudicio ferendo idoneus potest etiam per se et pro se rem dirimere. Qui, sive consilio petito sive re perpensa, dubium manet, potest se satis excusatum habere, quia saltem manet *periculum* gravis incommodi.

Practice merito resolvit Ball.-Palm. II, n. 145, ed. 3ª n. 803, omitti posse Missam ab iis qui propter aegritudinis molestiam vel periculum omittunt visitationes amicorum, cursitationes ad negotia tractanda etc.

II. Qui custodiunt domos, greges, vel pueros quos sine incommodo vel aliorum perturbatione secum ducere nequeunt. Item qui aegros curant quos saltem sine horum gravi tristitia deserere non possunt. Si tamen plura Sacra in loco celebrantur, et maritus ac uxor aliive alternatim Missae assistere possunt sine notabili incommodo, id fieri debet.

III. Qui gravem indignationem mariti, parentum vel dominorum incurrerent. Rarius hinc grave incommodum timendum erit uxori vel liberis grandioribus, saepius famulis vel operariis. Quodsi tamen frequenter et quasi ordinarie famuli *sine iusta causa* impedirentur, deberent famulatum relinquere cum primum commode possint.

Ex iusta causa possunt non solum famuli pro servitio debito, sed etiam filii subditive sive in poenam sive ad vitanda peccandi pericula, secus non evitanda, domi retineri (1).

IV. Qui longe distant ab Ecclesia. Ex S. Alph. n. 329 iter pedestre unius leucae cum quadrante absolute excusat.

---

(1) Cfr. S. Alph. n. 327.

Practice etiam et magis habenda est ratio personarum, sexus, aetatis, tempestatis, consuetudinis etc.

Qui tamen sine novis expensis *currum paratum* habet quo vehatur, is non excusatur per se; sed quandoque etiam in hoc medio adhibendo notabile incommodum occurrere potest (1).

V. Qui damnum subire deberet *in itinere*, amittendo expensas etc.; qui lucri extraordinarii opportunitatem amitteret habita ratione conditionis personae. Imo si cuius conditio muneris vel officii id secum fert ut Sacrum audire nequeat, *facilius* etiam *notabilis iactura excusat*, ut accidere potest aurigis, nautis (2). Quod et applices servitio viarum ferrearum.

VI. Quibus vestimenta desunt pro conditione sua convenientia. Item puellae ex occulto crimine gravidae.

Hi tamen summo mane vel ubi pauci adsunt, Missam audire debent, si ita pudorem vitare possunt.

VII. *Ubi viget consuetudo* per determinatum tempus domi se continendi, excusantur puerperae post partum; viduae, filiae sororesque defuncti ratione luctus. Item puellae quarum banna proclamantur, si consuetudo hoc ferat vel vere eas pudeat illis interesse, nec opportunitas sit aliam Missam audiendi.

VIII. Qui Missam audire non potest nisi utendo privilegio suo, probabilius ad hoc non tenetur, v. gr. Sacerdos qui non potest celebrare nisi in Altari portatili, vel in privato oratorio, conclavi, nave; item dominus oratorii privati qui nequit Ecclesiam adire, sed commode Sacerdotem invenire potest. Non enim tenentur uti privilegio sibi specialiter concesso, ne favor in onus mutetur (3).

Putat Sporer eos qui etiam legitime impediti et excusati sunt a Missa audienda die *Domenica*, teneri sub mortali Deum aliquo alio speciali cultu externo vel interno colere vi divini praecepti naturalis.

Lehmkuhl autem censet eos qui ordinarie vel semper a praecepto ecclesiastico excusantur, ratione praecepti divini obligari aliquoties vèl diebus Dominicis gravius incommodum subire, vèl diebus ferialibus supplere.

Sed communiter AA. de utraque hoc obligatione tacent vel eam negant. Quare practice utrumque quammaxime certe commendandum, non tamen imponendum (4).

(1) Lehmk. n. 565; Génicot n. 344, 4°.

(2) S. Alph. n. 332.

(3) Génicot l. c. 8°; Ball.-Palm. II, n. 138, ed. 3ª n. 800. Aliter S. Alph. n. 319.

(4) Cfr. Génitot l. c. N. B.

CAPUT ALTERUM.

OBLIGATIO FERIANDI (1).

389. **Prohibita** sunt 1° opera servilia, exceptis quae iure vel consuetudine permittuntur, 2° opera forensia, nim. 1) *actus iudiciales* qui *cum strepitu* exercentur, ut citare testes, iuramentum iudiciale exigere, sententiam proferre vel exequi; 8) *mercatus* et *nundinae*.

Quoad actus iudiciales ubi prohibitio non servatur, materialiter cooperantes practice plerumque sufficientem habebunt causam excusantem (2).

Quoad mercatum prohibitio magna ex parte in desuetudinem abiit. Quare conandum quidem est ut diebus Dominicis et Festis mercatus minuantur et officinae claudantur, absolute tamen hodie liciti generatim videntur contractus, nisi intervenire debeat iudicis auctoritas, etiam in officinis publicis, ianuis tamen clausis, nisi etiam in hoc contraria vigeat consuetudo. — Similiter resolvendum *de nundinis*, quae practice licitae haberi possunt ubi, quum incidunt in diem Dominicam vel Festum, a Magistratu civili non differuntur.

390. I. De peccato gravi obiective in operibus servilibus non certo constat nisi per tres circiter horas sine causa laboretur. Si agitur de labore *leviter servili* multi quid *amplius* requirunt. Idemque resolvi potest si adsit *aliqua* causa sed non sufficiens.

In praxi 1° saepius de facto praeterito iudicari debet, adeoque secundum conscientiam poenitentis; et 2° attendendum ad scandalum, praecipue in locis ubi lex strictius observatur, si nim. publice laboratur.

Qui per plures alios laborat, si nemo eorum obiective graviter legem violat, neque ipse, per se loquendo, graviter peccat.

---

(1) Sporer n. 521 sqq.

(2) Cfr. Canonistas in Decr. L. II, T. IX, C. 1.

II. In operibus forensibus gravitas peccati magis pendet e qualitate negotii tractati.

I. **Servilia** naturà suà sunt ea opera quae corporis potius 391.
quam animae viribus exercentur et corporis utilitati deserviunt; **liberalia** quae animae potissimum viribus exercentur, eiusque utilitati eive excolendae deserviunt etsi corporalis labor ut accessorius accedat.

II. Ad dignoscenda itaque opera servilia a liberalibus *nihil facit* 1° *intentio* laborantis, num pro se an pro alio, merae recreationis ergo an alterius utilitatis causa, gratis an lucri intuitu, bona an mala intentione laboret; neque 2° *defatigatio* corporis maior vel minor.

Consuetudo tamen facere potest ut ea quae ex pietate vel charitate fiunt, facilius *licita* habeantur, ad quod praecipue attendendum est quoad opera quaedam leviora, ut confectionem rosariorum, scapularium et similium rerum.

Licita ipso iure vel consuetudine sunt ea opera servilia quae 392.
ad quotidianum usum ac necessitatem vitae humanae pertinent, seu ad quotidianum victum et dispositionem corporis, habitus, domus etc. requiruntur, quaeque vèl commode non possunt vèl non solent differri vel anticipari, ut coquere cibos eo die comedi solitos etsi forte maiori arte conficiendos puta placentas, tortas, item mundare domum, lecta sternere, vestimenta purgare et corpori aptare etiamsi aliquid assuendum sit.

De multis operibus dubitari potest, num servilia an liberalia vel saltem licita censenda sint: praecipua tangemus; itaque

Licita, vèl ex natura sua vèl ex consuetudine, certo vel pro- 393.
babiliter sunt:

I. Scribere praesertim et certo si ex proprio conceptu fiat, sed ex communi etiam *transscribere;* idemque est de scribendis vel transscribendis notis musicis; item libros corrigere. Consequenter licent etiam leves labores accessorii ut lineas necessarias ducere, chartas conglutinare.

II. Pingere; attamen sine magno apparatu et labore puta quo teruntur ac miscentur colores, parantur et extenduntur tabulae. Aliud est de dealbandis vel aliter mere tingendis parietibus etc. quod vere fit per modum operis servilis.

III. Idem multi contra alios dicunt de quibusdam operibus picturae vel scripturae valde similibus, ut est acu pingere, sculpere si tamen subtilia sculpantur seu statuae perficiantur. Item typographos licite ordinare characteres plures concedunt. Artem photographicam exercere alii absolute permittunt; alii solum licitum reputant quatenus non poscit magnum laborem, v. gr. ad sumendam, quam vocant, negativam imaginem; quae restrictio neque videtur a mente priorum recedere (1).

IV. Iter facere pedibus, equo, curru, navi etc. non est opus servile. Consequenter licebit opera ad eiusmodi itinera necessaria praestare, ut equos parare, currum iungere, remigare, onera convehere. De ducendis curribus vel navigiis onustis alii aliter resolvunt: per se res dependere videtur a labore magno vel exiguo imponendi etc. onera; sed saepe ad excusandum accedit publica utilitas. Utrumque applica servitio viae ferreae.

V. Venari, aucupari, piscari hodie non censentur illicita *nisi* cum magno apparatu et gravi labore haec fiant.

VI. Molere si labor hominis est modicus non reputatur illicitum, nist consuetudo obstet.

394. **Causae excusantes,** (2) *praeter consuetudinem* quae varia est in variis regionibus, praecipuae sunt necessitas propria vel aliena, charitas sui et proximi, pietas erga Deum. Plura, eorum etiam quae mox recensebimus, partim consuetudine partim alia causa excusantur. — Nonnullos ex praecipuis casibus indicamus secundum quos et alii similes resolvantur.

I. **Necessitas** excusat 1° pauperes qui privatim seu sine scandalo laborant ut sibi suisque habeant necessaria ad victum, vestitum etc.

2° Pauperes item, praesertim *famulos* et famulas qui suas vestes resarciunt vel lavant, quia aliis diebus non possunt vel iis non permittitur.

3° Famulos item et generatim subditos quibus opera servilia praecipiuntur, etiam sine iusta causa, si tunc tamen sine

(1) Cfr. Génicot n. 334, 4°.
(2) Sporer n. 533 sqq.

gravi damno recusare non possint; quod posterius si saepe contingeret, resolvendum ut n. 388, III.

4° Sartores similesque operarios, si res urgeat, puta si conficiendae sunt vestes funebres vel pro nupturientibus etc., vel ut res promissas expediant si cliens aegre exspectaret. *Sed cavere illi debent* ne nimia assumendo se in talem necessitatem sine speciali causa coniiciant.

In praxi Confessarius severum se exhibeat erga eos qui *consuetudinem* diebus festis laborandi contraxerunt, facilem cum iis qui *interdum* id faciunt: hi enim, non illi solent iure excusari (1).

5° Pistores, ut panes recentes habeant, ubi consuetudo ita exigit. Item laniones, qui praesertim in maioribus civitatibus saepius excusantur ut petituris satisfacere possint, in minoribus rarius nisi plura concurrant festa vel tempore aestivo.

6° Illos quorum opera semel coepta sine damno interrumpi non possunt, in quantum haec ratio ita exigit.

7° Barbitonsores, partim necessitate partim consuetudine.

8° Agricolas qui ob pluviam praeteritam vel imminentem fruges et foenum metere, secare, congregare coguntur, vel ob aliud grave damnum cavendum ruri laborant.

9° Fabros qui instrumenta reparant iis qui sequenti die indigebunt; vel qui equos ferrant, curruum rotis lamnas imponunt ob necessitatem iter facientium.

10° Qui reficiunt pontes, aggeres fluminum, vias ferreas etc. ad damna avertenda.

11° Qui laborat ne magno pro sua conditione et extraordinario lucro privetur.

12° Qui praeparant, conficiunt vel disponunt ea quae ad publicam aliquam festivitatem sunt necessaria, si haec antea fieri commode non potuerint; quod partim etiam consuetudine excusatur (2).

13° Qui moderate laborant ratione otii vitandi, i. e. ad vitandum peccatum, quod secus difficulter vitabitur vel saltem ut vitetur multum timendum est. Ideo permitti posset aliquis labor

(1) Génicot n. 337, 7°.

(2) Cfr. S. Alph. n. 304.

domesticus operario qui, nisi ita occupetur, solet adire cauponas, inebriari, blasphemare etc. Similiter dicendum de iis qui, cum nulla delectamenta habeant, moraliter loquendo, per solum laborem a peccatis multis abstinebunt, quales sunt carcere detenti (1).

Personis piis quae de otio queruntur suaderi potest ut occupentur operibus levioribus in utilitatem pauperum vel ecclesiarum indigentium, itaque partim hac partim alia causa adeoque certius excusentur: ratio enim otii vitandi ex communi DD. raro sola sufficit.

II. **Charitas,** praeterquam in nonnullis ex supradictis casibus, excusat laborantes ad subveniendum proximo in extrema vel gravi necessitate constituto; vel qui pro alio praestant quod hic ipse ob propriam necessitatem licite faceret. Idque probabiliter nonnulli extendunt ad eos qui conficiunt ipsas res, puta vestes, pauperibus in communi distribuendas. Sed laborare ut lucrum pauperibus tribuatur, in sola communi necessitate non videtur licere.

III. **Pietas** excusat praestantes opera quae immediate ad cultum divinum referuntur; non vero quae remote nimis ad eumdem spectant, ut ligna secare in ordine ad ecclesiam vel aram construendam et similia, nisi notabilis Ecclesiae necessitas id exigeret.

Ea quae neque ita proxime neque ita remote ad cultum divinum spectant ut verrere templum, ornare altaria, certo non sunt graviter illicita; veniale tamen secundum plerosque foret ea ad diem festum differre si commode pridie fieri possint, non vero ea neglecta facere.

At in favorem Ecclesiae pauperis conficere ea quibus ad decentem cultum indiget, ut corporalia, planetas aliaque ornamenta vel utensilia, satis communiter licitum censent.

---

(1) Génicot l. c. 11°.

TRACTATUS VIII.

DE IV PRAECEPTO DECALOGI.

Quartum hoc praeceptum explicite et primario praecipit filiis cultum parentibus exhibendum, implicite et secundario tum parentibus praecipit curam filiorum, tum ea generatim quae alii subditi et superiores mutuo sibi debent. Inter parentes et filios aliosque cognatos et coniuges est obligatio pietatis; inter alios quasi-pietatis, proprie charitatis communis paulo strictius obligantis, sed quantum est erga superiores specifice est observantiae.

CAPUT PRIMUM.

DE MUTUIS OBLIGATIONBUS IN SOCIETATE DOMESTICA.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM (1).

I. Filii ex virtute pietatis debent parentibus amorem, reverentiam et obedientiam Quae tres obligationes specie infima inter se differunt, suntque graves ex genere suo. 395.

II. Amoris et reverentiae obligationes semper manent, obedientiae cessat quum filii aetate, matrimonio vel emancipatione fiunt sui iuris; si tamen in domo paterna manent, subditi quoque manent in quantum exigit ordo domesticus.

III. Defectus *amoris et reverentiae,* quae erga alios censeretur mediocris vel etiam levis, facile gravis est erga pa-

(1) Sporer n. 618 sqq.

rentes. Porro gravitas horum peccatorum aestimanda non est solum ex ipso actu secundum se, sed debet insuper attendi effectus exacerbationis, contristationis vel afflictionis inde merito oriundus parentibus, dummodo praevisus fuerit.

Hinc si filius *sine iusta causa* deliberate aliquid agit vel omittit, etiamsi alioquin per se malum non sit, ex quo tamen scit parentes graviter offensum, contristatum iri vel forte etiam peccaturos nimia ira, indignatione, blasphemiis, eo ipso graviter peccat. Quod valde notent filii eorumque Confessarii, cum saepissime contingat filios in his mortaliter peccare.

Contra, *si iusta causa* urgeat aliquid agendi et constet offensionem vel contristationem parentum ex mera eorum morositate, melancholia, apprehensione vel etiam malitia irrationabiliter vel inique orituram, non peccant filii illud agentes.

IV. *Si* vèl specialis relatio fili erga parentes *sola* ratio est peccati vel gravis peccati, vèl actio talis est qua erga extraneos *sola* charitas laedatur, malitia vel gravis malitia una erit; duplex vero, *si* actio illa *aliunde* iam habet suam malitiam.

396. I. **Contra amorem** graviter peccare possunt filii praesertim:

1° Actu interno, si odio, malevolentia, indignatione vel quovis affectu pravo in parentes feruntur deliberate; v. gr. si eis mortem vel aliud grave malum optant, si de notabili eorum malo gaudent.

2° Actu externo, si opere vel signo externo odium etc. erga eos ostendunt; v. gr. alloquio duro, aspectu torvo, gestu protervo eos affligunt vel contristant. Si tamen non ex vero, interno odio, sed solum externe talia fiant, non ita facile graviter peccant, nisi forte habitualiter ita se gerant, ita nempe ac si odio eos haberent.

3° Omissione, si quum facultas est, non succurrunt parentibus in gravi eorum necessitate spirituali vel corporali; puta si non curant eos in articulo mortis necessariis Sacramentis muniendos, vel post mortem non implent ea quae parentes pro salute animae disposuerunt, vel generatim eorum testamentum non implent, vel debita non solvunt, pro viribus tamen haereditatis; a fortiori si eos a Sacramentis suscipiendis vel a testamento maxime

in salutem animae condendo impediunt; item si eos in infirmitate aliisque occurrentibus adversis non visitant, non consolantur, per se vel per alios iis non assistunt et necessaria provident, si eis in paupertate alimenta non praebent, domi non excipiunt, itaque forte parentes cogunt mendicare vel servitio seu laboribus suae sortis et aetatis hominibus incompetentibus victum quaerere.

II. **Contra reverentiam** graviter possunt peccare praecipue: 397.

1° Si duris, asperis, inurbanis, contumeliosis verbis, iocis, convitiis eos afficiunt, vel risibus, subsannationibus; gesticulationibus, simulatis eorum actibus, illis illudunt praevidentes graviter eos offensum iri: quare quid hac in re grave peccatum sit, multum pendet e conditione et consuetudine personarum.

2° Si eos verberant, etsi levissime fiat percussio, vel etiam solum levant brachium vel instrumentum ad percutiendum.

Nota. A peccato tamen saltem gravi excusantur qui parentes usu rationis carentes ob senium, ebrietatem etc. sine contemptu vel malitia verbis vel factis cohibent (1).

3° Si evecti ad dignitatem vel divites facti parentes despiciunt, recognoscere nolunt, obnegant quovis modo vel signo ex superbia et cum aliquo contemptu. Excusantur autem si non ex contemptu et optimo in parentes affectu retento, fieret ob iustam causam, puta ad vitandum aliquod incommodum, si v. gr. parentes infami crimine notati essent.

III. **Obedientiam** debent filii in omnibus et solis ad 398.
curam et potestatem paternam pertinentibus, sc. 1° ad ipsorum *educationem* tum temporalem tum spiritualem, 2° ad familiae *administrationem et disciplinam domesticam*; puta si praecipiant ut certo tempore orent, Missam audiant, litteras vel fidei et pietatis rudimenta addiscant; ut certam conversationem, domum, lusum immoderatum vitent; ut certo tempore domum redeant, praesertim vesperi non vagentur; ut de rebus domesticis nihil destruant etc.; ut certas personas in domum non inducant etc.

In quibus omnibus obedientia debetur sub gravi ex genere suo, *si* tamen datum fuerit expressum et serium mandatum.

---

(1) Gury n. 366; Génicot n. 347, 1°.

Agere enim solum contra voluntatem, monitiones vel ordinarias directiones parentum, etsi aliquando peccatum sit, non est tamen per se speciale peccatum contra obedientiam debitam.

Praeterea a gravi peccato excusat non tantum levitas materiae vel inadvertentia, sed etiam humana quaedam negligentia: qua ratione non semel vel iterum, sed frequentius et ordinarie transgredi paternum praeceptum in eadem re quae nim. ad plures actus successivos se extendit, censetur mortale peccatum.

Resolves: liberi qui in studiis negligentes sunt, duplici de causa graviter peccare possunt: ob damnum quod parentibus inferunt, ob praeceptum parentum quod transgrediuntur. Secluso igitur stricto praecepto, filius parentum divitum, notabiliter studia negligens, non peccabit graviter. Facilius grave erit peccatum, si parentes mediocris tantum conditionis sunt: saepe tamen ob aetatis inconsiderationem, leve erit; neque, ubi fructus sperari nequit, illius gravitas studentibus inculcanda videtur (1).

Nota. Num peccatum inobedientiae in materia aliunde iam praecepta vel prohibita, sit speciale adeoque in Confessione speciatim manifestandum, non conveniunt AA.; cfr. n. 88.

399. I. **Quoad electionem status** sive matrimonialis sive clericalis sive religiosi:

1° Certo et secundum omnes filii sunt omnino liberi ab obedientia parentum; idque tum quoad statum in genere tum in particulari, puta quoad matrimonium cum determinata persona, etc. Sed

2° *Per accidens* fieri potest ut *ex charitate* debeant sive matrimonium inire, sive remanere ad tempus saltem cum parentibus, in gravi nempe horum necessitate.

3° Praeterea aliquatenus filialis *reverentiae* est in his parentum *consilium audire vel petere consensum* ad amplectendum statum electum, praecipue si agatur de matrimonio seu potius de persona quacum illud ineundum est. Qua tamen de re non omnino consentiunt AA. Sc.:

---

(1) Palmieri ad Ball. II, Tr. VI, S. IV, n. 65, ed. 3ª, n. 846; Génicot n. 348, 6°.

II. 1° Consentiunt omnes filios teneri consilium et consensum parentum *petere* ad matrimonium cum determinata persona ineundum, *nisi* ex iusta causa aliter fiat, vel parentes irrationabiliter inviti esse noscerentur.

2° Num gravis sit haec obligatio non conveniunt. 1) Communius affirmant, quia gravis contemptus est ac signum diffidentiae, tantam rem sine eorum consilio aggredi, ac nurum aut generum ipsis insciis adducere: quare omnes parentes hoc aegerrime ferunt. — Plerique tamen hoc docent solum de petendo, non de sequendo consilio vel placito parentum. Quam ipsam ob causam 2) alii negant, quia si filii parentum consilio stare non obstringuntur, obligatio illud exquirendi non potest esse gravis.

III. 1° Communiter tamen dicunt peccari graviter si ultra parentum dissensionem alia gravia mala sequuntur, ut scandala publica, grave deducus parentum ac familiae, si connubium ipsis filiis damnosum sit corporaliter vel spiritualiter.

2° Per accidens item graviter peccarent filii qui sine ulla causa omitterent monere vel consulere parentes de matrimonio ineundo, praevidentes eos inde graviter offensum vel contristatum iri.

3° Contra, non peccabit filius si sit in dissito loco, et putet parentes in matrimonium libenter consensuros, vel si consulantur iniuste illud impedituros esse (1).

IV. Quantum ad statum religiosum eligendum vel amplectendum saepius ne expedit quidem parentum *consilium* exquirere; quia hac in re non habent experientiam, et saepe ob proprium commodum mutantur in hostes.

Attamen per se atque ut plurimum neque expedit *insciis* parentibus Religionem ingredi, nisi iniusta vexatio vel impedimentum merito timeatur (2).

Nota 1. In pluribus regionibus secundum leges civiles — cfr. noster Cod. civ. art. 354 sqq. — possunt parentes auxilio brachii saecularis liberos suos *minorennes* e quocumque loco retrahere et cogere ad reditum. Caute ergo cum istis hac in re procedendum est.

---

(1) Aertnys n. 153, Qu. 3°.

(2) Aertnys ib. Qu. 2°; Gury II, n. 151.

2. Quae *de statu vitae*, eadem fere dicenda videntur *de professione* eligenda, puta de scientia vel arte addiscenda, quia etiam hoc ad totam vitam spectat (1).

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM (2).

400. **Parentes** filiis debent ex pietate *generatim* amorem, *speciatim* curam seu educationem corporalem et spiritualem; cfr. n. 395, IV.

401. **Contra amorem** generatim peccant praecipue parentes pro ratione materiae:

1° Qui filios gravi et iniusto odio prosequuntur; iis male volunt, mala serio imprecantur: iis, cum egent, non succurrunt; mala et damna eorum corporalia vel spiritualia non avertunt, cum possint; nimis dure eos tractant, sine causa verberant, affligunt etc.; cfr. n. 396.

2° Qui uni ex filiis prae aliis notabiliter favent sine iusta causa: quod esse solet fons dissidiorum aliorumque graviuni malorum.

402. **Educatio corporalis** triplicem providentiam requirit: *vitae, victus* et *status*.

I. Providentiam vitae, ut nim. ab ipso conceptu parentes sedulam curam gerant, nec quidquam agant quod prolis vitae, sanitati et naturali perfectioni obesse possit ante et post nativitatem, praesertim usque ad triennium.

Peccant ergo per se mortaliter.

1° Matres quae praegnantes currunt, saltant, noxia edunt vel bibunt, nimium laborant, portant, onera levant extra urgentem necessitatem, passionibus vehementioribus irae, melancholiae etc. indulgent, vel aliud quidpiam faciunt cum praeviso periculo abortus vel prolis vitiandae.

2° Patres crudeles in uxores praegnantes, qui eas vexant, exasperant, percutiunt.

---

(1) Aertnys ib. Qu. 4°.

(2) Sporer n. 650 sqq.

3° Parentes qui non cavent ne noxa parvulis eveniat per aquam, ignem, bestias, periculosa instrumenta, nimium ploratum etc. (1). Item qui tenellos infantes in lecto incaute secum tenent cum periculo oppressionis: quod periculum a circumstantiis pendet, puta ab aetate et viribus infantis, a latitudine lecti, ab eo num mater in somno eumdem retinere soleat situm ac locum.

4° Matres quae negligunt filios per se lactare; quod quidem per se solum veniale est, dummodo aliter infanti satis provideatur; quia per se non apparet gravis defectus; quare ab omni culpa liberat rationabilis causa, ut matris imbecillitas, consuetudo quae apud nobiles praesertim viget. At gravis tunc est obligatio substituendi sibi nutricem quae iis qualitatibus physicis gaudeat quae quodlibet grave nocumentum ab infante removeat: indubium enim est pluribus morbis nutricis, speciatim syphilide, infici posse infantem. Passim AA. eamdem obligationem extendunt ad morales nutricis qualitates, rati eiusdem vitiis lactatum infici posse: quod tamen alii peritissimi medici probabilius negant, eo quod cibus, puta caro animalium quibus vescimur nullum directum influxum in mores habere solet (2).

Non sufficit, nisi necessitas cogat, alio cibo prolem nutrire; nam nullus cibus plene compensare potest lac humanum (3).

Illam matronarum consuetudinem non lactandi plures SS. Patres improbant; et hodie revera eius *extensio* verus abusus dicendus est: etenim a pluribus servatur ob causas vanas, ut lactationis oneri se subtrahant, ut conventus, choreas, theatra, aliaque oblectamenta frequentare valeant; praeterea non solum propriam matris sanitatem variis periculis obiicit, sed et aliis malis ansam praebet: saepe eligitur nutrix innupta; cupido nutritiorum, eo quod pinguia sunt, fornicationes multiplicat, nutricesque inducit ad propriam prolem negligendam (4).

II. Providentiam victus. Nomine victus seu alimentorum plura comprehenduntur, sc. pertinentia ad cibum et potum, ad vestimenta, ad lectum et habitationem, ad medicinas tempore morbi. Quae omnia praestare parentes filiis debent quousque hi ad robustam pervenerint aetatem ut sibi pro ratione status sui pro-

(1) Aertnys n. 156, 3°.
(2) Génicot n. 350, 4°.
(3) Aertnys n. 157. Qu.
(4) Capellmann *Med. Past.* pag. 42 sqq., ed. 13ª, latina 5ª pag. 52 sqq.

videre possint; per accidens autem etiam toto vitae tempore quoties necessitas urget.

Peccant ergo mortaliter parentes qui filiis in aetate infirma, vel alia necessitate pressis alimenta aliave necessaria denegant; qui comessationibus et potationibus omnia dilapidant; qui filios abiiciunt et in viis publicis exponunt, vel etiam in brephotrophio sed sine vera necessitate vel iusta causa, qualis esse potest inopia vel timor infamiae si proles esset spuria ex occulto delicto.

III. Providentiam status sc. in futurum.

Ut plurimum curare debent parentes ut filii addiscant honestam artem, opificium vel disciplinam statui eorum competentem. Si filius talentum et animum habeat studendi, pro facultatibus expensas praebeant, neve impediant. Sed cavere etiam debent inferioris conditionis parentes, ne liberos ingenio mediocres iis studiis applicent quorum exitus is esse soleat ut, humilioris laboris artisve pertaesi, frustra ad altiorem statum aspirent et sibimetipsis, familiae et Statui oneri fiant (1).

Peccant hoc ex capite non solum parentes praedicta negligentes, vel bona dissipantes, sed etiam qui non adhibent diligentiam saltem mediocrem ut acquirant bona quibus filii habeant *haereditatem* secundum statum suum; item qui sine legitima causa *dotem* denegant filiis statum honestum amplecti volentibus.

Educatio spiritualis rursus tria requirit: *doctrinam,*
403. *exemplum* et *correptionem cum vigilantia.*

I. Doctrinam: ut nim. parentes filios instruant vel instruendos curent imprimis in omnibus necessariis ad salutem, in exercitiis pietatis communibus omnibus fidelibus, in honestate morum et virtutum; doceant eos peccati mortalis malitiam pariter ac damna, mundi illecebras, fallaciam et vanitatem; mittant eos ab bonas scholas, de quo cfr. n. sq.

II. Exemplum: curent parenter ut filiis exemplo bonorum morum et operum praeeant, et summe caveant ne malo exemplo et scandalo eis causam vel occasionem praebeant peccati et malorum morum.

(1) Génicot n. 351, 3°.

III. Correptionem: ut nim. parentes serio, discrete tamen et prudenter emendent peccata et pravas inclinationes filiorum, ne vel nimia severitate in odium, pusillanimitatem et desperationem adducantur filii neve indulgentia nimia neglectui, contemptui ac vitiis filiorum ansam praebeant.

Peccant itaque contra hoc officium parentes:

1° Qui filiorum *instructionem nihil vel parum curant.*

2° Qui filiis *scandalo sunt,* coram iis blasphèmant, impudica agunt, turpia loquuntur, graves iniurias et imprecationes, alter in alterum praecipue, effutiunt, notoriis vitiis ut ebrietati, luxuriae addicti sunt, pietatem, Religionem, Sacerdotes resve sacras irrident, praecepta Ecclesiae non observant.

3° Qui non satagunt ut filii *praecepta Dei et Ecclesiae observent* et Sacramenta frequentent; qui peccandi occasiones iis permittunt vel non auferunt, ut suspecta consortia, pravos socios, periculosas lectiones; qui eos artis addiscendae vel famulandi causà in familiis collocent ubi eorum fides vel boni mores periclitantur; qui non satis attendunt ad periculum quod imminere facile potest ex puerorum et puellarum in eodem lecto cubatione, vel aliter a pravo lecti socio, vel etiam ab eorum cubatione in eodem cubiculo ac ipsi parentes, vel etiam in cubiculo vicino unde videre vel audire possunt quid parentes agant vel dicant.

De scholis speciatim resolvimus cum Génicot (1): 404.

I. Numquam, neque ad gravissima damna vitanda, licet parentibus liberos mittere ad scholas in quibus periculum pro fide vel moribus est ita proximum ut nullis cautelis remotum fieri posit, « velut quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt neque peragi (2) ». Id contingeret si pueri in iis scholiis iuberentur preces haereticales recitare, ritibus prohibitis interesse, pravam doctrinam audire a qua, spectatis eorum aetate, indole et institutione, cavere moraliter nequirent, vel si tam pravi essent alumni ut vix ullus posset se a mali contagio servare immunem.

(1) N. 352.

(2) Instr. S. Off. 24 Nov. 1875. Coll. P. F. n. 481.

Quandonam de facto haec hypothesis verificetur, non nisi diligenti singulorum casuum consideratione determinari poterit. Plerumque non sufficiet scholae ipsius pericula intueri, sed praeterea considerandum erit quatenus puer vel adolescens his periculis magis minusve obnoxius videatur, et quae media adhiberi possint ad eumdem servandum immunem. Si reapse periculum est necessario proximum, patet neque ipsos liberos, rei conscios, posse etiam cogentibus parentibus, ad tales scholas pergere.

II. Etiamsi abest periculum proximum, *per se* tamen graviter illicitum est prolem suam educandam tradere scholis quae principiis catholicae religionis de educanda iuventute minime conformes sunt. Nam etiam systema educationis neutrae, quamvis apertam verae religionis impugnationem vitet, *ex ipsa natura sua* fovet indifferentismum (1).

III. Interdum tamen contingit ut id licitum fiat, nempe *sub duplici conditione:*

1° Ut adsit sufficiens causa. Ex cit. Instr. « ea plerumque aderit quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus ». Posset quoque ratio esse notabile damnum quod parentibus immineat, si liberos ad huiusmodi scholas mittere recusent.

2° Ut parentes satagant pericula removere opportunis cautionibus et remediis, qualia sunt: invigilare per se vel per alios libris qui adhibentur et doctrinis quae traduntur; curare ut pueri, extra scholam, bene in doctrina christiana instituantur; eos removere a consortio discipulorum a quibus fidei vel morum periculum imminere possit.

Si de frequentandis universitatibus heterodoxis agitur, parentes cavere debent ne filios suos ad easdem mittant, nisi antea solida catholica educatione atque accurata suae religionis notitia excultos; ipsi vero catholici iuvenes tenentur consiliis petitis a viris doctis, lectionibus institutis similibusve mediis pericula imminentia a se removere.

---

(1) Cfr. Syllabi Pii Pp. IX propos. 45-48: Denz. n. 1593 sqq.

IV. Absolutione indigni sunt parentes qui « necessariam christianam educationem et institutionem liberis suis impertiri negligunt, aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt scholis publicis (neutris) sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat ». Cit. Instr.

Quodsi adest quidem aliqua difficultas in mittendis liberis ad scholam catholicam, sed non plane sufficiens, cautiones autem adhibentur ad periculum removendum, quandoque manebit gravis culpa in parentibus qui eos ad scholas acatholicas vel neutras mittunt, quandoque minor culpa censeri potest. Hoc definiendum est e variis circumstantiis, nempe e quantitate periculi, e scandalo et cooperatione plus minusve efficaci ad pravas scholas promovendas bonasque impediendas etc. (1).

Quandoque etiam ubi agendi ratio parentum obiective a gravi peccato excusari nequit, abstinendum erit a denuntianda gravi obligatione liberos a scholis neutris retrahendi, eo quod praevidetur monitionem nihil profuturam esse; semper tamen exigendum erit, ut vigilantia sua et cura educationis religiosae, per se vel per parochum dandae, parentes periculum fidei vel morum remotum faciant.

Attendatur num forte quoad praedicta Ordinarius loci quidpiam speciatim statuerit.

ARTICULUS III.

OBLIGATIONES MUTUAE ALIORUM CONSANGUINEORUM, SUPERIORUM ET INFERIORUM (2).

Regula I. *Pietas* colendi parentes ulterius se extendit ad co- 405.
lendos 1° quasi-parentes, ut tutores et patrinos; 2° maiores

(1) Lehmk. I, n. 787.
(2) Sporer n. 674 sqq., n. 683 sqq.

consanguineos, ut avos etc.; 3° consanguineos collaterales, ut fratres, sorores etc.; 4° ipsos coniuges ad invicem; quibus omnibus ex eadem pietatis virtute etiam sub mortali debetur *amor, reverentia* et, cum praesunt, *obedientia ac* in necessitate obsequium seu *beneficentia*. Similiter autem contra proportionaliter.

Observa 1° generatim ad huius et sequentis regulae casus: obligationes parentes inter et filios esse graviores — ita ut facilius grave peccatum committatur — quam obligationes inter alios consanguineos vel alios superiores inter et subditos, sed etiam inter hos ipsos, pro ratione vinculi plus minusve arcti, graviores esse obligationes quam inter extraneos. Quare saepe saltem per accidens necesse est ut in Confessione sacramentali relationis specificae circumstantia manifestetur, nim. si minus ad peccati speciem, tamen ad eiusdem gravitatem distinguendam.

2° Peccata contra remotiores cognatos collaterales malitiam specificam, saltem gravem, contra pietatem continere non censentur. Inter fratres et sorores obligatio succurrendi graviter indigentibus censetur vere gravis.

406. De coniugibus speciatim.

I. Uxor graviter peccare potest praecipue;

1° Si maritum rixis vel aliter verbis ad gravem iram vel blasphemias provocat.

2° Si, *viro spreto,* notabiliter inobediens est et ipsa vult gubernare. Ut plurimum tamen inobedientiâ leviter peccat, quia parere debet ut socia, non ut ancilla. Imo nequaquam peccat omittendo ea quae maritus irrationabiliter exigit; puta si exigeret a femina honestioris conditionis obsequia vilia, v. gr. coquere cibos, domum verrere et similia, quae ab huiusmodi feminis exerceri non solent. Talia exigere tantum posset, si inopia, in quam deciderint, ea necessaria redderet. Secus vero uxor satisfacit curam adhibendo ut illa servitia rite per alios impleantur.

3° Si, *sine iusta causa,* se in administrationem domus ingerat, non adiuvantis sed dominantis modo. Iusta causa foret, si maritus prodigus bona familiae dilapidaret, si incurius vel ineptus esset ad familiam gubernandam, etc.

II. Maritus 1° si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem.

2° Si uxorem impediat quominus satisfaciat praeceptis Dei et Ecclesiae. Si vero sine causa impediret tantum bona opera non praecepta, peccaret per se venialiter solum.

3° Si negligit gubernationem domus et rem familiarem.

4° Si uxorem non sustentat, nisi forte uxor sine causa ab eo discesserit vel adulterium commiserit.

5° Si eam graviter caedat. Moderate castigare verbis vel etiam, ex gravi causa, moderatis verberibus, habita ratione conditionis et status, quandoque potest.

III. Uterque, si gravibus odiis, indignationibus, iniuriis, maledictionibus etc. compartem afficiat: quo spectat zelotypia seu inordinata et temera suspicio de fide alterius.

Regula II. Superioribus ex virtute *observantiae* debetur 407.
generatim a subditis amor, reverentia et obedientia in omnibus ad quae eorum potestas et officium se extendit; quemadmodum et ipsi vicissim subditis debent amorem et officii sui administrationem.

Huc spectant praecipue obligationes 1° herorum et famulorum vel operariorum; 2° magistrorum et discipulorum. Cfr. n. 405, 1 in fine; praeterea

Observa cum Génicot (1): officia dominos inter et famulos vel operarios eo minora sunt quo magis restringitur dependentia in qua vi contractus, legum civilium et morum vigentium, famuli erga dominos constituuntur. Ita leviores obligationes sunt heri ad operarios quam patrisfamilias ad famulos domesticos; pleraeque etiam, si debita iustitiae excipias, mere negativae sunt. Sedulo quoque cavendum ne indiscriminatim nostris famulis vel operariis applicentur ea quae in S. Scriptura de servis proprie dictis leguntur, vel ab antiquioribus theologis de famulis scribuntur: quoad singula enim videndum est num forte mutata temporum ratio applicationem impediverit.

(1) N. 354.

CAPUT ALTERUM.

DE MUTUIS OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE PUBLICA.

408. I. **Principum** officium imprimis est 1° iustitiam administrare sine acceptatione personarum; 2° publicis muneribus dignos et aptos viros praeficere; 3° publicae securitati prospicere; 4° bonum publicum temporale promovere, salva tamen singulorum libertate; 5° Ecclesiam revereri, eiusque consilia ad bonum publicum divinamque gloriam adiuvare.

II. **Subditorum** obligatio continetur subiectione et reverentia. Contra legitimam auctoritatem rebellare seu revolutionem suscitare non licet, etsi ille qui summa potestate potitur, cà per tyrannidem abutatur.

Verum aliud est rebellare, aliud iniquis legibus earumque executioni resistere. At num et quanta vi vim repellere liceat aperte iniustam, si nomine seu sub specie publicae auctoritatis infertur, pendet ab eo utrum successus sperari possit, annon, vel num fortasse maiora mala publica merito timenda sint.

III. **Electores** seu ius suffragii habentes:

1° Generatim obligantur in *bonorum deputandorum electionem* incumbere, si fundata ratione sperant fore ut tali modo iniquae leges bonum commune vexantes impediantur, abolcantur, leges bonae promoveantur; nisi forte haec ipsa electio sumi possit pro usurpati regiminis agnitione. Quare pro circumstantiis aut non licet ad electionem concurrere, aut non expedit, aut licet et expedit, aut etiam oportet.

2° Imo gravis obligatio concurrendi ad eligendos bonos candidatos adest pro iis, qui iuste timere debent, *ne abstinendo* ab electione causa sint cur *sufficiens numerus bonorum deputatorum desit*, atque ita pravae leges in grave damnum publicum ferantur vel sustineantur. — Qui autem id iure non timent, generatim peccant quidem abstinendo, si modo intersit demonstrari quae sit bonorum virorum publica opinio, at communiter peccato

non mortali; imo si gravior quaedam ratio privati damni adest, abstinendo peccatum generatim non committunt.

3° Aliquem pro deputato eligere absolute, qui prava principia sectatur, numquam licet; verum hypothetice licere potest, nim. si possibilitas eligendi est solum inter duos quorum neuter iusta et sana principia fovet, licebit eum qui minus malus est eligere, saltem si aut verbis aut factis declaratur quo sensu et fine haec electio instituatur, et insuper illa electio seu cooperatio ad electionem necessaria videtur ut peior candidatus excludatur.

Hinc 1° si sine catholicorum concursu ille, qui malus quidem at minus malus est, certe victor evasurus est, generatim non existit ratio cur catholici in eius electione concurrant.

2° Si sine catholicorum concursu in prima electione neuter candidatus victor esse potest, in illa prima electione generatim debent catholici, nisi gravior ratio obstet, suffragia sua viro catholico et bono dare, ut hoc modo declarent suam propriam intentionem, atque manifestam reddant rationem cur et sub qua restrictione in posteriori electione ad alterutrum ex acatholicis candidatis accedant.

IV. **Deputati** ex munere suscepto debent pro viribus bonum commune promovere, maxime eo sensu quo electoribus suis consentientes fidem dederunt.

Malis legibus si sunt intrinsecus malae assentiri easve approbare non possunt umquam; alioqui minus bonis assentiri aliquando possunt ut excludantur peiora. Lehmkuhl n. 796 sqq.

TRACTATUS IX.

DE VI ET IX PRAECEPTO DECALOGI.

Quibus sub nomine adulterii prohibetur omnis luxuria, externa sexto, interna nono praecepto. Propter materiae connexionem hoc loco dicemus etiam de licitis et illicitis in Matrimonio seu de debito coniugali.

NOTIONES PRAEVIAE.

409. **Luxuria** est inordinatus appetitus vel usus venereorum, seu delectationis venereae.

Venereum dicitur id quod proxime ad generationem pertinet.

Generatio distingui potest activa et passiva. *Activa* est ipsa copula carnalis maris et feminae, et consistit in ea utriusque unione qua vir membrum genitale in vaginam feminae immittit ac semen ibidem effundit; dicitur etiam coitus, concubitus etc. *Passiva* est vitalis unio seminis virilis cum ovulo femineo.

410. **Organa** quae ad generationem perficiendam concurrunt, in utroque sexu tria potissimum sunt.

I. *In mare* testes seu testiculi duo, vesiculae seminariae item duae, et membrum virile seu fistula urinaria. In testiculis inde a tempore pubertatis elaboratur sperma seu semen virile, quod ut prolificum sit, oportet ut sit corpusculis refertum, spermatozoida quae vocant: quae motibus suis imitantur animalia; num vere animalia sint, non constat; negat Antonelli, *Medicina Pastoralis* I, n. 78 in medio. Semen elaboratum transmittitur in vesiculas, in quibus asservatur usque ad eiaculationem, vel absorbetur et in sanguinem seu hominis substantiam convertitur.

Eiicitur per membrum virile quod etiam virgam, penem, mentulam, veretrum vocant; constatque, praeter ipsam urethram, duplici corpore cavernoso quod urethrae superpositum et innumeris cellulis refertum est, quae si quacumque de causa sanguine extensae fuerint, membrum integrum erigitur et rigescit.

In ipso eiaculationis actu glandula, quae est in capite urethrae et *prostata* dicitur, humorem abundantiorem secernit ad seminalem substantiam magis liquandam destinatum. Praeterea glandulae duae aliae ante eiaculationem liquidum segregant, quo facilior spermati via paretur et ipse urethralis canalis mundetur magisque lubricus fiat.

Utriusque dicti humoris effusio, quam theologi *distillationem* vocant, locum habere potest in puberibus et impuberibus, etiam in castratis; potest masturbatione provocari vel etiam sponte accidere; potest coniuncta esse cum voluptate vel eâ carere.

Similis distillatio contingere potest etiam *in feminis* in actu copulae, vel ubi alias veneream voluptatem quaerunt, effusione humoris e glandulis vulvo-vaginalibus.

II. *In femina* concurrunt ovaria duo in quibus inde ab annis pubertatis singulis mensibus ovulum maturescit; uterus seu matrix, quae formam piri inversi simulat, et in quam ovum maturum et ex ovario decisum per alterutram ex tubis, Fallopianis dictis, lente progreditur; et vagina, quae ad instar flaccidi canalis ab uteri collo seu osculo, quod extremo suo interno amplectitur, per decimetrum circiter ad extra conducit atque in vulvam seu partes genitales externas terminatur. Compara I.

Ovaria et uterus necessario et absolute requiruntur ad hoc ut *generatio* locum habere possit: ovaria quidem quia praebent ovulum, quod ad generationem concurrit ut semen feminae, aeque ac verum semen viri; uterus autem quia sine eo fecundatio non contingit, ne extra-uterina quidem; vagina vero exigitur ut *copula* haberi possit. Cfr. Palmieri ad Ballerini, ed. 3ª, VI, n. 865, et Antonelli op. cit. II, n. 101. — Ceterum generatim necesse non est ut organa ista maris et feminae integra et perfecta adsint, sed pro variis finibus ut plurimum sufficit ut partim habeantur. Cfr. nn. seqq., et dicenda infra de debito coniugali, tum de impotentia in Tr. de Matrimonio.

Os vaginae tenui pellicula fere occluditur, quam *hymen* seu virginis claustrum vel signaculum appellant, et quae semel lacerata iam amplius non redit. Notetur tamen hymen hinc nequaquam semper coitu, illinc non

solo coitu lacerari; quare neque eius praesentia certum virginitatis argumentum, neque eius defectus certum amissae virginitatis indicium suppeditat. Cfr. Antonelli op. cit. I, n. 89.

Vulva constat ex voluta cute, quae nim. plicaturis suis simulat labia, bina maiora et, inter haec, bina minora. Inter labia minora ex parte anteriori extat rudimentalis mentula, sine apertura, quae voluptatis potius quam generationis est organum, atque *clitoris* vocatur.

Inde a tempore pubertatis usque ad menopausim seu aetatem criticam, sc. ad quinquagesimum circiter aetatis annum, quo tempore fecunditas cessare solet, quoties maturi ovuli decisio ex ovario urget, uteri partes interiores replentur sanguine, qui si foetus concipiatur, ad huius evolutionem concurrit, secus vero cum ovulo per organa genitalia effluit. *Fluxus* hic, *menstruus* dictus, per duos tresve, quandoque etiam per plures dies durat; sanguis autem non est, ut veteres autumabant, impurus sed communis.

Interdum mulieris valetudo postulat ut medicaminibus provocetur fluxus menstruus; qua in re nulla est moralis difficultas, cum hic fluxus non sit libidinosus, secus ac ille de quo sub I in fine.

Tempore fluxus menstrui feminae, primis praesertim annis, vehementes patiuntur nervorum irritationes aliisque vexantur incommodis; quae corporis alterationes in vitam quoque moralem vim exercent; iracundiâ praecipue, tristitiâ, melancholiâ agitantur; imo liberum ipsum voluntarium ita quandoque pervertitur ut actus sibi insolitos admittant. Quare benignius et indulgentius eo tempore tractari debent.

411. I. Copula ipsa tribus perficitur: erectione membri virilis, et per illud erectum et rigidum factum penetratione vasis muliebris seu vaginae, atque seminatione viri in eodem vase.

Etiam apud feminam sub venereo influxu contingit aliqua erectio clitoridis; pariterque copulam regulariter venerei aestus seu voluptatis resolutio, atque hanc plerumque genitalium exsudatio seu humoris alicuius viscosi secretio comitatur, quam veteres femineam seminationem dicebant: cf. n. pr. I. in fine.

II. Dicta sub I, pertinent ad copulam *physiologice* perfectam in ordine ad *duplicem* eius finem: *generationem* et *sedationem voluptatis* atque concupiscentiae.

Si autem *sola generatio* respiciatur, singula supra allata ad copulam relative perfectam minime requiruntur. Nam

1. Ex parte feminae nequaquam necessaria est feminea erectio, neque libidinis seu voluptatis resolutio vel genitalium exsudatio seu quasi-seminatio. Quinimo frigidae seu passive omnino intra copulam se habentes, animumque ad aliena divertentes, concipere optime possunt.

2. Ex parte viri *absolute* sufficit ut prolificum semen ad muliebrium os deponatur, ita ut neque penetratio vaginae neque imo ipsa viri erectio sint absolute necessaria. Quamquam rari sunt casus in quibus certo constat ex solo semine ad os vasis deposito habitam esse prolificationem. — Ita docent hodierni physiologi omni exceptione maiores et repetitis experientiis docti (1); cfr. n. 417, I.

Si quaeratur qualis copula requiratur vel sufficiat ad alios, praeter dictos, effectus, distinguendum erit: 412.

I. Si quaeratur quid requiratur ad hoc *ut Matrimonium* legitimum vel ratum *censeatur consummatum*, respondet Sanchez: « Conveniunt omnes consummari Matrimonia quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale, etiam absque illius penetratione; quia id sufficiens est generationi et per id sponsi una caro efficiuntur. Tota itaque consummationis ratio est seminis receptio (2) ».

Sed quid si virile semen citra omnem, etiam inchoatam vel attentatam, copulam emissum, puta in pullutione nocturna, arte tamen vel aliter, mere fortuito et praeter exspectationem, intra vas muliebre fuerit receptum?

Resp. Communiter, vel certe communius, dicunt, in casu matrimonium esse consummatum habendum, quantumvis per accidens vel fortuito. Nonnulli tamen aliter resolvunt; dubitat Palmieri ad Ball. ed. 3ª, VI, in nota priore ad n. 875 in fine. Cfr. Eschbach, pag. 133 sqq. et Antonelli, op. cit. II, n. 236 sqq.; qui posterior tamen *practice* hoc admittit « tantum in casu, quo proles sequitur praedictam emissionem seminis ». — Hic autem fac advertas praesupponi matrimonium validum, de cuius consummatione agitur; cfr. mox dicenda sub II, et Denzinger n. 335 et 354.

II. Si quaeratur *de impotentia* ut impedimento dirimente Matrimonii, seu de potentia coëundi ad validum Matrimonium ineundum requisita, dicendum, saltem ut multo probabilius, videtur requiri potentiam coëundi plus minusve perfecte, ut sc. vir vas muliebre aliquatenus saltem penetrare ibique seminare, utque mulier semen virile intra vas recipere possit. Ratio: quia ius coniugale

(1) Cfr. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*. Disp. I; ubi plura.
(2) *De Matrim.* L. II. D. XXI. n. 2.

ad copulam communi sensu intelligitur, non de sola facultate generandi quacumque demum methodo vel arte, sed per copulam proprie dictam, quaeque praeterea etiam fini Matrimonii secundario, sedandi nempe concupiscentiam utriusque coniugis, sufficiat; haec autem ea saltem requirunt quae mox diximus.

Unde *resolvo* neque ex sola illa mere accidentali vel fortuita feminae fecundatione, de qua sub I, concludi legitime posse ad valorem matrimonii praevie forte initi. Cfr. Eschbach pag. 192 sqq., Aertnys II, n. 563, Qu. 1°. Et immerito, opinor, Antonelli n. 242 dicit: « sibi contradicere videtur Sanchez ».

III. Si tandem quaeratur de copula requisita ad impedimenta affinitatis et criminis aliosque generatim *effectus iuris mere ecclesiastici*, AA. recentiores satis consentire videntur in haec duo: 1) per se loquendo non sufficere ut vir semen ad os vaginae deponat, sed requiri aliquam saltem penetrationem seu veram copulam, ut supra; 2) oriri tamen impedimenta etc. si conceptio, etsi accidentaliter, secuta sit; sed 3) num per se, i. e. excepto casu qui mox supra, requiratur ut etiam femina seminaverit, hoc intelligendo in sensu veterum (cfr. n. 410 I in fine et n, 411), non ita conveniunt. Equidem resolvendum puto: quamvis ratio requirendi hanc feminae seminationem ex scientia physiologica secundum dicta non videatur adesse, nihilominus quia vel in quantum de re, non iuris naturalis vel divini, sed ecclesiastici agitur, sententia illam requiri affirmans, quae hucusque a pluribus et gravibus AA. probabilis habita est, talis haberi etiamnum potest, donec de contraria Ecclesiae mente constiterit. *Adverte* tamen, si de vera copula habita constet, eam in foro externo semper praesumi utrimque perfectam, atque etiam in foro interno idem plerumque praesumendum ex communiter contingentibus. Si tamen res positive dubia saltem sit, pro foro interno supra dicta opinio practice inservire poterit; cfr. dicta de conscientia dubia et probabili.

Observa tandem nos in praedictis ad quemvis effectum semper supponere adesse ex parte utriusque, etiam feminae, omnia elementa absolute necessaria ad generationem. Quamquam respectu feminae quoad organa interiora nonnulli aliter resolvunt: qua de re fusius in Tr. de Matrimonio ubi de impotentia, et cfr. infra n. 417, IV.

I. **Delectatio venerea** itaque ea est quae oritur *ex* irrita- 413.
tione et commotione organorum genitalium, atque *in* iisdem partibus *vel circa* eas sentitur; eamque comitari natus est fluxus cuiusdam humoris secundum generalem legem physiologicam: ubi stimulus, ibi fluxus; n. 410 et 411, I.

Pro viris *completa* habetur in effusione seminis, *incompleta* in motibus et excitationibus effusioni praeviis.

Pro feminis *completa* sentitur in clitoride et bulbo vaginae, item cum humoris secretione e glandulis vulvo-vaginalibus, non tamen plerumque cum effusione ad extra; supremum praeterea delectationis complementum addit irrigatio matricis ferventis semine virili contemperans eius ardorem; *incompleta* sistit in sola commotione, praesertim clitoridis.

Completa satiat naturam seu libidinem, itàque apta est sedare ad tempus concupiscentiam; eàque habità collapsu quodam organa genitalia quiescunt atque ad statum consuetum protinus redeunt.

Naturà suà, ut ex dictis patet, delectatio venerea est actus appetitus sensitivi, seu ut species ad genus pertinet ad delectationem sensibilem: est autem in suo genere maxima, eiusque pariter concupiscentia naturae humanae indita est vehementissima.

II. Specie differt, ut dictum est et ex eius obiecto speciali liquet, ab alia delectatione sensibili, quae, ut *a venerea* distincta dicitur mere sensibilis, organica, naturalis. Haec oritur ex conformitate obiecti *sensibilis* cum respectivo sensu, puta ex aspectu rei pulchrae, ex tactu rei lenis. Quodsi percipiatur ex obiecto *carnali* de se *apto* ad delectationem veneream excitandam, ad hanc tamen *reapse non* ordinetur, puta ex aspectu, tactu, osculo feminae, dici apte potest, et revera dicitur, delectatio *sensibilis carnalis,* itàque iterum distingui ab omni alia delectatione *pure sensibili* atque a *venerea:* sed cavendum a confusione, cum passim AA. nomine delectationis carnalis intelligant veneream.

Et generatim hac in materia a confusione cavendum est, cum alii aliter delectationes distinguant, ita ut semper sedulo attendendum sit quid quisque suis terminis intelligat.

III. Ab utraque delectatione, venereà et mere sensibili, distinguenda ea est quae oritur ex ostensione et satisfactione *honesti* af-

fectus cordis; ut si quis delectatur ex honesto osculo vel amplexu exhibitis in signum casti amoris et amicitiae: haec enim, quamquam delectationem sensibilem vel etiam carnalem (ut supra II) facile comitem habet, potius tamen est voluptas mentis et gaudium animi quam affectus sensitivi. Quare merito notatur (1) sophisma illorum qui omnem delectationem ex amplexu perceptam, si non est mere sensibilis, statim dicunt veneream, perinde sc. ac si de brutis animalibus ageretur.

SECTIO I. DE DEBITO CONIUGALI.

CAPUT PRIMUM.

DE ACTU CONIUGALI UT LICITO (2).

414. **Actus coniugalis,** i. e. copula carnalis inter legitimos coniuges, est in se honestus et licitus, quum ab ipso Deo sit ad propagandum genus humanum ordinatus.

Ut autem reapse sit ab *omni* peccato immunis, requiritur 1° ut exerceatur ex fine recto; 2° debitis in circumstantiis; 3° ut coniuges non ligentur impedimento usum matrimonii prohibente. De quibus conditionibus ex ordine dicemus.

ARTICULUS I.

DE FINE LICITI ACTUS CONIUGALIS.

415. **Fines,** propter quos licite exercetur actus coniugalis, alii sunt proprii alii improprii.

I. *Proprii* sunt 1° et primario procreatio prolis; 2° et secundario sedatio atque adeo remedium concupiscentiae sive in se sive in comparte — qui fines sunt etiam intrinseci seu operis — 3° impletio obligationis erga compartem; 4° affectus coniugalis manifestandus vel augendus.

(1) Ball.-Palm. II, n. 70, ed. 3ª n. 1003; idem Ball. ad Gury n. 414. Cfr. Sporer Tr. X n. 680.

(2) Sporer n. 467 sqq.

II. *Improprii* possunt esse plurimi.

Regulae. I. Finis primarius seu procreatio prolis non 416.
positive sed negative cadit sub obligatione, i. e: non hoc sensu quod positive intendi debet, sed quod non licet positive eum impedire. Sc.: effusio seminis fieri et completa delectatio venerea voluntarie haberi licite solum potest in actu e quo, positis ponendis seu *per se* generatio sequi *potest:* num autem aliae conditiones ad dictum effectum reapse obtinendum necessario requisitae adsint, necne, ad licentiam huius actus non refert.

Ex eo autem quod actus coniugalis est in se honestus et licitus, et quod *nullus* finis *in particulari* est *praeceptus,* plures aliae sequuntur regulae et resolutiones, praecipue quae sequuntur:

II. Ob quemvis finem honestum, sive proprium sive improprium, actus coniugalis licite exercetur. — Sufficit autem ut finis aliquis honestus *implicite* intendatur, atque adeo sufficit quoque ut coniuges coëundo actum hunc generali quodam conceptu tamquam licitum seu honestum apprehendant, etsi de nullo fine actu cogitant. Unde vix umquam ob defectum debiti finis coniuges peccare censeri poterunt, nisi forte quemlibet finem honestum positive animo excludant.

Communius quidem isti regulae et resolutioni Theologi hanc addunt limitationem: modo finis primarius positive ne excludatur; et venialiter peccare putant illos coniuges qui in actu copulae, de caetero ex fine honesto habitae, desiderarent ut non sequatur conceptio. Verum satis probabiliter cum pluribus AA. praetermitti illa limitatio potest; sed secundum supra dicta desiderium illud non est in se malum, at tale solum esse potest ratione motivi ex quo oritur, si hoc non sit honestum.

III. Licite quoque coniuges appetunt seu intendunt voluptatem actui coniugali naturaliter inditam; quod enim Auctor naturae actui inseruit, hoc homo licite in actu licito appetit. Itaque tunc *solum peccant* quum actum illum exercent *ob solam voluptatem,* quolibet alio fine legitimo excluso (1), quia non actus est

(1) Cfr. prop. 9 damnata ab Inn. XI: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali:* Denz. n. 1026; compara n. 1025.

propter voluptatem, minus adhuc solam, sed delectatio est propter operationem; hoc tamen peccatum est *veniale tantum*, quia defectus non cadit in substantiam actus; cfr. n. 34 et 36.

417. **Resolves** I. Licitus est usus matrimonii coniugibus iis qui solum generandi incapaces sunt, uti senes, steriles; idque quamdiu actum ipsum perficere valent eo modo quo per se generatio inde *sequi posset*, vel imo quamdiu eum sic saltem perficiendi *aliquam spem habere possunt*, seu quamdiu *non constat impotentiam coëundi* esse *totalem et perpetuam*; neque eo tempore obstat quod illa vice qua congrediuntur, *sibi videntur* non satis perficere posse copulam, sed semper possunt, deposità illa conscientià et spe aliqua concepta, *conari* sufficienter coire; cfr. n. 411, II. Quare ob impotentiam coëundi perraro prorsus illicitus dicendus est congressus coniugalis. — *Non tamen* perfecte potentibus licet *de industria* tam imperfecto modo coire ut generatio vix sperari possit; cfr. n. pr. I.

Perinde porro est utrum mariti an uxoris conditio perfectiorem congrediendi modum non permittat.

Neque illicitus est coitus eo quod ob senectutem vel aliam dispositionem *semen* plerumque *extra vas* effunditur, quia hoc per accidens evenit. Amplius *aliqua* spes *aliquid* seminis effundendi *intra vas* semper concipi potest: huiusque *tentamen* licet; vide mox dicta de ipso *coitu*.

II. Licitus est actus coniugalis, etsi femina non possit semen intra vas receptum retinere, quia seminis legitime excepti expulsio contingit per accidens; accedit matricem saepe retinere semen sufficiens ad generationem.

III. Licet quidem coniugibus mutuo consensu vel etiam ex pacto abstinere a copula eo tempore quo conceptio *putatur* locum habere facilius posse — a paucis diebus ante usque ad 10^{m} vel 12^{m} diem post menstruationem — eamque habere quum conceptio minus probabiliter expectatur; *dummodo* hac agendi ratione neuter coniugum versetur in periculo incontinentiae, et uterque honesto ducatur fine: quodsi solum finis honestus desit, peccabitur sed per se venialiter tantum. Observandum tamen est, fundamentum huius resolutionis ab aliis omnino reiici. Cfr. Antonelli op. cit. I, n. 467.

IV. Qu. licita num maneat copula si, post matrimonium initum, vir factus est plane eunuchus, vel femina penitus privata ovariis vel utero, vel utrisque, ita ut certo et totaliter impotentes sint ad generandum?

Resp. 1° *De viro castrato* antiquiorum multi affirmabant, et etiamnum affirmant non ita pauci recentiores. *Quoad mulierem* inter recentiores sunt alii qui ob aequiparationem cum viro eunucho facto, alii qui etiam abstrahendo ab hac aequiparatione, affirmant.

Resp. 2° Quamvis rem dirimere potius sapientioribus et maxime Ecclesiae relinquam, fateor tamen mihi *quoad utrumque,* marem et feminam, prorsus negandum videri. Ducor 1): *vir eunuchus* ante matrimonium certo est impotens coeundi, ita ut neque valide contrahere possit, idque ipso iure naturae, ut declaravit Sixtus V Const. 28 Iunii 1587. Quidni talis etiam habendus est, si idem contigerit post contractum matrimonium? Vel quid ad rem facit, quod hoc acciderit praeter vel etiam contra eius voluntatem? 2). *Quoad mulierem,* ex quo certo constat ex eius parte requiri ovulum et uterum eadem necessitate absoluta ac semen virile, qua probabilitate dici potest mere sterilis, quae certo est totaliter impotens generandi, adeoque et coëundi copulâ perfectâ, i. e. apta per se ad generationem? Sed, si omnino impotens, quidni quoad sequelas aequiparanda viro eunucho? Cfr. Antonelli op. cit. II, n. 426 sqq., ubi hanc posteriorem sententiam ut certam defendit, aliosque AA. passim qui alii aliter resolvunt, et dicenda de impotentia in Tr. de Matrim.

ARTICULUS II.

DE CIRCUMSTANTIIS LICITI ACTUS CONIUGALIS.

Dicendum est de situ seu modo, tempore et loco.

Situs naturalis est ut coniuges coëant iacendo, utque mulier 418.
sit succuba, vir incubus.

I. Mutatio situs est per se illicita, cum aliquam ordinis naturae inversionem contineat; sed ex communi per se loquendo

veniale peccatum non excedit; puta si coitus fiat stando, sedendo, more pecudum seu a tergo ut plerumque dicunt (1), a latere, vel viro succubo. Ratio, quia deformitas adversatur tantum accidentali circumstantiae; non enim impeditur conceptio, cum matrix semen virile non recipiat passive seu per descensum sed active illud attrahendo. Periculum vero ne omne semen extra vas effundatur, raro adest. Quare neque Confessarius de hoc interrogare tenetur. Quod autem aliqua seminis pars probabiliter vel etiam certo perit, hoc ex communiori opinione non est mortale, cum inde non impediatur generatio ad quam constat minimam seminis partem sufficere.

II. Omni culpa vacat mutatio situs, si fiat ex iusta causa; uti ad avertendum periculum abortus, ob viri pinguedinem vel curvitatem, ob mulieris defatigationem, ob frigiditatem si innaturali situ magis excitentur, ob foetidum halitum, ad vitandum scandalum aliorum. Cfr. n. 428, IV.

419. **Tempus** nullum est quo per se actus coniugalis sub gravi prohibetur; imo neque sub veniali peccato umquam *ratione temporis* copulam interdici plerique censent. Aliquando tamen *aliunde* gravis prohibitio oriri potest, praecipue ratione damni: rarissime quidem ex proximo abortus periculo, quandoque ex sanitatis notabili nocumento vel gravi ipsius vitae periculo; saepius autem levis prohibitio ex levi periculo vel ex aliquali deordinatione. Porro a veniali culpa practice plerumque excusat iusta coëundi causa quae frequenter occurrit.

I. Tempore menstrui ordinarii communius dicunt coitum per se non excusari a veniali ob indecentiam; sed haec ratio non videtur efficax, cum indecentia haec potius sit physica quam moralis. — Aliud est de ratione a physiologis allata, quod nim. muliebria organa generationis, quae hoc tempore iam in congestione versantur, irritatione copulae iacturam facere, et congestiones uteri diuturniores hinc oriri possunt; haec tamen non videtur generatim ratio gravis prohibitionis, nisi sc. in casu particulari constet grave damnum proxime imminere.

---

(1) Advertat Confessarius dictionem hanc esse aequivocam, quae nim. significare etiam potest copulam *sodomiticam*. Sufficit interrogare num vas *debitum* servatum fuerit, vel num *generatio potuerit* sequi necne.

Tempore fluxus extraordinarii semper est timendum damnum uxoris; quod itaque si experientià vel iudicio medici constaret copulam fore uxori graviter nocivam, haec per se graviter illicita esset; cfr. V; secus vero copula practice licita erit, quia, cum hic fluxus sit perpetuus vel diuturnus, virum excusat grave incommodum et saepe incontinentiae periculum.

II. Tempore praegnationis communius copulam licitam esse sentiunt, nisi adsit periculum abortus, quod praecipue adesse potest primis post conceptionem mensibus. Notant vero 1° praegnationem initio numquam certo sciri; 2° abortum solum timendum esse si copula saepius vel impetuosius instituatur; 3° periculum ex compressione corporum caveri posse mutando situm.

III. Tempore purgationis puerperalis illicitus per se est concubitus, quamdiu inde damnum uxori oriretur. Grave autem damnum plerumque non est timendum nisi primis post partum diebus. Capellmann (1) putat per duas hebdomadas copulam fore graviter illicitam ob gravissimum periculum, quod tamen ita generaliter dictum alii medici negant.

IV. Tempore lactationis communissime censent coitum esse licitum, tum quia eo tempore raro concipit mulier, tum quia, si forte concipiat et inde lac diminuatur vel desinat, proli natae alia via consuli potest, neque propter aliquale eius nocumenti periculum tenentur parentes cum tanta difficultate abstinere.

V. 1. Tempore morbi *contagiosi,* si hic est *venereus* seu syphilis (2), usus matrimonii, saltem per se, dicendus est graviter illicitus, tum ob horrendam huius morbi naturam, tum ob certitudinem contagii per copulam saltem quamdiu externa morbi signa apparent. — Attamen quia non inducit proximum periculum mortis brevi secuturae, non videtur copula absolute prohibenda si altera pars de contagio instante monetur et gravis causa urget, puta incontinentiae periculum vel graves inimicitiae vitandae.

2. *In aliis contagiosis* morbis pensanda sunt *gravitas morbi* qui comparti communicari potest, *probabilitas contagii,* et *necessitas copulae* habendae quam alteruter experitur.

(1) *Med. past.* pag. 151, ed. 13ª lat. 5ª pag. 156.

(2) Quem *morbum gallicum* theologi vocant.

3. Si non contagiosi sunt morbi et 1° *leviores* nec multum debilitantes, copula *licita* est, quia per eam morbi non fiunt peiores; sed 2° *illicita* est si morbi sunt *multum debilitantes* et cum febri ac magno dolore coniuncti: hi enim per copulam ordinarie multum ingravescunt. Ad posterius genus morborum numerari debent aegrotationes genitalium in muliere, quae per usum matrimonii adeo augeri solent ut difficulter postea sanentur.

Nota 1. Mulieres quibus medici dicunt *proximum partum mortem allaturum*, non sunt obligandae ut ab usu matrimonii abstineant; tum quia conceptio incerta est, tum quia eiusmodi iudicia medicorum, experientia teste, saepe falsa sunt.

2. Cum *phtisis* non sit morbus contagiosus sed hereditarius, non est cur coniuges ea laborantes propter periculum contagii ab usu matrimonii abstineant; frequentior tamen copula eis multum nocere potest (1).

3. Semper diligenter cavendum est *damnum* quod proli *iam conceptae* inferatur, ex. gr. per morbum qui praegnanti communicaretur et in infantem transiret — quod de syphilide non contingeret. — Nulla vero datur ratio abstinendi a copula quia proles concipienda nascetur morbida, vel etiam antequam in lucem edatur, moritura est. Semper enim valet ratio quam S. Th. (2) affert de prole coniugum leprosorum: « melius est ei sic esse quam penitus non esse » (3).

420. **Locus** debet esse 1° *profanus;* nam coire in Ecclesia est graviter prohibitum; 2° *secretus,* ne aliis grave scandalum praebeatur; cfr. n. 403 et 428, IV.

ARTICULUS III.

DE IMPEDIMENTIS PROHIBENTIBUS ACTUM CONIUGALEM.

Quae sunt votum castitatis de quo in Tr. de Matrimonio; affinitas; impotentia *coëundi* de qua n. 417, I; dubium de valore Matrimonii.

421. **Affinitas** contracta per copulam incestuosam consummatam (4) cum persona comparti consanguinea in 1° vel 2° gradu.

Ab hoc impedimento, quia est poena excusat 1° ex communi metus gravis, etsi hic non excusaret a peccato; 2° ex communiori

(1) Noldin n. 71, *b*.
(2) Suppl. q. 64, a. 1.
(3) Génicot n. 544 in fine.
(4) Vide supra n. 412, 3°.

ignorantia non tantum facti sed etiam iuris, imo probabiliter adhuc sola poenae ignorantia. — Hinc cum plerumque ignoretur saltem poena, haec raro incurritur.

I. Voti vel affinitatis impedimento ligati illicite petunt 422. iis etiam in casibus quibus strictum ius, ex iustitia, in compartem non amiserint.

II. Reddere possunt, imo tenentur quamdiu compars *iure* petit. Id quoad votum valet etsi emissum sit *ex consensu* compartis quae *tamen non cessit iure* petendi; imo licet uterque ex *mutuo* consensu, sed *sine iuris cessione* vovisset, adhuc teneretur alter alteri petenti reddere; cfr. n. 428, IV.

III. Petere quoque possunt imo debent ex communi 1° *si compars est in periculo incontinentiae,* quia tunc obligatio ex ipso fine matrimonii oritur, cui cedit obligatio propria voluntate suscepta vel iure humano imposita; 2° *si compars tacite petit,* v. gr. si uxor prae verecundia non petit, vir tamen sentit ab ea copulam appeti, cum tunc sit potius reddere quam petere; cfr. n. 425, I.

IV. Qui affinitate, *non* qui *voto,* impeditus est, probabiliter secundum nonnullos, contra plures, petere potest ob *proprium* incontinentiae periculum, si tamen hoc difficulter alio modo vincere neque brevi dispensatio haberi possit.

V. In impedimento affinitatis et pariter in voto castitatis, sive *ante* sive *post* Matrimonium emisso, in ordine *ad petendum debitum* dispensandi facultatem habent, praeter Episcopos, Confessarii Ordinum mendicantium. Qua facultate ut hi possint uti, secundum varias sententias vel nulla specialis deputatio requiritur, vel requiritur deputatio a Generali vel Provinciali Superiore, vel requiritur et sufficit deputatio a Superiore locali (1).

Dubium fundatum *de valore Matrimonii* (2). 423.

I. *Durante debita inquisitione* de rei veritate dubitans non potest petere, sed reddere tenetur si com-

---

(1) S. Lig. *de Priv.* n. 108 sq. et Lib. VI n. 1076 An autem.
(2) Cfr. n. 55 sqq.

pars bona fide petit, idque licet pro valore Matrimonii nullam haberet probabilitatem quamdiu tamen de nullitate certo ipsi non constat.

Quodsi uterque dubitat, eo tempore neuter sive petere sive reddere potest.

II. *Dubio perseverante* post debitam inquisitionem:

1. *Si* Matrimonium *bona fide* contractum est, communissime et probabilissime censent etiam petitionem debiti licere; id quod confirmatur ex praxi Ecclesiae in casu impotentiae. Idemque, contra plures, alii satis probabiliter admittunt, etsi Matrimonium sit probabiliter nullum et nulla pro valore probabilitas habeatur.

2. *Si* cum dubio adeoque *mala fide* Matrimonium est initum, 1° plures negant licere petere, quia possessio mala fide inchoata non confert ius. 2° Verum satis probabiliter alii affirmant ex regula: in dubio standum est pro valore actus, ita exigente bono communi; *excipiendus* autem est casus quo dubitatur de solutione *prioris Matrimonii,* cum tunc praevaleat ius prioris coniugis.

3° Communiter permittunt petitionem, si Matrimonium reputetur probabiliter validum, etiamsi probabilius esset nullum. Sed etiam in hac hypothesi, contra quosdam, idem qui supra casus omnino videtur excipiendus.

III. Reddere autem *bona fide et iure petenti* semper tenetur dubitans, etiam in dubio de solutione praecedentis Matrimonii; quum ius certum secundi coniugis praevaleat iuri incerto prioris.

424. Nota 1. Ultra iam dicta plures docent AA. oriri per modum poenae impedimentum supervenientis cognationis spiritualis casu quo pater vel mater propriam utriusque vel compartis prolem baptizaret vel susciperet 1° culpabiliter, i. e. cum scientia prohibitionis et poenae, et 2° extra necessitatem, et 3° sine malitioso animo incurrendi impedimentum. Sed probabiliter plures alii hoc impedimentum negant pro omni casu, quia ex nullo jure clare colligitur.

2. Ad dicta hoc et pr. artt. adverte demum, ea praecipue spectare petentem actum coniugalem ex circumstantia quapiam vèl impedimento illicitum. — De reddente illicite petenti cfr. n. 428 IV.

CAPUT SECUNDUM.

DE ACTU CONIUGALI UT DEBITO (1).

ARTICULUS I.

DE IPSA OBLIGATIONE.

425. I. Petere debitum *per se* numquam tenentur coniuges; sed quandoque *per accidens,* v. gr. si petitio debiti necessaria videtur ad avertenda vel finienda dissidia etc., vel ad vitandum peccatum compartis quae videtur in periculo incontinentiae nec tamen petit. Quo posteriori casu si compars aliquo iudicio desiderium copulae manifestat sed prae verecundia tacet, altera pars non tantum ex charitate, ut in aliis casibus, sed ex iustitia obligari videtur; quia tunc compars sufficienter, quamvis tacite, petit, consequenter altera pars potius reddit quam petit. Porro maritus saepius, uxor raro, tenebitur reddere tacite petenti.

II. Reddere debitum serio et rationabiliter petenti est *per se* gravis obligatio iustitiae, et *saepe* etiam *charitatis;* adeoque negatio per se grave peccatum.

III. Excusatur a gravi peccato *iniustitiae* negans debitum, si vel non in omni rigore, vel minus rationabiliter petatur; puta 1° ob facilitatem petentis quum remisse petit, vel ad preces compartis facile remittit: et 2° probabiliter ob parvitatem materiae si saepe petenti raro negatur, v. gr. semel in mense; et magis si redditio solum brevi differtur, v. gr. a die ad noctem, a nocte ad mane; quibus etiam casibus rationabilis causa ab omni peccato excusat.

Excipe tamen: nisi — quod saepe timendum — ex negatione compars exponatur periculo incontinentiae, vel oriturum praevideatur grave dissidium etc.; tunc enim negans *saltem contra charitatem graviter* delinqueret, *nisi gravis causa* excusaret.

(1) Sporer n. 506 sqq.

426. I. *In praxi* itaque negatio et vel sola dilatio debiti, nisi ex iusta causa fiat, *generatim* est dissuadenda.

II. Difficulter a gravi excusari possunt peccato *uxores*, quae magnam in reddendo morositatem ostendunt cum *periculo* magisque si cum *animo* maritum a petendo avertendi; quae usum corporis nonnisi coactae permittunt; vel quae viro suas petitiones dure et contumeliose exprobrant. — Qua de re uxores, habita tamen ratione conditionis earum aliarumque circumstantiarum, quandoque sunt modeste a Confessario interrogandae, maxime si ipsa earum confessio suspicandi adeoque et interrogandi ansam praebeat, v. gr. si ipsae loquantur de actu coniugali vel conquerantur de molestia mariti, de dissidiis habitis etc.

III. Pariter et *illi mariti* graviter obligationi suae praesertim pietatis erga uxorem deesse censendi sunt, qui vèl *ut prolem evitent*, vel *ex aversione aut contemptu uxoris*, vèl *amore erga alias capti*, proprias uxores numquam vel raro cognoscunt, licet satis advertant vel praesumere debeant hoc illis valde displicere.

427. Ex obligatione debiti reddendi sequitur obligatio cohabitandi, ita ut neque unus diu abesse possit sine alterius consensu vel sine necessitate. Vir autem, qui diu domo abesse debet, tenetur uxorem hoc desiderantem secum ducere, *si* quidem *commode* possit; pariterque uxor per se sequi debet virum ita exigentem.

ARTICULUS II.

De causis a debito reddendo excusantibus.

428. **Causae excusantes** sunt:

I. Cessatio vel privatio iuris exigendi *in petente*. Quae locum habet 1° in casu adulterii (1). Adulter tamen, nisi affinitatis supervenientis impedimentum contraxerit secundum exposita n. 421, non peccat amice petendo debitum. — 2° Durante *primo*

(1) De quo in Tr. de Matrim.

bimestri a contracto Matrimonio ex privilegio ab Ecclesia in favorem status religiosi concesso; sed cfr. Tr. de Matrim. — Debito semel *libere* reddito cessat privilegium. Ceterum est fidelibus prorsus ignotum. — 3° *Abdicari potest* ius exigendi renuntiatione vel unius vel utriusque partis mutuo pacto.

II. Grave incommodum subeundum vel prudenter timendum. Imo ob grave sanitatis vel vitae periculum vel detrimentum proxime imminens, sive proprium sive petentis sive prolis iam conceptae, redditio per se potest esse graviter illicita, nisi gravis causa puta vitandi peccatum incontinentiae proprium vel compartis, vel magnum dissidium excuset.

Huc pertinet *petitio immoderata,* vèl *absolute,* ut si vir quater una nocte peteret, vel habitualiter uno alterove coitu non esset contentus, vèl *relative* ad debilitatem corporis. v. gr. ob phtisim incipientem vel aliam chronicam infirmitatem.

III. Defectus usus rationis in petente, ut si esset ebrius vel amens, quia talium petitio non foret actus humanus. Imo generatim *consultum* est ut vitetur coitus cum ebrio, maxime cum habitualiter ebrioso, vel cum amente, praecipue cum uxore amente nec sterili, ob periculum gignendi prolem hebetem, mutam, etc., vel etiam abortùs prolis concipiendae; cfr. n. 419 in fine.

IV. Malitia actus petiti. — 1. *Si malitia* afficit *ipsum actum* petitum et 1° haec est *gravis,* v. gr. si petitur copula cum gravi aliorum scandalo vel huius probabili periculo, cum periculo evidente ac sine causa permisso seminandi extra vas etc., compars nec tenetur nec potest reddere, *per se,* sicut non posset consentire petenti actum contra naturam; cfr. II. — 2° Si malitia est *levis,* compars plerumque licite reddit, quia vix non semper aderit rationabilis causa; sed per se non tenetur reddere, quia petens non habet ius ad actum etiam leviter tantum malum, nisi et ipsum quaedam causa excuset.

2. *Si* malitia solum *afficit petentem,* puta quia voto ligatus, affinis ex copula incestuosa, quia petit cum mente adultera, 1° ex communi licite reddit compars, cum haec ius habeat ad copulam, et delictum vel obligatio unius coniugis praeiudicare non debeat iuri alterius. — 2° Imo secundum multos et valde probabiliter

tenetur reddere, si petens instat, nisi hic amiserit *ius* petendi. — Merito autem plures advertunt consulendum coniugi, qui illicitam alterius petitionem praevidet, ut compartem moneat si fructus speretur, vel etiam petendo praeveniat nisi hoc nimis grave ipsi videatur.

De uxore viri onanistae speciatim infra dicetur n. 441 sq.

429. Quaeritur, num serio petenti licite negetur debitum ob timorem prolis numerosioris?

Resp. I. Non pauci affirmant, *si* revera parentes plures liberos *secundum statum* suum educare non possent, *et* non adsit periculum incontinentiae; quia gravis difficultas excusat a solutione cuiusvis debiti.

II. Multi negant, saltem extra casum extremae necessitatis imminentis; tum quia dictum incommodum est obligationi debiti intrinsecum; tum quia si perpetuo negaretur debitum, vix abesse posset incontinentiae periculum; si vero aliquoties concederetur, negatio foret inutilis, cum rarius coëuntes eo facilius concipiant.

Sententia prior probabilis, posterior probabilior, saltem practice, videtur. Ceterum cfr. n. 417, III.

Nota. Quodsi forte maritus familiae curam negligit, onusque alendae prolis uxori relinquit, censeri debet *ius* petendi amittere, adeoque uxor excusari a debito reddendo.

CAPUT TERTIUM.

DE ACCESSORIIS AD ACTUM CONIUGALEM DEQUE PECCATIS CONIUGUM (1).

430. Quoad actus mutuos communiter admittuntur hae regulae:

I. Quidquid est secundum finem — praesertim primarium seu prolis generationem — est licitum; seu culpâ vacant inter coniuges ea omnia quae suapte natura ordinantur, et a coniugibus referuntur ad copulam, ut tactus, oscula, amplexus, sermones, aspectus, etiam minus pudica vel impudica. Cfr. n. 415 sq.

---

(1) Sporer n. 495 sqq.

II. Quidquid est contra finem primarium, est graviter prohibitum. Communiter idem dicunt de eo omni quod notabiliter excedit terminos honestatis naturalis; cfr. n. sq. I.

III. Quidquid est praeter finem, i. e. neque secundum neque contra finem, est vèl *veniale*, vèl *saepe nullum* peccatum si nempe bono fine vel rationabili causa fiat; cfr. n. 418.

Resolvitur I. — 1. Grave peccatum, gravius imo quam 431.
inter solutos, est 1° copula consummata extra vas naturale, quae si fiat in vase *praepostero* est peccatum *specie ab aliis distinctum*, sc. vera *sodomia imperfecta;* si fiat in ore, nonnulli pariter peccatum distinctum esse dicunt et vocant irrumationem; secus pertinet ad id quod sequitur, sc. 2° pollutio, eiusve proximum periculum, voluntaria; quo pertinet et onanismus. — De hisce solis plane certo et secundum omnes constat esse gravia peccata.

2. Communiter dicunt grave peccatum esse copulam sodomitice inchoatam etsi animo eam perficiendi in vase debito. Sed, inter recentiores praecipue *nonnulli graves AA. probabiliter aliter sentiunt.* — In communi opinione attendendum saltem est ad bonam fidem coniugum.

3. Pariter contra communem quidem, attamen plures quam sub 2 mortale committi negant 1° si uxor simpliciter osculatur, vel 2° lambit, vel 3° obiter solum ore excipit membrum virile; vel 4° si maritus in superficie tantum vasis praeposteri uxoris fricaret sua verenda, sine pollutionis periculo vel sodomiae affectu.

II. — 4. A peccato excusandi videntur coniuges, si 432.
uxor virilia mariti attrectat et movet; vel si vir digitos in vas uxoris *naturale* intromittit, in ordine ad copulam proxime habendam, *dummodo* debita adhibeatur diligentia ad vitandam seminationem extra vas; secus enim essent quasi inchoata pollutio, cfr. n. sq. 2).

Quodsi in actu copulae vir immittit digitum in vas *praeposterum* uxoris, in hoc non per se praesumendus est affectus ad sodomiam, nec consequenter peccatum mortale (1).

---

(1) Cfr. S. Lig. n. 935.

5. Quodsi autem ea de quibus sub 4 vel similia fiunt solius maioris voluptatis causa, venialia erunt; cfr. n. 416, III. Sic v. gr. difficulter peccatum veniale aberit, si maritus postulet ut uxor plene nudam se conspiciendam ei praebeat, vel si alter alterum omnino nudum conspiciat.

433. III. — 6. Si tactus aliave minus pudica vel impudica ad copulam non ordinantur.

1) *Secluso periculo pollutionis,* adeoque iis exceptis de quibus sub 4, erunt venialia si fiant ob solam voluptatem, quia sola deficit debiti finis intentio; *si vero fiunt ex fine honesto, nullum peccatum.* Cfr. n. 430, III.

2) *Cum periculo* pollutionis proximo et praeviso (1), 1° tactus illi impudicissimi de quibus sub 4 *mortalia* sunt ex parte tum reddentis vel admittentis tum petentis, saltem *si cum aliqua mora* fiant; *mitius* forte iudicari poterit *si obiter* fiant. 2° De aliis tactibus idem resolvendum, si fiant sine iusta causa; *excusantur* vero *ob iustam causam,* quales inter coniuges variae esse possunt maxime ex parte reddentis vel permittentis, modo absit vel sedulo caveatur periculum consensus directi in pollutionem.

434. IV. — 7. Quae n. pr. dicta sunt permitti inter coniuges, eadem ipsis licent etiam quum ipsa copula illis est vetita vel impossibilis, *dummodo* haec *ne* sit prohibita propter *dubium practicum de valore Matrimonii* secundum exposita n. 423, vel propter *votum castitatis:* quo utroque casu omnis delectatio venerea ipsis aeque ac solutis est interdicta, nisi forte in casu voti emissi expresse hoc restrictum sit ad abstinentiam a sola copula. Quare inquietandi non sunt coniuges a copula impediti si tactus aliaque etiam minus pudica inter se exercent; modo ad vitanda venialia semper *ex fine honesto* implicite saltem intento procedant; cfr. n. 415 sq.; et, quoties adest periculum pollutionis, ad vitanda mortalia agant ex iusta causa.

435. **Fecundatio artificialis** proprie dicta certo est illicita: ex Resp. S. Off. 24 Mart. 1897, et ratio est quia finis bonus non obtinetur nisi per medium in se malum. *Haec* nim. ha-

(1) Cfr. n. 436, II.

betur si vir *solitarie* vel *onanistice* effundit semen, quod vasculo exceptum medicus aliusve peritus, puta ipse maritus, ope syphunculi in organa mulieris infundit. — Aliud resolvendum videtur de alia methodo, qua sc. post copulam *rite habitam* medicus (ut supra) semen virile *ex ipso vase femineo* haurit et in uteri fundum iniicit. Haec enim potius dicenda est fecundatio arte *adiuta*. Quamquam etiam haec facile abusibus ansam praebere potest (1).

Graviter illiciti sunt coniugatis magis etiam quam solutis propter laesum ius matrimoniale, 436.

I. Actus turpes cum tertio exerciti. Quare etiam graviter peccant coniuges qui matrimonio utuntur mente adultera, i. e. loco proprii coniugis sibi aliam personam fingendo et in cogitato cum ea coitu voluntarie delectando.

Quod autem coniux sese ad copulam cum propria comparte excitat imaginando sibi aliam personam cum affectu ad eam non venereo sed sensuali — puta cogitando solum de eius pulchritudine, non vero de actu inhonesto cum ea exercendo — vel respiciendo imagines diversi sexus, non tamen sacras, vel etiam cogitando de copula aliena seu inter duas alias personas habita, hoc quidem non videtur peccaminosum in se, sed excusari tamen ab omni peccato vix potest *ratione periculi*. Quia tamen de periculi existentia et gravitate in casibus particularibus saepe admodum difficile est iudicium ferre, in praxi Confessarius coniuges dictis modis se excitantes saepe non poterit certo reos iudicare peccati gravis, et officio suo satisfaciet eos monendo et dehortando.

II. Actus solitarii perfecti seu pollutio vel quibus proximum pollutionis periculum inducitur. Hoc autem periculum abesse potest etiam eo quod compars praesens est, et sese tangens etc. statim, si opus fuerit, copulam habere potest et proponit.

1. Actus solitarii imperfecti, puta tactus, aspectus suimetipsius, si fiant in ordine ad copulam seu ad se excitandum ad copulam proxime habendam, aequiparantur actibus mutuis de quibus n. 430 sqq. 437.

(1) Cfr. Eschbach, op. cit. pag. 70 sqq.

II. Sine ordine ad copulam et ob solam delectationem facti, sed secluso, ut ponitur, pollutionis periculo 1° ex communiori opinione sunt nihilominus graviter illiciti, quia non apparet quare ius copulae habendae cohonestet actus solitarios quum ipsa copula positiva intentione excluditur; — 2° ex alia *probabili* opinione sunt solum *leviter* peccaminosi, quia tales tactus *naturâ suâ* ordinem habent ad copulam, et delectatio venerea etiam directe voluntaria, seclusa pollutione, est coniugatis natura sua licita; quare solum deest debitus finis.

438. I. Delectatio morosa, *gaudium* et *desiderium* de copula habita vel habenda, aliisve quae coniugibus licent, non sunt in se mala, cum sint de obiecto licito.

II. Delectatio venerea *inde* oriri nata, *si* vèl directo voluntario quaeritur aut admittitur, vèl est *notabilis* et praevisa seu indirecte voluntaria 1° secundum nonnullos est mortaliter mala, quia ex se non tendit nisi ad pollutionem; — 2° *communius* tamen docent eam *non* esse *graviter* peccaminosam, nisi adsit periculum pollutionis, quia solum deficere videtur debitus finis. — Equidem puto casum hunc potius aequiparandum esse casui n. pr. II.

Appendix de Onanismo.

439. **Onanismus** distingui hodie potest nativus seu proprie dictus et artificialis.

I. Onanismus proprie dictus est inceptae copulae abruptio ut semen extra vas effundatur et generatio impediatur. Cfr. n. 443.

II. Alius iam eiusdem peccati committendi excogitatus est modus, artificialis, in eo *generatim* consistens quod copula specie tenus satis perfecta habetur, sed instrumentum vel medium praeservativum adhibetur, quo efficitur ut semen virile, licet in vagina effundatur, tamen feminam fecundare nequeat. *Speciatim* hic artificialis onanismus committitur praecipue 1° usu tenuis indumenti quo vir membrum virile induit, itàque copulam exercet, quo fit, ut semen non in vagina sed in eo indumento maneat, cumque eo retrahatur; 2° ope instrumenti, pessarium occlusivum

quod vocant, quod in vagina mulieris introducitur prope os uteri, et quo introitus seminis in uterum praecluditur; 3° usu spongiae, quae eodem modo adhibetur ac pessarium; cui succedit usus siphonis, qui irrigator vocatur, quo post copulam et spongiae extractionem residuum in vagina semen eluitur; vel etiam solis lotionibus brevi post copulam semen expellitur — cuiusmodi lotiones etiam cum mera aqua ut sine periculo seminis expellendi fiant, probabiliter trium quatuorve horarum spatium elapsum post habitam copulam sufficit, sed etiam requiritur — 4° iniectione in vagina cuiusdam medii quo virile semen substantialiter corrumpitur.

Malitia utriusque onanismi eadem est; differentiam practicam respectu *uxoris* vide n. 442.

Resolutiones. I. Onanismus nullus ulla umquam ratione cohonestari potest *ex parte agentis.* **440.**

II. Graviter peccat uxor quoque — haec enim plerumque est patiens, non agens — 1 si viri peccato, i. e. non tam copulae inceptae sed *abruptae* consentit, vel eum se retrahere approbat vel desiderat; — 2° gravius si viri peccato cooperatur seu causam ponit, etsi indirecte vel tacite: id quod non raro uxores faciunt conquerendo de numerosiore prole, de partûs doloribus vel periculis. — Quodsi ipsa se retrahit, aliove quodam ex supra dictis modis generationem impedit, iam ipsa, ut agens, principaliter peccat, quamquam forte non sola.

III. Uxor viri onanistae proprie dicti (n. 439, I): **441.**

1. Maritum ex pietate monere debet ut rite copulam perficiat, si et quoties fructum ex monitione sperare, et monere potest sine timore gravis incommodi, magni dissidii, indignationis etc.

Quodsi monere nequit, suadent AA. ut saltem aliquo modo suam displicentiam de viri peccato patefaciat; utque blanditiis, variis amoris significationibus, precibus etc. maritum inducat vel ad abstinendum, vel, quod praestat, ad actum perficiendum.

2. *Quodsi haec omnia* frustra tententur, vel fieri non possint vel ut fiant non expediat, puta quia vir est in bona fide in eaque prudentiae ergo relinqui debet, ita ut reapse onanismus committendus praevideatur,

1° Uxor nihilominus petenti reddere certo potest *si* adsit gravis causa: id quod constat ex pluribus Respp. S. Poen.

2° Gravis causa non videtur requiri, quia uxor operam dat rei licitae — malitia enim non est in copula in quantum haec habetur, sed solum in *retractu* viri seu in copulae *abruptione* — imo utitur iure suo.

3° Quinimo, *etiamsi uxor sine gravi incommodo negare posset,* probabilius non solum potest sed tenetur reddere *si vir instat,* quia malitia solum se tenet ex parte petentis; cfr. n. 428, IV. 2 et S. Lig. n. 947.

4° Petere non potest debitum uxor, *nisi adsit iusta causa;* secus enim debet impedire peccatum viri. Iustam autem causam petendi habebit si sit in periculo incontinentiae, vel si secus privaretur suo iure petendi plus quam semel vel bis cum perpetuo scrupulo an sit sibi satis grave incommodum, necne, tunc se continere; S. Lig. ib. et communiter.

5° Quoties uxor licite permissive se habet ad peccatum viri, non peccat consentiendo voluptati ex copula perceptae. Item inefficax complacentia, non de malo opere in se, sed solum de effectu inde secuto, reatum per se non continet; cfr. n. 137, 2. Et hoc sedulo advertendum est, ne inaniter vexetur uxor, quae dum crimen viri efficaciter detestatur, — id quod inde probatur quod si optio illi daretur, numquam abusum vellet — potest alioquin gaudere de immunitate ab incommodis periculisque quae gestationem, partum etc. comitantur. Ball. ad Gury n. 923: ed. Palm. n. 735, 2°.

Praetereundum tamen non est huiusmodi complacentiam seu gaudium non carere periculo.

442. IV. Numquam potest uxor usum corporis concedere viro qui *verum* (1) onanismum artificialem commissurus est, seu ope instrumenti praeservativi; sed ei semper *pro viribus et circumstantiis resistere debet* quia huiusmodi copula ex parte ipsius *actus* et *totaliter* iam *ab initio* illicita est.

---

(1) Vide n. 435. Foecundatio artificialis *improprie dicta* non est onanismus, nec hunc supponit.

Aliud resolvendum videtur « *de marito* qui ad uxorem accedens moneretur, se nesciente vel etiam invito, hanc uterum medicamento strinxisse ne conciperet. Si quaeras utrum tunc maritus, ut concupiscentiam sedaret, licite rem coniugalem perficeret, affirmando responderem ». Ita Eschbach, op. cit. p. 580, nota 2. Quam resolutionem practice admittendam puto, eo quod vix certo constare potest de omnimoda impossibilitate conceptionis. Cfr. Antonelli op. cit. I, n. 459 sqq.

A peccato onanismi probe distinguenda est fortuita vel ne- **443.**
cessaria abruptio copulae, quae etsi seminatio extra vas inde praevideatur vel timeatur, licita est ex gravi causa: puta ad evitandum scandalum si ex improviso quis adveniens coëuntes coniuges videre posset; vel quia copula sine gravi difficultate ex vehementi dolore vel aliunde superveniente continuari non posset.

Quaesita. I. Num graviter peccat vir, qui parum tantum **444.**
penetrando vas uxoris in introitu vaginae totum semen effundit?

Resp. 1° *Opere* negative, quia hic modus coëundi reddit generationem minus probabilem quidem, eam tamen non impedit, et coniuges non tenentur eligere certiorem modum generandi. Saltem hoc damnari non potest de mortali, atque ex rationabili causa ab omni peccato excusari potest; cfr. n. 411, II et 417, I.

2. *Mente* affirmative si putet vel intendat hoc modo impedire generationem; secus, iterum negative; cfr. Aertnys n. 496, Qu. 6°.

II. Num graviter peccat uxor si statim post copulam surgit vel mingit?

Resp. Peccare potest ob pravum animum expellendi semen; quod tamen cum frustra tentet, hinc *per se* negative.

III. Num graviter peccant coniuges, si uterque in actu copulae seminationem cohibet?

Resp. Negative, *modo* fiat ex mutuo consensu et pro utroque sine periculo pollutionis. *Practice* tamen *vix permitti* hoc potest, cum plerumque adsit illud periculum saltem in alterutro, nisi forte oppositum coniuges experientiâ sciant.

Excusari facilius possunt coniuges coëuntes ex intentione actum perficiendi, eumque interrumpentes indicantes non esse periculum.

IV. Num graviter peccat maritus si cohibet seminationem, quum iam uxor seminaverit vel ad seminationem est excitata?

Resp. *Per se* affirmative, si nim. data opera et sine gravi causa hoc faciat, quia causa esset quod uxor pollueretur.

V. Num graviter peccat uxor si, viro seminante, ipsa seminationem cohibet?

Resp. Negative, quia mulieris seminatio solum utilis sed minime necessaria est ad conceptionem. At peccare potest ob pravam intentionem.

VI. 1. Num, viro post seminationem se retrahente, licet uxori statim tactibus se excitare ad seminationem?

Resp. Sunt qui negent quia videtur vera pollutio. Sed communiter et multo probabilius affirmant quia pertinet ad perfectam copulae consummationem quae requirit hanc feminae quasi-seminationem, ad quam illa ius habet, et quae consummatio in casu adhuc obtinetur; cfr. n. 411.

2. Eadem ratione *idem* licere videtur *immediate ante* copulam. Neque probari potest seminationem uxoris *debere* illam viri *sequi*.

3. *Contrarium* hinc communiter resolvunt *si* vir onanista *ante seminationem* se retrahit. *Sed* etiam tum hoc *probabiliter licitum* putant nonnulli recentiores, posito onanismum proprio modo contigisse, n. 439, I: tum quia uxor non debet ob culpam mariti prohiberi a plena voluptate ad quam ius habet et a qua post tantam excitationem aegerrime abstinebit; tum quia difficile scire poterit mulier nihil seminis in vaginam effusum esse: multum enim abest ut certum sit onanistae turpem actionem semper prodesse (1).

4. Ad 1 et 2. Ne inaniter futilia obiiciantur, observa 1° copulam physiologice perfectam, de qua hic sermo, esse actum moraliter unum duorum, sc. maris et feminae. Quare ne obiiciatur, actum completum non posse referri ad alium actum. Quaestio sola est num in casu 1 et 2 habeatur moraliter unus actus completus. — 2° Quasi-seminatio feminae, de qua hic agitur, quamvis perti-

(1) Berardi *Prax.* n. 996; Génicot n. 546; Capellmann pag. 140, ed. lat. 5ª p. 145 sq.

neat ad copulam physiologice perfectam, nihil tamen necessarii praebet ad finem primarium copulae seu prolis procreationem. Quare sub hoc respectu nihil frustratur, estque omnino diversa conditio feminae a conditione viri. Ista quasi-seminatio potius inservit ad delectationem feminae completam; haec autem ei licet in copula atque in sola copula. Quaestio itaque est utrum in his casibus femina, secus ac vir qui idem faceret, vero sensu dici possit habere illam delectationem in copula coniugali: ad quod observa — 3° Pro femina, secus ac pro viro, moraliter perinde est utrum seminationem, de qua agimus, habeat ipso tempore copulae, an immediate ante vel post; quia, in supposito, semper pertinet ad copulam perfectam, seu habetur in ordine ad copulam, non vero extra omnem copulam coniugalem. Ne ergo dicatur hoc feminae immediate *ante* copulam solum licere per accidens vel conditionate, seu in casu quo in ipsa copula vel immediate post eam, plenam delectationem habere non potest. Nam tria ista pro femina moraliter idem sunt. — 4° Ut ex dictis patet, illud *immediate* in utroque casu satis stricte sumitur, ita nim. ut vere ad copulam mox habendam vel habitam pertineat; item illud *ante* non intelligitur solum quoad intentionem seu finem intentum, sed magis physice et realiter, i. e. supponitur copula mox reapse habenda. Neve itaque obiiciatur: si hoc liceret immediate ante, dummodo in ordine ad copulam, ergo extra omnem copulam idem non graviter illicitum foret, quia solum deesset debitus finis. Nam ageretur de actu solitario perfecto; cfr. n. 436, II.

SCHOLION.

Monita ad Confessarios de instruendis et interrogandis nupturientibus et coniugatis.

445. I. Nupturientes qui omnino ignorant ipsum actum coniugalem, neve citius ante Matrimonium initum, neve per ipsum Confessarium, si per alium fieri potest, doceantur. Potest, maxime si citius intersogetur, dimittere sponsam consulendo ut postea, tempore suo quaerat a sponso num actum illum noverit, et, si hic eum ignoret, ut interroget matrem aliamve consanguineam vel etiam aliam feminam

honestam, quam forte aliquando ei indicare queat ipse Confessarius: sponso vero consulere potest ut, si neque sponsa actum noverit, tempore suo interroget patrem vel alium, ut supra. Neo-nuptum ignarum ipse Confessarius potest instruere. Uxorem autem neo-nuptam de hoc raro vel numquam instruat Confessarius, sed ei dicat potius ut mittat maritum instruendum.

II. Nupturientes vel neo-nuptos ipsum actum cognoscentes et solum cupientes ulterius de licitis et illicitis instrui, Confessarius ante celebratas nuptias solum instruat propositis tribus regulis traditis n. 430. Post Matrimonium contractum cum uxore agat ut sub I dictum est, vel si ista obtineri nequeant, dicat ei: « ut suo marito obediat. Si hic forte petat aliquid de quo ipsa dubitet, num sit licitum, deprecetur verecunde; si deprecando nihil efficiat, tunc obediat certa se non offensuram Deum, dum in dubio paret marito tamquam superiori; proxima deinde occasione quaerat ex Confessario utrum illud — ipsa explicet — in quo obedivit, licitum sit coniugibus, necne ». Gobat. — Cum viro neo-nupto paulo liberius et clarius loqui poterit, semper tamen expedit ut ipse poenitens sua exponat dubia a Confessario resolvenda.

III. Ne interroget Confessarius nisi de peccatis *mortalibus,* neve nisi *fundate* suspicetur poenitentem reum peccati quod non confitetur. Quodsi poenitens dubium iniiciat, vel dubitandi de gravi peccato occasionem praebeat, Confessario satis erit nosse num completa fuerit pollutio *extra vas* aut *citra copulam,* vel *sine causa huius periculum* permissum, vel *sodomia* commissa fuerit.

IV. Bona fides vix praesumi potest quoad sodomiam consummatam vel pollutionm extra vas vel citra copulam, si fuerint directe voluntaria. Item difficulter quoad onanismum directe voluntarium, saltem ex parte viri, nisi forte ex gravi causa fiat; aliter quandoque iudicari poterit de uxore quae magis credi potest aliquandiu non intelligere tali mariti agendi ratione impediri generationem, vel licitum sibi putare marito in omnibus obedire.

V. Quoad ea generatim quae non ad officia et obligationes coniugum, sed potius ad artem medicam vel chirurgicam quam ad rem moralem pertinent, de iis rarissime vel numquam Confessarius poenitentes instruat, vel consilia de iis praebeat.

SECTIO II. DE LUXURIA.

I. **Luxuria** est rei vel delectationis venereae usus vel appe- 446.
titus *inordinatus*, i. e. vèl extra matrimonium vèl contra leges matrimonii; de posteriori inordinatione dictum est Sect. pr.; de priori hic agitur.

Luxuria duo includit: unum principale sc. impuritatem seu seminationem illicitam sive cum copula sive extra copulam; alterum secundarium sc. impudicitiam seu voluntariam cordis aliarumve potentiarum occupationem de iis quae ad luxuriam inducunt, ut turpes cogitationes, aspectus, tactus. Impuritas itaque comprehendit actus luxuriae consummatos, impudicitia actus imperfectos et internos.

II. Luxuria alia est secundum naturam *physice* spectatam seu naturalis, quum sc. in actu physico ordo naturae servatur; secus dicitur contra naturam.

Ordo autem naturalis, quoad actum completum, postulat ut hic sit aptus ad generationem, ad quod quatuor requirit, nim. ut fiat 1° coniunctio duorum 2° eiusdem speciei, 3° diversi sexus, 4° in vase debito seu coniunctio cum utriusque organis genitalibus: 1^m deficit in pollutione et onanismo, 2^m in bestialitate, 3^m in sodomia perfecta, 4^m in sodomia imperfecta. Sporer n. 624.

Actus imperfecti, saltem ii qui in corpus proprium vel alienum terminantur (1), reducuntur ad genus et speciem ad quae natura sua tendunt.

III. **Malitia.** Extra Matrimonium:

1° Omnis luxuria est peccatum grave;

2° directe voluntaria 1) ex suo genere toto, 2) nec umquam ob ullam quamvis causam a peccato excusatur;

3° indirecte voluntaria admittit parvitatem materiae et excusationem secundum regulas traditas de voluntario indirecto.

1^m per se patet, cum agatur de re maximi momenti spectante ad bonum commune. — Ratio 2^di praecipua quaeque sola videtur efficax atque universaliter probans, petenda est ex naturae huma-

(1) Cfr. n. 472, et de actibus internis n. 132 sqq.

nae vehementi in delectationem veneream propensione, qua fit 1) ut in quavis etiam minima delectatione venerea deliberate admissa apertum sit *periculum* incidendi in maiorem delectationem aliam *manifeste mortalem;* 2) utque si in *ullo* umquam casu extra matrimonium liceret, evidentissimum subesset periculum ne homo, passione libidinis obcaecatus, *passim* sibi persuaderet causam et casum adesse, indeque fornicationes aliaque innumera luxuriae vitia adversus *commune* bonum pullularent; quare considerandum hic est non tam damnum actuale quod luxuria afferret *semel facta* et *personae,* sed damnum *habituale et consecutivum* atque *communitati* quod afferret *semel licita.* — Quae ratio non ita existit quoad delectationem indirecte solum voluntariam, utpote in qua consensus directus non sit nisi in causam: quae est ipsa ratio 3^{i}. Cfr. Sporer n. 689 sqq.

CAPUT PRIMUM.

DE LUXURIA COMPLETA NATURALI (1).

Cuius sex species: fornicatio, adulterium, incestus, sacrilegium, stuprum et raptus.

447. I. Species illae sic distinctae probabilius non differunt in genere *luxuriae.* Sed distinctio illa oritur ex speciali circumstantia, quae efficit ut malitiam induant ordinis superioris, sc. quia adulterium, stuprum et raptus *iustitiae* adversantur, incestus *pietati,* sacrilegium *religioni;* et virtutes istae digniores sunt castitate: *ideo* a repugnantia cum his virtutibus, tamquam a parte sua principaliori, desumunt specificam suam qualitatem et denominationem, necnon specie inter se distinguuntur, quia tria priora quoque iura moraliter diversa, coniugale et personale, vel haec diversimode laedunt. Cfr. n. 452.

II. Malitia generica seu deordinatio moralis, omnium illarum specierum communis, est in concubitu vago — extra matrimonium — qui bono communi maximi momenti adversatur, cum prolis educationem, communiter saltem, nimio periculo exponat.

(1) Sporer n. 568-620.

I. **Fornicatio** est copula soluti cum soluta ex mutuo 448.
consensu. Solutus hic intelligitur qui nullo vinculo speciali, matrimonii, voti, cognationis vel affinitatis, ligatur unde specialis malitia eaque gravis accederet. Per mutuum consensum simplex fornicatio differt a stupro et raptu.

II. Ad fornicationem pertinent 1° concubinatus qui est commercium habituale, inter eosdem, sive in eadem domo sive separati habitant complices; 2° meretricium qui est status mulieris omnibus prostitutae. — Circumstantia concubinatus vel meretricii non est per se in Confessione necessario manifestanda, cum peccati speciem non mutet. Per accidens autem saepius est aperienda ad statum et genus occasionum declaranda, semperque Confessario interroganti fatenda est.

III. Quamquam AA. hac in re non conveniunt, *practice* tamen videntur absolvi posse magistratus urbium qui putant se meritricium tollere non posse; in dubiis namque non est Confessarii discernere quid agere debeant ii quibus difficilia commissa sunt negotia.

I. **Adulterium** est copula qua violatur fides thori con- 449.
iugalis, proprii vel alieni vel utriusque simul. — Si femina adultera sit coniugata, gravius saepe committit peccatum, si nempe concipere potuit, quam si solus vir est coniugatus; idque ob graviora incommoda inde timenda. Imo peccatum iniustitiae facile tunc accedere potest ob periculum damni in bonis fortunae dandi marito filiisque legitimis.

II. Adulterium committitur etiamsi alter coniux consentiat, quia iuri matrimoniali renuntiari valide non potest; cfr. P. II.

III. Adulterium inter duos coniugatos est duplex, ac proinde circumstantia haec est in Confessione aperienda; cfr. n. 116, nota 2°.

I. **Incestus** est concubitus inter cognatos vel affines 450.
intra gradus prohibitos ab Ecclesia pro Matrimonio. Cognatio intelligitur tum naturalis tum legalis, tum, aliquatenus saltem, spiritualis.

II. Incestus inter consanguineos et affines probabilius est eiusdem speciei. De incestu inter cognatos *legales* idem probabilius negatur, probabiliter affirmatur.

Concubitus inter cognatos *spirituales* magis religioni quam pietati adversari videtur, unde et dicitur *sacrilegium ad modum incestus.*

III. Quoad gradus et lineas consanguinitatis et affinitatis multae dantur sententiae. 1° *Probabilis* opinio est omnes incestus in quovis gradu et linea esse eiusdem speciei. — 2° *Communiter* sentiunt ab omnibus aliis specie differre incestum in *primo* gradu *rectae* lineae *consanguinitatis;* quia hic *ex se* habet indecentiam ob repugnantiam *iuris naturalis.* Ad quod alii opponunt, praeceptum superioris ponere materiam praeceptam in eadem specie virtutis ex cuius motivo illam praecipit. — Addunt *nonnulli* specie iterum differre incestum filii cum matre ab incestu patris cum filia. Idem *aliqui* putant de primo gradu lineae rectae affinitatis. — 3° *Multi* probabiliter dicunt differre etiam specie ab aliis incestum in primo gradu consanguinitatis lineae collateralis. — 4° Sunt tandem qui putent omnem incestum inter consanguineos in linea recta diversae esse speciei ab aliis.

IV. *In praxi* arbitror Confessarium qui *fundate* suspicatur, incestum commissum esse in 1° *gradu lineae rectae consanguinitatis,* saltem consulte de hac circumstantia discrete interrogare, pro maiori nempe vel certiori tranquillitate conscientiae ipsius poenitentis. Quod idem existimo de *primo gradu lineae collateralis.* Vide 2° et 3°. — Etiam propter *reservationem* casus opus esse potest interrogare de gradu et linea.

Saltem extra hos casus, statim ac constat de peccato gravi incestus, Confessarius ab ulterioribus interrogationibus abstinere potest, cum non detur certa differentia nisi in *gravitate* peccati.

451. **Sacrilegium** hic intelligitur violatio rei, loci vel personae sacrae per actum venereum.

I. Quoad rem sacrilegium est abuti rebus sacris ad turpiter peccandum. Idem dicunt de Sacerdote qui turpiter peccat indutus vestibus sacris ad Missam celebrandam, vel dum SS. Eucharistiam gestit vel distribuit; item de eo qui statim post S. Communionem receptam se polluit.

II. Quoad locum 1° Certo committitur omni *illicita* copula vel pollutione voluntaria, saltem si publice fiant, et ex communiori

etsi occulte. Probabilius omni actu externo, etiam incompleto, graviter turpi, saltem si cum periculo pollutionis, et satis certo si cum speciali ecclesiae irreverentia fiat, ut si quis meretricem ante altare publice impudice tangeret. Secundum multos etiam copula inter coniuges sine necessitate habita. Cfr. n. 323, II.

2° *Actus interni,* etsi graviter peccaminosi, non sunt tamen gravia sacrilegia, nisi habeatur propositum vel desiderium externe peccandi in loco sacro: tunc autem grave sacrilegium continerent etsi haberentur extra locum sacrum.

Sacer hic dicitur locus saltem benedictus et ecclesiastica auctoritate deputatus ad officia divina vel ad sepulturam, a tecto usque ad pavimentum.

III. Quoad personam sacrilegus est omnis actus luxuriosus tam interior quam exterior in persona vel cum persona ligata voto castitatis, saltem si hoc est solemne.

1. Differunt probabilius specie inter se violatio voti solemnis et simplicis; quia, cum in posteriori voto deficiat deputatio per publicam auctoritatem ad cultum divinum — qua sola deputatione res sacra fieri videtur — ideo in eius violatione non videtur verum sacrilegium, sed peccatum alterius speciei et minus grave contra religionem.

Plures tamen aliter resolvunt, idque saltem propter auctoritatem *probabiliter.* Ex hac altera opinione sequitur ut Sacerdos vel Religiosus non teneatur manifestare suum *statum* sed tantum *votum.*

2. Duplex sacrilegium committit turpiter peccans persona sacra cum alia sacra, ut de simili adulterio dictum est n. 449, III.

3. Sacrilegus est qui personam sacram ad peccatum turpe inducit, licet ipse cum ea non peccet, ob cooperationem ad sacrilegium.

4. Sacrilegium committit persona sacra quae ex libidinis affectu alium ad peccatum turpe inducit; si vero ex alio fine, probabilius negatur, quia votum propriam respicit castitatem, non alienam.

5. *Sacerdos simul et Religiosus* turpiter peccans probabilius *unum sacrilegium* committit, non duplex, quia duplici quidem titulo sed motivo unius virtutis castitatis est voto obstrictus.

452. I. **Stuprum** *lato sensu* — quo hic sumitur — est omnis concubitus cum muliere, sive *virgine* sive iam *defiorata*, invita vel non libere consentiente, puta dormiente, amente, ex metu vel fraude permittente. In sensu *strictiore* iuris est illicita *defloratio virginis*, secundum alios etiam consentientis, secundum alios solum invitae vel non libere consentientis.

II. Virginitas puellae invitae ablata *certo* ratio est peccati specialis eiusque gravis contra iustitiam. Utrum vero haec virginitatis circumstantia talis sit ut etiam consentiente virgine mutet speciem peccati vel saltem peccatum notabiliter aggravet, dissentiunt Theologi.

III. Peccari etiam *potest* contra pietatem erga parentes filiae violatae, ratione dedecoris et exinde gravis parentum moeroris, *si* nempe defloratio contingat cum periculo ne divulgetur vel parentibus saltem innotescat. Peccari vero semper contra violatum ius custodiae quod habent parentes et contra obedientiam ipsis debitam, hoc alii affirmant, alii melius negant.

453. **Raptus** est alicuius personae de loco in locum violenta abductio libidinis explendae causâ. Violentia potest esse physica vel moralis, et inferri vèl ipsi personae abductae vèl iis quorum potestati subest. Differt tum a fuga tum a raptu prout hic constituit impedimentum dirimens Matrimonii.

Nota tandem expositas a n. 449 peccatorum species diversas posse in *uno* actu concurrere.

CAPUT SECUNDUM.

DE LUXURIA COMPLETA CONTRA NATURAM.

ARTICULUS I.

DE POLLUTIONE DEQUE DISTILLATIONE AC MOTIBUS CARNALIBUS (1).

454. I. **Pollutio** communiter definitur: seminis effusio extra concubitum. Verum ut tum viri tum feminae peccata com-

(1) Sporer n. 628-661.

prehendantur, utque malitiae ratio clarius indicetur, rectius definiretur: completa et satiativa delectatio venerea extra concubitum.

II. Concedendum sc. quidem est frustrationem veri seminis rationem sufficientem esse ob quam pollutio viri puberis censeatur tum prohibita tum differre a simili peccato feminarum, impuberum aliorumque generatim verum semen non frustrantium vel non habentium. Sed eadem ratio neque praecipua neque imo sufficiens videtur tam absolutae prohibitionis quae nullam omnino exceptionem admittat. Haec ratio ea sola dicenda videtur quam exposuimus n. 446, III. Unde

III. Concludo 1°. Pollutio magis prohibita est ob delectationem veneream annexam et inordinate quaesitam vel admissam, quam ob frustrationem seminis.

2°. Differentia specifica pollutionis ab aliis luxuriae peccatis reponenda est in delectatione venerea *completa* seu satiativa *extra concubitum*.

3°. Eadem haec delectatio in feminis puberibus, esto non ita proprie, rem physice spectando, dici pollutio possit, *moraliter* tamen videtur eiusdem esse speciei ac in viris; in his autem ob seminis frustrationem accedit circumstantia gravis, de qua tamen dubitari potest utrum novam speciem addat, necne.

4°. Est ratio cur cum Sporer aliisque peccata impuberum et eunuchorum dicantur ad impudicitiam pertinere potius quam ad impuritatem; alii tamen ratione forte maiori etiam in iis omnibus qui verum semen non habent, nihilominus distinguendos putant actus completos ab incompletis.

I. *Pro praxi* ex dictis n. pr. collige cum Ballerini (1): 455.
« Hinc rationibus quas sapienter afferre solent Doctores, cur cautissimus esse Confessarius debeat in interrogandis huiusmodi poenitentibus — impuberibus et eunuchis — haec accedit quod simul ac satis scrutati prudenter fuerint, num malitiose peracta haec fuerint, nullus locus — probabiliter saltem — ulterioribus interrogationibus superest ». Vel potius etiam et magis generatim.

(1) N. 111.

II. Cum Berardi (1) quoad omnes quosvis poenitentes adverte: « Dicente poenitente: « me tetigi » ; *si* constet quod *vere malitiose* se tetigerit, praesumendum est quod actum ad suum finem naturalem perduxerit, et sic se polluerit; unde, sive de viris sive de feminis agatur, interrogationes de ea re omitti posse dicerem. Verum est quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum incoeperint; sed exinde Confessarii obligari nequeunt, ut omnibus et singulis qui se tetigisse fatentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationem superaddant ».

III. Polluistae interrogandi saepe sunt de peccatis internis, cum frequenter pravas cogitationes et desideria quibus pollutionem provocarint vel quae eam comitata sint, aperire negligant.

IV. De modo agendi Confessariorum cum poenitentibus vitio pollutionis valde deditis monet Capellmann p. 66, ed. 13ª lat. 5ª p. 71 sq. « Sunt qui per multos annos scelus masturbationis commiserint, at nihilominus exiguam tantum perturbationem nervorum inde sibi contraxerint. Quapropter *non expedit* huius peccati effectus peccatori *acrius depingere,* ne ille experientia edoctus monitorem mendacii possit arguere. Multo magis vero alia de causa caute agendum est in modo absterrendi peccatorem ab hoc scelere. Solent enim isti miseri esse *animi valde afflicti,* quod tum ex nervorum infirmitate tum ex stimulis conscientiae atque pudore oritur. Accedit quod innaturali illa irritatione toties repetita irritabilitas genitalium adeo crescit, ut *animus depressus iam corpori dominari vix valeat.* Ubi malum iam aliquos progressus fecit, certe pugna requiritur non exigua ad vincendam pravam consuetudinem. Longe meliorem sine dubio assequentur effectum *monita seria* quidem, *charitatem tamen spirantia atque consolantia* quae eius animam erigant atque confortent ».

V. Praeterea advertat Confessarius 1°. Poenitentes fatentes se aliquoties pollutionem expertos esse. *non raro involuntarias cum voluntariis confundunt vel miscent.* 2°. Experientia probat *bonam*

(1) 853.

fidem hac in re saepe admittendam esse, non tantum in pueris sed etiam in adolescentibus, praesertim in puellis. 3°. Fieri quandoque potest ut vi vehementis tentationis, imaginationis et sensationis *advertentia ad grave* peccatum fuerit *valde imperfecta,* et consequenter culpa valde levis vel nulla. Quod maxime valet si hoc expertus dicit consensum per momentum tantum durasse.

De pollutione et motibus *indirecte* voluntariis. 456.

I. In delectatione venerea indirecte voluntaria bene distinguendum est periculum ipsius pollutionis vel motuum a periculo consensus in ipsa seu in delectationem veneream adiunctam: posterius enim est semper periculum peccati *formalis* eiusque *gravis;* prius illud esse potest periculum peccati *materialis.* Unde sequitur ut sine gravi peccato nihil omnino, sive externe est grave sive leve, fieri umquam possit cum periculo proximo consensus, nisi simul adsit 1° spes fundata non consentiendi; et 2° iusta causa. Hinc

II. Ratione huius periculi consensus saepe peccatur mortaliter, ubi per se seu communiter veniale tantum peccatum haberetur. Hoc porro periculum adest in corruptis et in valde fragilibus in hac materia, qui nim. experientia sciunt se esse valde pronos ad consentiendum in delectationem veneream.

III. Omnis generatim qui motibus carnalibus involuntarie vel sine culpa saltem ortis et vehementi delectatione venerea exsurgente *mere permissive* se habet, neque consentiendo neque positive dissentiendo, is practice loquendo a gravi peccato excusari nequit, quia plerumque proximo se exponet periculo consentiendi. Saepius tamen sufficiet positivus voluntatis actus displicentiae; quandoque necesse erit mentem alio divertere, orare, vel causam motuum tollere; subinde etiam consultius positiva huiusmodi resistentia omittitur, ut si experientia doctus merito timeas ne dum conaris positive reprimere, crescat potius tentatio. — Quibus praenotatis sit

Resolutio I. Pollutio indirecte voluntaria imputatur in 457.
grave peccatum quoties et solum quum *causa proxima* i. e. directe seu naturâ suâ ad eam tendente atque adeo notabiliter in eam influente, *sine iusta causa* ponitur.

Huiusmodi causae censentur generatim omnes, sed etiam illae *solae*, quae idcirco reputantur peccata *mortalia* in genere *luxuriae* quod *vehementer* influunt in *libidinem* (1). Hinc

Resolutio II. *Si causa* seu actio ex qua praevidetur secutura pollutio, est peccatum *veniale* tantum in genere *luxuriae* vel peccatum, etsi *grave, in alio genere* vitii, pollutio imputatur solum in peccatum veniale.

Resolutio III. *Si causa* posita seu actio illa ex qua praevidetur pollutio secutura, de se est *honesta vel saltem licita et* adest aliqua *rationabilis causa* necessitatis vel utilitatis seu commoditatis exercendi vel continuandi talem actionem, omnino nullum peccatum erit; v. gr. studere de rebus venereis, Confessiones praesertim feminarum excipere, conversari familiariter cum feminis in re honesta vel utili, feminas amplecti vel osculari secundum morem patriae, choreas honestas ducere, equitare, certo et commodo situ in lecto cubare, sumere temperate cibos vel potus calidos sibi salutares, mederi in partibus verendis, servire in balneis, imo etiam fricare membra pudenda ad sedandum molestum puritum — de quo cfr. n. 468, II — eadem membra mundare a sordibus, et his similia sexcenta. Ratio: quisque ius habet ad eiusmodi actiones honestas et licitas, et saepe etiam obligationem, eaeque actiones utilitatem afferre possunt; pollutio autem inde secuta exiguum vel nullum omnino incommodum afferre poterit tam individuo quam speciei, hoc ipso quod ex causa licita adeoque per se leviter solum influente tam facile provenit. Cum ergo ob eamdem rationem valde tenuis sit obligatio vitandi pollutionem in causis non proximis, ideo neque requiritur causa necessaria ad excusandas eiusmodi pollutiones etiam a veniali; secus enim, cum innumerae sint tales causae alioquin licitae, locus daretur perpetuis scrupulis et nimiis anxietatibus: quod gravissimum foret.

Nota. Huc spectant eae quoque actiones de quibus nn. pr. quoties reapse ob causam proportionatam licite ponuntur; tum sc.

(1) De hisce causis cfr. totum cap. sq. ubi pleraeque indicantur et perpenduntur.

ex ipsa hypothesi iam adest causa permissive se habendi ad pollutionem secuturam. Qua de re observari adhuc potest, plerumque actiones illas quae de se, si propter voluptatem exercentur, causae pollutionis proximae forent, solum remote seu levius in eam influere, si ex necessitate vel rationabili motivo exercentur.

Pollutio in somno habita per se, ut patet, omni culpa 458.
vacat. Erit autem imputanda si ante somnum sit causata et praevisa, idque in grave vel leve peccatum pro maiori vel minori advertentia et causae influxu. Ad consensum autem quod attinet, iudicandum est nullum adfuisse vel summum valde imperfectum, si ordinarie in statu vigiliae displicet. Quod idem iudices de tactibus nocturnis.

Communiter quoque resolvunt Theologi, expergefactum, qui animadvertit effusionem seminis instare vel iam incepisse, non teneri eam cohibere, praecipue quia difficillimum est effusionem seminis iam e lumbis elapsi impedire. Quod pariter resolvi potest de omni pollutione involuntarie coepta. — Attamen maxime cavendum ne pollutionem sentiens non tantum permittat vel non reprimat, sed etiam positivo aliquo conatu vel impulsu eam promoveat vel compleat. Avertendum item sedulo est periculum consensus.

I. Distillatio *libidinosa*, de qua n. 410, vèl directe 459.
voluntaria, vèl indirecte in causa proxima et sine ratione posita, est grave peccatum, *fere* sicut pollutio, cuius censetur inchoatio. — Non libidinosa parum vel nihil est curanda etiamsi aliqua erectio *naturalis* eam comitetur.

II. De motibus carnalibus indirecte voluntariis, quos non consequitur pollutio, dicendum item est sicut de pollutione indirecte voluntaria, sed cum debita proportione. Facilius enim hi motus quam ipsa pollutio permitti atque a gravi vel ab omni peccato excusari possunt. Unde

Resolves 1. Quaelibet rationabilis causa satis a peccato excusat hos motus, quamdiu abest probabile tum pollutionis tum consensus periculum.

2. Eosdem motus et in eadem hypothesi sine ulla causa permittere veniale non excedit.

460. Pollutionis malitia accedit omnibus peccatis de quibus Cap. pr. *si* actus illi onanistice fiant seu illicite abrumpantur. Sed Quaer. num liceat fornicario etc. abrumpere copulam cum *praeviso* periculo seminationis extra vas?

Resp. Affirmative si bono motivo hoc faciat, puta ut a peccato desistat: ad hoc enim quisque omni instanti *tenetur*. *Negative* vero *si desit bonum* motivum; ut si fiat timore infamiae, prolis etc. Haec videtur sententia communis.

Ad detegendum hunc onanismum, qui frequenter committitur sed raro ab ipsis poenitentibus sponte manifestatur, Confessarius interrogare potest, num ex copula habita proles concepta fuerit. Si poenitens affirmat, vel dubitat, vel simpliciter ignorat, non est cur ulterius interrogetur. — Eodem hoc interrogandi modo quandoque detegitur abortus procuratus.

ARTICULUS II.

DE SODOMIA (1).

461. I. **Sodomia** est concubitus cum persona vèl eiusdem sexus *vèl* diversi sed in vase indebito. Priorem theologi communiter dicunt perfectam, aliam imperfectam. Aliter autem plerique iuristae. Ex communi inter se specie differunt.

II. Sodomia sive perfecta sive imperfecta non committitur nisi contingat vel attentetur aliqua coniunctio corporis idque mediante membro genitali ex parte agentis. Quare si quis v. gr. manu vel pede tangeret pudenda alterius, quamvis usque ad pollutionem, hoc non esset sodomia saltem in actu: cfr. n. 446, II in fine.

III. Probabilius *non per se* est declarandum uter fuerit agens vel patiens, quia species peccati eadem est. Circumstantia pollutionis tamen, si contingit, aperienda est.

IV. Communius dicunt feminas inter se attentare posse, non vero perficere sodomiam. Ita sane est in normali structura genitalium.

(1) Sporer n. 626 sq.

V. Sodomia *proprie dicta* (cfr. I) intelligitur tantum *coitus* in vase *praepostero*. Quod ex vel in confessione innotescere debet.

Dicunt tamen 1° non esse necessario exponendum num *intra an extra* illud vas *seminatum* (cfr. III) fuerit, nisi agatur de casu reservato; 2° neque quum jam constat coniunctionem factam esse extra vas tum naturale tum praeposterum, *in qua corporis parte* contigerit. Aliqui tamen hic excipiunt pollutionem in ore; cfr. n. 431.

VI. Communiter docent sodomiam induere speciem incestus, si fiat cum cognato vel affine quocum copula sine incestu non fieret, seu sodomia insuper est incestus, *ubi* copula foret incestus. Pauci contradicunt, quia ab Ecclesia prohibetur inter cognatos etc. *solum copula naturalis*; quod parum probabile videtur.

Certo autem in Confessione aperiendum est, si sodomia habita sit cum violentia, vel cum persona voto castitatis vel matrimonio ligata.

ARTICULUS III.

DE BESTIALITATE (1).

462. **Bestialitas** est coitus hominis cum bruto. Opus non est exponere cuius speciei vel sexus fuerit bestia, cum tota deformitas specifica consistat in accessu ad diversam ab humana speciem.

CAPUT TERTIUM.

DE LUXURIA NON CONSUMMATA SEU DE IMPUDICITIA (2).

ARTICULUS I.

PRINCIPIA ET REGULAE GENERALES.

463. **I. Oscula, tactus** etiam in partibus inhonestis, **amplexus** et alia omnia, de quibus toto hoc Cap., non sunt mala in se,

(1) Sporer n. 625.
(2) Id. n. 662-697.

in se, ut patet ex eo quod secundum omnes ex necessitate vel gravi causa licite fiunt.

II. Mortalia 1. *semper sunt* si fiunt ex intentione delectationis venereae sive capiendae sive in alio procurandae; n. 446, III.

2. **Esse possunt** mortalia 1° ex periculo proprio absolute vel respective proximo vèl pollutionis vèl consensus in delectationem veneream; n. 456. — Periculum *absolute* proximum oritur *ex obiecto* valde turpi.

2° Ex periculo alieno seu ratione scandali.

Verum in *utroque* casu (2, 1° et 2°) a culpa *excusat iusta causa,* posito abesse vel averti periculum consensus,

Nota 1. Dicuntur corporis *partes inhonestae,* turpes vel obscoenae: genitales iisque proximae; *minus honestae:* pectus, brachia, crura.

Inter utrasque *media* censentur ubera mulieris.

2. *Periculum* pollutionis vel consensus quod communiter seu *per se* censetur *proximum,* pro aliquibus potest esse *per accidens remotum,* ut quandoque pro valde senibus, frigidis, iam a multo tempore coniugatis et rei venereae assuetis.

464. III. Oscula etc. honesta quae, etiam inter personas diversi sexus, fiunt ex delectatione illa magis rationali quam sensibili de qua n. 413, III, per se omni culpâ vacant.

IV. Eadem, honesta vel saltem non turpia, si ex curiositate vel levitate fiant, per se ex communissima venialem solum culpam continent.

V. Eadem, si fiant ex delectatione sensibili, *directe* sc. quaesita, etsi pariter *ex se* et speculative *veniale* non excedunt; *practice tamen* maior est difficultas, praecipue ob maius periculum, si minus pollutionis, saltem tamen consensus in delectationem veneream satis certo in hac hypothesi subobrituram: sicut enim facilis, imo naturalis est transitus ab una delectatione ad alteram, ita facilis quoque est transitus a consensu in unam ad consensum in alteram delectationem. Praeterea, ut merito observat Ballerini (1):

(1) Ad Gury n. 411.

« hypothesis de osculis, amplexibus et tactibus qui habeantur *ob meram* delectationem *sensibilem* ex ipsis praecise exurgentem, in praxi vix locum habere videtur. Quippe et praecisio illa nimis est difficilis; et reipsa qui studiose delectationes quaerit ex huiusmodi tactibus etc., profecto et interiori animo et saepe exterioribus quoque actibus ad ulteriora provehetur »; vel certe ulterius progrediendi, et saltem consentiendi in delectationem veneream proximo periculo se exponit. Quapropter pro casibus huius hypothesis admittenda videtur haec

Regula: mortale censendum est quaerere delectationem sensibilem in osculis etc. inter personas diversi sexus, si haec tria concurrant: quod 1° fiunt *sine necessitate vel honesta causa,* 2° *intenditur magna delectatio sensibilis,* ut si fiant *cum ardore, notabili mora* vel si *eodem tempore saepius repetantur,* 3° *plenus est consensus* in *hanc* delectationem.

ARTICULUS II.

RESOLUTIONES SPECIALES.

§ I. — *De Osculis et tactibus.*

Oscula censenda sunt mortalia 1° plerumque saltem, impressa in corporis partes *minus usitatas* etsi non turpes, cum vix nisi ex libidine praesumi possint fieri, vel certe non sine proximo delectationis venereae atque consensûs periculo; neque ullâ causâ cohonestari haec possunt; 2° inter personas diversi sexus *in ore diu* replicata vel *morose* habita, *linguâ* praesertim unius in os alterius *introductâ;* 3° facta *cum compressione* vel conatu ad compressionem inferiorum corporis partium ad invicem. 465.

Tactus plerumque habendi sunt mortales 1° si fiant in partes obscoenas alterius personae ex proposito vel cum aliqua mora. — *Quandoque a gravi excusari possunt,* nim. si fiant 1) ex ioco et obiter omnino in personam *eiusdem sexus;* difficilius et rarius si in personam diversi sexus etsi super vestes, nequaquam vero super nudum; 2) inter *impuberes* maxime eiusdem 466.

sexus ex levitate et ioco obiter sese tangentes; 3) ab *ancillis vel nutricibus in infantes dum* eos induunt vel exuunt etc., modo tamen ne cum mora fiant. At hae nihilominus ab hisce tactibus serio semper avertendae sunt propter periculum ipsorum infantium.

2° Si ubera mulieris tangantur *nuda et cum mora. — Veniale* tantum *per se* erit leviter tangere sine notabili mora partes *honestas* personae diversi sexus, ut manus et vultum. — Tangere autem cum aliqua mora partes *minus pudicas* personae diversi sexus *saepe,* et pro fragilioribus plerumque *mortale* erit.

3° Si morose fiant in genitalia brutorum *usque* dum semen effundunt. Alii tactus in bruta per se excusantur a mortali.

467. Qui advertit se ab alio tangi, v. gr. puella inter saltandum, conversandum etc., 1° si tactus sint *impudici ex obiecto,* non potest licite permittere; 2° si tactus ex obiecto honesti, ut oscula in facie, tactus genarum, compressio manuum, amplexus etc., et sola tangentis prava intentione libidinosi sint 1), si fiant in publico, ut in choreis vel convivio, licite permittuntur tum ne tangens, alias bonae famae, diffametur, tum propriae verecundiae causâ; 2) si vero fiant secreto, vel etiam in publico sed non adsint supra dictae causae, repelli debent, si tamen moraliter certo de tangentis malitia constet.

468. I. Tactus in partes obscoenas proprii corporis 1° si sine iusta causa cum aliqua mora fiat, est peccatum veniale vel mortale *pro ratione periculi:* hoc enim non est idem pro omnibus; 2° si vero obiter tantum fiat ex levitate, communiter veniale non excedit.

II. Qui *magnum pruritum in verendis* patitur, per se praesumere potest causam esse acrimoniam sanguinis, non autem ardorem luxuriae, adeoque licere tactu vel fricatione abigere, etiamsi sequatur pollutio. Contra, si constaret hanc excitationem provenire e pravis cogitationibus praehabitis, vel ad hoc tendere ut in ipsa pollutione sopiatur, non liceret (1).

« Quae de pruritu sunt dicta, applicanda sunt etiam iis qui *in genitalibus* patiuntur *intolerabilem nervorum irritationem* quae

(1) Quod in feminis dignoscitur ex eo quod tactibus pruritus non sensim sed subito cessat.

quasi cogit ad tactum aliasve motiones quibus pollutio inducatur. Attamen etiamsi illa nervosa excitatio illuc tendit ut in pollutione sopiatur, non sunt tamen damnandi motus corporales qui tantum *per accidens* pollutionem causare possint, v. gr. mutare situm in lecto, cruri crus imponere etc. Pollutio enim naturali dispositioni corporis potius quam his motibus tribuenda esset. In his tamen adiunctis Confessarii munus est suadere ut pruritus ille vel excitatio, quantum fieri potest, ex amore castitatis, toleretur, et cavere ne permittat ea quae e vera libidine oriantur » (1).

Sed, ut non minus apposite monet Gury n. 416 in consulenda abstinentia a tactibus quae non sine iusta causa fiunt, « magna tamen discretione Confessarius utatur oportet. Huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem si paulo vehementiores sint nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cuiusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt ».

§ II. — *De Aspectibus.*

Aspectus minus periculosi sunt quam tactus, ceteris paribus. **469.**

I. Mortale tamen plerumque erit 1° aspicere deliberate partes obscoenas personae diversi sexus, vel humanum concubitum, nisi forte videantur e longinquo et obiter omnino. — *Excipiunt* 1° si aspiciens sit puer, vel valde senex, vel frigidus; 2° si aspicitur infantulus. Hinc a gravi excusantur ancillae quae pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose nimis vel iteratis vicibus vel pravo affectu hoc faciunt.

2° Aspicere *diu* ubera pulchrae mulieris *tota nuda* vel tenuissimo tantum et perlucido velo tecta. — Non vero graviter per se peccant qui matres infantulos lactantes aspiciunt, vel in denudatum pectus mulieris vetulae vel iunioris puellae non adhuc formatae oculos figunt.

3° Aspicere *morose* picturas vel statuas exhibentes verenda personae grandioris alterius sexus omnino nuda, similesve

(1) Génicot n. 406 in fine.

res valde obscoenas, vivido modo depicta naturamque imitantia. — *Exipe* 1° casus qui ad 1ᵐ; 2° si picturae vetustas vim artificii imminuerit.

470. II. Veniale tantum *per se* censetur 1° aspectus impudicus vel minus honestus inter personas eiusdem sexus, maxime inter impuberes, nisi tamen aspectus sit nimis diuturnus. — Specialem tamen animadversionem merentur natationes, ratione scandali: saepius enim, quum ad vias publicas fiunt, adsunt vel superveniunt personae *alterius* sexus; praeterea non raro contingit ut pueri simul natantes *tactus* impudicos vel etiam *turpiora* inter se committant vel se invicem doceant.

2° Aspectus in partes minus honestas mulieris. — Aspectus in partes *honestas* personae diversi sexus per se non sunt peccata; quamquam, si cum mora fiant, saepissime veniali culpa non carebunt. — Uterque vero hic aspectus si sit diuturnus *pro pluribus saepe mortale* erit, idque satis certo si persona aspecta *turpi* amore diligatur.

3° Aspicere genitalia brutorum vel eorum commixtionem; quamquam et hoc pro pluribus per accidens erit mortale.

471. Aspectus in propria verenda *per se* et communiter mortale non erit; saepe tamen erit si sit diuturnus, vel saepius iteretur, vel se aspiciens sit valde fragilis vel proclivis ad venerem.

472. Aspectus turpis — secus ac tactus, oscula et amplexus — probabilius non induit malitiam peccati quod cum obiecto aspecto consummaretur, modo absit huius peccati desiderium; quia per se dici non potest naturalis inchoatio copulae; cfr. n. 446, II in fine.

§ III. — *De Sermonibus et Lectionibus turpibus.*

473. Turpiloquio *plerumque* graviter peccare censendi sunt 1° qui loquuntur, etsi ex levitate, de rebus nimis turpibus ut de actu coniugali, de licitis et illicitis inter coniuges, de variis coëundi modis, de mediis procurandi pollutionem etc., *nisi* forte fiat inter solos coniugatus; 2° qui aictando propria peccata turpia narrant; 3° qui quamlibet occasionem carpunt turpiter loquendi; 4° qui turpes sermones diu protrahunt; 5° qui turpia loquuntur coram

vel cum personis alterius sexus, maxime iunioribus; 6° valde corrupti. — Ceterum turpia locuti interrogentur de morosis delectationibus et pravis desideriis, quibus indulgendo non raro graviter peccant etiam quum ipsi sermones non sint ita turpes.

Audientes valde obscoena graviter peccant 1° si sibi com- 474.
placent de ipsa re turpi, non vero si de solo lepido dicendi modo; 2° magis etiam si complacentiâ sua manifestata turpiloquiis cooperantur: quo modo feminae praesertim facile peccare possunt; 3° si proprium periculum advertentes hoc discedendo vel alio modo non evitant; 4° si turpiloquia graviter peccaminosa non impediunt quamvis facile possent, saltem si ad hoc ex officio teneantur; alii plerumque a gravi peccato excusari possunt, vèl propter bonam fidem, vèl propter erubescentiam, vèl quia monitio non putatur profutura.

Non graviter peccare per se censentur 1° proferentes non 475.
valde turpia breviter per iocum, ad vanam recreationem; 2° habentes tenera colloquia cum personis diversi sexus; quamquam saepe gravia peccata saltem interna non vitabuntur, si sint diuturna, frequentia, vel fiant in locis solitariis vel noctu.

In praxi praeterea observetur confitentes *turpiloquia* habita non raro cum hisce *confundere* sermones *scurriles* tantum, seu de rebus foedis quidem sed non ad *venerem* spectantibus, vel etiam quosvis sermones de altero sexu. — Quod idem observetur quoad cogitationes.

De cantilenis turpibus iudicandum ut de turpiloquiis. 476.
Eadem item applicanda sunt legentibus libros valde obscoenos, qui per se graviter, et legentibus libros leviter turpes, ut plerosque amatorios, qui per se venialiter peccant, quamvis iuniores praesertim ob periculum sibi proprium facile graviter peccant: quare secundum monitum S. Lig. n. 426 « sedulo satagant Confessarii ut hoc prohibeant, quantum valent, iuvenibus qui ex huiusmodi lectionibus universe magnam animae ruinam hauriunt ».

§ IV. — *De Choreis et Comoediis.*

Choreae et comoediae in se omnino licitae saepesaepius 477.
periculi et scandali plenae sunt sub respectu sive *morum* sive

religionis, ratione nuditatum, gestuum, verborum, cantilenarum vel rerum quae repraesentantur. Quae *si ita sint*

I. Mortaliter peccare generatim dicendi sunt 1° qui earum causae sunt, vel iis positive cooperantur pecunia vel plausu; 2° saltantes et actores.

II. Quoad eos qui simpliciter intersunt et spectant, ut dignoscatur num graviter peccent, videndum utrum curiositate an rerum turpium amore ducantur (1).

478. « Chorearum honestas praecipue pendet a personis quae iis interveniunt et a ratione saltandi: ideo Confessarius, sive in permittendis sive in prohibendis choreis, magnopere ad utrumque, praesertim ad prius, attendat. Ita solent multo minoribus periculis obnoxiae esse choreae quae inter paucas familias honestas ducuntur quam prorsus publicae, rusticae quam oppidanae. Quidam AA. severissime damnant rationem saltandi hodie usitatam, qua viri mulieres tam arcte amplecti debent, ut impossibile videatur gravia luxuriae peccata vitari. Alii tamen non ita universe hoc morale periculum adesse censent. Contrarium enim ipsa experientia et testimoniis poenitentium constare videtur. Nec ita mirum est: nam ad luxuriam multo magis movebit tactus inter iuvenem et puellam, solitarie et ex affectu tantum factus, quam ubi mens ad multa alia distrahitur et ad saltandi rythmum intenditur ».

« Maius periculum solet esse in choreis quae cum larvis aguntur, eo quod multi, soluti a timore ne ab aliis agnoscantur, licentius se gerunt. Nihilominus etiam in iis plurimum attendendum ad personas inter quas fiunt » (2).

479. « Confessarius poenitenti qui choreis interesse vult, absolutionem denegare nequit, nisi choreae istae eidem sint proximum graviter peccandi periculum. Id autem raro ante experientiam habitam constabit, nisi modus saltandi esset prorsus turpis vel personae congressurae valde perversae. At postquam choreas adivit poenitens, interrogetur num gravia peccata hac occasione admiserit, ut turpiloquia, amplexus libidinosos etc. et, secundum regulas generales

(1) Génicot n. 242, 1°.
(2) Id. n. 241, 2° et 5°.

de occasione proxima, e responsis concludatur num sub gravi urgeat obligatio abstinendi » (1): quod si ita videatur, praeterea attendatur num forte sit gravis causa, puta incommodum grave secus timendum, cuius ratione occasio tamquam necessaria haberi, saltem quandoque, possit.

(1) Id. ib. 3°.

TRACTATUS X.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Dicemus hic de tribus praeceptis: ieiunii, abstinentiae, deque prohibitione ac censura librorum. De aliis alibi dictum est vel dicetur.

480. **De ieiunio et abstinentia** praenotamus generatim:

I. Ieiunium ecclesiasticum *strictiori sensu* dicit solum praeceptum unicae tantum refectionis plenae in die; quae refectio praeterea hora competenti sumenda est.

Sensu latiori insuper dicit prohibitionem certorum ciborum: quae prohibitio per se semper est praecepto ieiunii annexa. — Sola haec prohibitio est praeceptum abstinentiae. — Ieiunium itaque ecclesiasticum per se tria importat, seu tribus quasi partibus constat.

II. Ieiunium *in latiori sensu* ex lege universali et per se servandum est in Quadragesima, exceptis diebus Dominicis: in Quatuor Temporibus; in Vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. Ubi Solemnitas SS. Apostolorum transfertur in Dominicam sequentem, ieiunium Sabbato servandum est; at si dies 29 Iunii incidat in Sabbatum, ieiunandum est feria sexta: S. Inq. 22 Nov. 1879.

III. Abstinentia sola ex lege universali servanda est in Dominicis Quadragesimae, et quaque feria sexta nisi in hanc incidat festum Nativitatis Domini, quo die tum ii soli abstinere debent qui voto vel regulari observantia ad id tenentur, intellige: sub peccato.

Abstinentia Sabbati, quamvis de lege universali non constet, ubi tamen usu servatur, ex communi sententia obligat ut lex communis, ita ut peregrini in suo territorio non obligati eam servare teneantur in locis ubi observatur. Quae sententia confirmatur Resp. S. Inq. 10 Ian. 1855. Si festum Nativitatis Domini incidat in Sabbatum, idem notandum quod supra.

Quoad ieiunium vel abstinentiam ex iure particulari alicubi servanda consulantur statuta et mores cuiusque Dioecesis.

CAPUT PRIMUM.

DE IEIUNIO IN SENSU STRICTIORI.

Permittuntur, praeter unam refectionem plenam, 481.

I. Coenula seu collatio vespertina, ex antiqua iam consuetudine. Communiter iam receptum est 1° sumi posse octo uncias romanas, seu circiter $2^1/_2$ uncias ponderis denarii, cibi solidi; idque ab omnibus, etiam iis qui ea quantitate plene satiantur; 2° augeri illam quantitatem paululum, sc. duabus unciis romanis, posse ex iusta causa, puta ob consuetudinem plus aliis manducandi, quae in regionibus septentrionalibus praecipue communis est; ob laborem maxime futurum nocturnum. Imo in Quadragesima, si quis ad ieiunium continuandum etiam maiori quantitate egeret, is non videretur inquietandus. Alicubi quoque viget consuetudo in Vigilia Nativitatis aliisve quoque Vigiliis coenulae quantitatem duplicandi, quod fere idem est ac ieiunium sub vesperam finire; quam consuetudinem, etsi eius ratio, assistentia officii nocturni, cessaverit, multi tamen dicunt servari posse. Sporer Tr. III n. 567 sqq. — De qualitate ciborum vid. n. 492, 495.

II. Permittitur mane frustulum, theologicum quod vocant; idque certo ubi usus est, probabiliter secundum nonnullos recentiores absolute seu abstrahendo ab usu in singulis locis vigente: quod deducunt ex Resp. S. Poen. 21 Nov. 1843; quamqum hoc videri potest supponere usum, quum dicatur: « eos qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos ».

III. Tandem satis communiter iam theologi docent ieiunium non laedere eum qui in parva quantitate electuaria sumit per modum medicinae magis quam cibi; puta, ut fit, ad digestionem iuvandam, vocem conservandam, oris foetorem tollendum etc.; neque eum qui semel vel iterum parum cibi sumit ne potus noceat. Sporer n. 556.

Potus non frangit ieiunium: intelligitur autem potus talis qui per se et primario ordinatur ad sitim extinguendam, naturam refrigerandam, cibi concoctionem adiuvandam, uti vinum, cerevisia etc., quamvis haec et similia per accidens aliquantulum nutriant; quia, cum sint veri potus, Ecclesia horum rationem non habet; quare neque obstaret quod quis ea sumeret famis sedandae gratia.

Aliud est de lacte, iusculo carnium et similibus, quae, licet eodem quo potus modo sumantur, tamen veri sunt cibi. Sporer. n. 557 sq.

482. **Gravis materia,** si ultra praedicta quid sumatur, in cibis esurialibus censetur quantitas 4 unciarum seu $1^1/_4$ circiter unciae nostrae.

Quoad carnem mire variant AA. sensa; probabiliter requiri putamus quantitatem 2 unciarum seu paulo amplius dimidia uncia nostra.

De ovis et lacticiniis idem dicendum plerique sentiunt quod de carne; sed probabiliter quid amplius admitti potest, sc. quantitas media inter utramque supra dictam seu fere uncia nostri ponderis, puta duo ova gallinacea.

Nota 1. Perinde est utrum in coenula vel frustulo quantitas permissa excedatur, an extra omnes licitas comestiones cibus sumatur.

2. Plures quantitates modicae uno die sumptae coalescunt in unam legis violationem seu peccatum. Sporer n. 559.

ARTICULUS I.

DE REFECTIONE UNICA (1).

483. **Refectio** quia debet esse unica, eo ipso oportet ut sit continua, non mathematice tamen, sed moraliter continuata.

I. Interruptionem alii quadrantis, alii probabiliter dimidiae horae censent ita modicam, ut etiam sine causa licite fiat, vel

(1) Sporer n. 555-566; n. 577 sqq.

imo post tale intervallum adhuc aliquid sumi seu ad mensam rediri possit, etsi prandium iam pro finito esset habitum.

II. Redire ad mensam post integram horam elapsam merito videri potest interruptio notabilis, sed *posito* plenam refectionem iam esse sumptam; *secus* autem notabilis non videtur nisi sit saltem duarum horarum circiter.

Quamquam si quis duabus illis vicibus non amplius quam aliter una vice comedisset, non videretur ieiunium substantialiter laesum, adeoque solum veniale peccatum.

III. Qui ex rationabili causa interrupit, semper licite ad refectionem redit.

IV. Requisitae unitati refectionis neque obstat quod prandium protrahitur, puta per duas horas. Nihil enim Ecclesia hac de re statuit; quare, nisi ex proposito ad legem eludendam praeter morem consuetum protrahatur, scrupuli non sunt faciendi.

I. Contra legem unicae refectionis probabilius semel tantum 484.
graviter peccari potest — intellige: obiective — ita ut tertia vel ulterioribus refectionibus iam non peccetur; neque graviter, id quod hodie communiter docent; sed neque venialiter, ut probabilius docetur. Illae enim refectiones vel prohibentur vel non; consequenter vel graviter vel nequaquam illicitae sunt. Neque referre videtur utrum prima vice ieiunium formaliter an materialiter tantum sit laesum. Semper namque eadem valet ratio: ieiunium, quod ponitur secundum substantiam destructum, violari iam non potest. Cfr. n. 497.

II. Contra, qui solum in accidentalibus legem ieiunii violavit, cum vel sine culpa, is per se legem servare adhuc tenetur. Ita qui mane ientatus est, si ientaculum aequivaleat coenulae, prandere poterit modo consueto et vespere sumere frustulum matutinum; si aequivaleat plenae refectioni, sumat coenulam cum frustulo coniunctim vel separatim pro circumstantiis; si solum notabiliter coenulam excesserit, non poterit per se integrum prandium sumere; non tamen obstare videtur quominus adhuc tantum, computato ientaculo, sumat quantum aliter frustulo, prandio et coenula computatis sumpsisset: quodsi grave incommodum hoc ipsi crearet, dicatur a ieiunio excusatus.

485. I. Hora refectionis hodie est circa meridiem, ita ut omnibus, etiam tali horae non assuetis, liceat prandere hora undecima: differre licet, anticipare notabiliter sine causa non licet.

II. Ob mutatam hac in re consuetudinem universalem, probabiliter multi docent horam refectionis iam non esse de substantia ieiunii; ita ut notabili etiam anticipatione graviter non peccetur, et quaevis rationabilis causa ab omni peccato excuset.

III. Licet etiam ex rationabili causa invertere ordinem refectionis et coenulae (1), adde hodie: et frustuli.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS A IEIUNIO EXCUSANTIBUS (2).

Quatuor communiter assignantur: aetas, infirmitas, labor et pietas.

486. **Aetatis** ergo excusantur:

I. Adolescentes usque ad annum 21^{m} completum; idque certo et absolute, etiamsi satis robusti sunt; imo probabiliter excusatur quoque iuvenis eo die quo, licet summo mane, dictum annum complet. Nam consuetudo probata eos, quia ut plurimum frequentiori et abundantiori alimento indigent, per modum regulae generalis eximit; favores autem sunt ampliandi.

II. Senes ab anno 60° inchoato, quia hi quoque cibo frequentiori indigere solent. Num autem hi etiam excusentur etsi satis robusti sint, non ita conveniunt AA. Probabilius affirmatur, quia expedit legis obligationem ita definitam esse ut sciatur quinam eà comprehendantur; accedit robur senum illusivum et ambiguum esse.

Nonnulli excusant *feminas quinquagenarias*, quia citius senescunt. Fundamentum valde dubium videtur.

Quoad *ieiunia regularia* seu ex professione religiosa servanda satis communiter excusant senes ob eorum communem adeoque praesumptam impotentiam; non vero iuvenes robustos. — Veneror

(1) S. Poen. 19 Ian. 1834.
(2) Sporer n. 589 sqq.

DD. auctoritatem, fateor tamen non placere resolutionem quoad iuvenes. Praecepta regularia obligare instar legum ecclesiasticarum communiter admittitur: quidni et hoc? Dicunt iuvenes robustos a ieiunio ecclesiastico excusari vi privilegii ex mera indulgentia Ecclesiae concessi, cui privilegio profitentes Regulam renuntiare praesumuntur: sed haec praesumptio quantum certa est? Quare probabile puto iuvenes per se excusari, nisi nempe de contrario Regulae sensu certo constet, puta si etiam iuvenes ante 21^{m} annum completum diserte ad ieiunia Regulae obligentur. Sed similis exceptio etiam quoad senes robustos facienda foret. Quoad neutros autem per se sufficere credo ut promittatur generatim observantia Regulae « toto tempore vitae ». — Ceterum saltem praesumptio stabit pro impotentia iuvenum quamdiu de contrario non constat.

Infirmitatis causa excusantur: 487.

I. Praeter actu aegrotantes, etiam convalescentes, et debiles qui unica vice sufficientem cibum sumere nequeunt; qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem vel vertiginem vel molesta insomnia patiuntur.

II. Quibus accensendi sunt alias ob causas moraliter impotentes, ut 1° mulieres praegnantes vel lactantes; id quod medici extendendum putant ad tempus menstruationis; 2° pauperes et quicumque non habent quo semel sufficienter reficiantur; quia bis male comedisse sufficienter est ieiunasse.

Labor excusat gravis seu multum fatigans et debilitativus 488.
virium, cuiusmodi secundum omnes est:

I. Labor fabrorum ferrariorum, lignariorum, sutorum, textorum et similium opificiorum; item agricolarum sua opera ruralia exercentium, atque plurium famulorum et famularum, ut qui tota die in publica caupona ministrare, vel coquinam, cellariam agere debent.

Excusat quoque cursores et iter agentes laboriose et cum fatigatione, sive pedites, sive equo sive curru; nam equo vel curru itinerantes pro circumstantiis personae, viae, currus vel temporis non raro tantum fatigantur quantum alii pedites viam 4-5 leucarum conficientes, quos communiter excusatos habent; quamquam neque quoad pedites certa regula statui potest.

Non excusantur per se opifices et artifices quorum opera quieta sunt nec multum fatigant corpus, ut pictores, sartores; neque ancillae levia servitia domus exhibentes; cfr. n. sq. 2.

II. Excusat etiam labor spiritualis et ingenii, modo pro circumstantiis personarum vere gravis, ut continuo studio vacantes, concionatores saepius per hebdomadam concionantes, professores superiorum disciplinarum, confessarios diutius, puta per octo horas in die confessiones audientes: saepe enim labor huiusmodi excedit corporalem.

III. Excusat labor gravis sive ex officio debitus sive non debitus, sive pro mercede sive gratis fit, sive necessarius sive utilis tantum idque sive sibi sive aliis. Regula est, propter ieiunium non esse cessandum ab utili labore consueto.

Neque ergo divites consuetum suum laborem intermittere tenentur ut ieiunare possint.

Illi soli peccare dicendi sunt qui sine ulla verae utilitatis sed summum delectationis causa, magis autem qui, ut legem eludant, laborem assumunt. Quamquam probabiliter cum Sanchez (1) nonnulli opinantur id *interdum* licere etiam ob solam delectationem, dummodo raro fiat; id itaque in Quadragesima una alterave vice tolerari poterit.

489. Nota 1. Labor, qui excuset, ponitur exerceri non per unam alteramve horam, sed per magnam diei partem.

2. Eorum qui laborem non communiter excusantem exercent, multi tamen saepe excusantur ob causam accedentem, puta debiliorem complexionem, laborem diutius solito protrahendum etc. Pariter sunt qui labore mentis partim et corporis facile excusantur, ut magistri inferiorum scientiarum et artium, qui non solo studio sed multa praeterea locutione nimis fatigantur.

3. Qui labori gravi addicti in Quadragesima una alterave die non laborant, non ideo tum ieiunare tenentur; quod ipsis saltem ut plurimum indulgendum est sive ad reficiendas sive ad servandas vires.

490. **Pietas,** praeterquam quod permittit plures ex laboribus de quibus nn. pr., magis speciatim excusat eos qui aut ieiunando im-

(1) *Cons. Mor.* L. V. C. 1. Dub. VII, n. 18.

pedirentur sive ab implendis suis obligationibus vel officiis status debitis, sive etiam ab operibus bonis notabiliter ieiunio praestantioribus, aut quibus propter illa ieiunium saltem nimis grave evaderet. Quinimo quandoque, si nempe de opere valde necessario vel praestanti agatur, pietas excusare poterit eum quoque qui tale opus suscipit ut a lege ieiunii excusetur. Quis v. gr. damnabit eum qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicat? Cfr. n. 99, II; et Gury I, n. 110, II.

Pro praxi ulterius nota: 491.

I. Etsi ex praedictis causis excusantibus reipsa nulla adsit, si tamen bona fide et probabili ratione adesse existimetur, et ideo aliquis non ieiunet vel in collatione quantitaiem excedat, non debet peccati saltem mortalis condemnari: moralia enim praecepta moraliter sunt interpretanda, neque mens Ecclesiae est grave iugum conscientiis fidelium iniiciendi.

II. In dubio Praelati et Parochi in dispensando non debent esse scrupulosi et difficiles: ob eamdem rationem.

III. Confessarii poenitentes ne nimis urgeant, si rationem vel causam sibi bene visam probabilem afferant ac non ieiunent, vel in Quadragesima tantum bis vel ter in hebdomada ieiunent, ne alioquin vel omnino non ieiunent, vel ob conscientiam non formatam non ieiunando gravius peccent, qui secus sine culpa saltem mortali fuissent.

CAPUT ALTERUM.

DE ABSTINENTIA.

ARTICULUS I.

DE IPSA ABSTINENTIA (1).

I. **Prohibentur** lege abstinentiae 1° *semper* carnes; — 2° 492.
in Quadragesima praeterea ova et lacticinia.

(1) Sporer n. 549 sqq.

In hac lege interpretanda, cum authentica declaratio plerumque deficiat, plurimum valet consuetudo, atque adeo in singulis regionibus praecipue attendenda est communis aestimatio et usus fidelium; idque eo vel magis quod consuetudines particulares in pluribus legi derogaverunt.

II. Ad 1^m^ Respectu huius legis dividuntur animalia in carnem et piscem.

Nomine autem carnis prohibita intelliguntur tum quaelibet partes constitutivae animalis, tum cibi omnes ex carne confecti; ut adeps, sanguis, medulla, laridum, sagimen, ius ex carne expressum.

Quoad animalia rariora, si interpretationi desit consuetudo regionis, teneatur regula: carnem censeri animalia in terra et aëre viventia et respirantia.

Piscibus accenseri solent ranae, limaces, testudines, ostreae, conchae. De lutris, castoribus et fulicis variae videntur consuetudines.

Si dubium probabile manet, sive de consuetudine sive de natura alicuius animalis, comedere licebit, donec Decretum S. Sedis vel accuratius examen certam prohibitionem fecerit (1).

Ad 2^m^ Lacticinia comprehendunt lac, butyrum et caseum. Ova et lacticinia aequiparantur; quare dispensatus ad lacticinia censetur ad ova quoque dispensatus, nisi distinctio clare exprimatur. — Lacticinia, vel etiam ova, pluribus in regionibus consuetudine permittuntur.

493. Qui *diebus ieiunii*, atque in Quadragesima etiam diebus Dominicis, *vi dispensationis* carne utuntur:

I. Iis sub gravi prohibetur permixtio epularum, sc. carnium et piscium, in eadem refectione. Quae prohibitio 1° est pro omnibus diebus ieiunii per annum (2), et afficit eos quoque qui quavis de causa *ieiunare* non tenentur. Sed 2° *non* est pro *diebus solius abstinentiae* extra Quadragesimam, *neque* respicit eos qui a lege *abstinentiae* citra dispensationem *eximuntur*: id quod hodie constat ex Resp. S. Poen. 9 Ian. 1899.

II. Iisdem si a lege ieiunii *eximuntur* — non si solum dispensati sunt — per se licet carnibus aliisve cibis indulto permissis

(1) Génicot n. 442.

(2) Non autem pro *semidiebus* S. Marci et Rogationum: vide *Nederl. Kath. Stemmen* 1902 pag. 125 s.

vesci quoties per diem edunt (1). Hoc tamen iis non licet in Dioecesi, cuius Episcopus hanc licentiam etiam pro exemptis a ieiunio ad unicam refectionem restrinxit, sive explicite sive *implicite,* puta si non omnibus fidelibus sed *solis exemptis* a ieiunio permittit ut ovis saepius in die utantur (2). Quamquam huiusmodi restrictionem « non expedire » respondit S. Off. 11 Dec. 1878.

Nota ad II. Possunt iidem in eadem refectione uti insculo carnis — intellige: sine frustulis carnis — et de caetero vesci piscibus (3).

Concesso usu adipis liquefacti per modum condimenti aliorum ciborum, 494.

I. Usus hic non restringitur ad unicam refectionem, atque permittitur etiam in coenula dierum ieiunii, nisi restrictio clare exprimatur (4).

II. Iam constat ex Resp. S. Inq. 1 Maii 1889 condimenta ex adipe concessa non restringi ad adipem suinum, sed comprehendere adipem cuiuslibet animalis. Quod Resp. non contradicit Responso S. Poen. ex quo sub tali condimento permisso non comprehenditur insculum carnis coctae: hoc enim intelligitur ferculum potius quam ferculi condimentum.

III. Ad quaesitum num edi possint ea laridi frustula quae ex eodem liquefacto integra manent: S. Poen. 17 Nov. 1897 respondit: « affirmative, dummodo pergant esse pars condimenti ».

In coenula diebus ieiunii permissa quaenam per se, citra indultum, permittantur vel prohibeantur, totum pendet e consuetudine prout in singulis regionibus viget: quo attento hodie nihil, si caro excipiatur, iam dici potest universaliter interdictum. 495.

Obligatio precum vel eleemosynae quam Episcopi in Litteris dispensationis quadragesimalis iniungere solent, contra nonnullos, levis dicenda est: quia Episcopi praesumi debent non commutare sed vere dispensare, idque absolute non conditionate; opus 496.

(1) S. Poen. 16 Ian. 1834 et 16 Mart. 1882.
(2) S. Poen. 27 Maii 1863.
(3) S. Poen. 28 Febr. 1826; alii citant sub 8 Febr. 1828.
(4) S. Poen. 16 Ian. 1834.

vero pium imponere in levem compensationem. Quodsi opus pium est reapse leve, ut plerumque est, de hoc ne dubitari quidem potest. — Neque coalescit repetita omissio operis praescripti, quia iniungitur pro singulis diebus seorsim. — Coeterum haec obligatio non afficit eos qui citra dispensationem a lege abstinentiae eximuntur.

497. I. Qui lege abstinentiae, sive formaliter sive materialiter tantum, iam notabiliter laesa, *eodem die* iterum cibis vetitis utitur, certo illicite agit quoties iis utitur — secus ac dictum est n. 484, 1 de ieiunio — quia agitur de praecepto negativo et cuius substantia quavis transgressione non destruitur.

Sed utrum toties aliud numero peccatum committit? Communiter quidem AA. sentire videntur toties mortale peccatum numero distinctum committi, quoties notabili quantitate haec lex violatur. Quod tamen opinor non satis efficaciter dicta ratione probari. Est enim *unum* praeceptum pro *tota* quaque die: unde sequi videtur

1° ut parvae materiae eodem die sumptae semper coalescant, etiamsi alioquin vicibus moraliter distinctis sumptae sint; sed etiam

2° ut, *iam gravi materia completa,* novae comestiones per se — abstrahendo a retractata iterumque mutata voluntate — non constituant novum numero peccatum, sed iam commissum continuent et augeant; cfr. n. 130.

Quod 2^{m} qui non admittit, nec 1^{m} admittat, oportet: id quod magis etiam communi sensui adversari videtur.

II. Quoad materiae gravitatem ut plurimum AA. non distinguunt inter dies ieiunii et solius abstinentiae. Verum pro diebus solius abstinentiae materia « forte ampliari potest; ut quemadmodum in die ieiunii quantitas duarum unciarum ex cibis quadragesimalibus non est materia gravis, ita in die abstinentiae quantitas duarum unciarum carnis adhuc sit materia levis. Utique haec magis nutrit; sed advertendum quoque est, in die abstinentiae nutritioni limitem nullum poni ». Ball.-Palm. II, n. 108, ed. 3^{a}, n. 1155.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS AB ABSTINENTIA EXCUSANTIBUS.

Causae excusantes reduci possunt ad moralem impotentiam seu grave incommodum. Praecipue excusantur (1): 498.

I. Pauperes mendicantes qui comedere possunt quidquid in eleemosynam accipiunt. Quod merito extendi potest ad eos qui in tanta miseria vivunt ut, nisi pudore prohiberentur, mendicaturi essent. Neque necesse est ut alio cibo hac die careant. Nam Ecclesia, tam benigna in pauperes, praesumi potest non invita quominus isti hoc insolito commodo sibi obtingente fruantur.

II. Pauperes operarii qui nihil aliud habent quam frustulum sagiminis vel laridi ad offam vel lactucas condiendas.

III. Aegrotantes vel stomacho ita debiles ut cibos licitos digerere vel iis vires sufficienter reficere nequeant.

Quibus accensendae sunt mulieres praegnantes vel lactantes si ipsae debiles sunt vel eorum infantulus infirmus est vel huic periculum infirmitatis imminet; vel etiam si praegnantes vehementi et morbida appetentia carnes expetunt, cui nisi satisfaciant ipse earum timor vel imaginatio videtur foetui nocere posse.

IV. Qui operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus ut aegrotantium instar famem non experiantur cibosque respuant: cuiusmodi sunt qui in fodinis vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Quibus etiam accensendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non tamen ii qui currus, vel equos lente ducunt et in cauponis nocte feriantur.

V. Iter agentes qui cibos licitos ad congruam refectionem non reperiunt, nec sine magna difficultate habere possunt.

---

(1) Cfr. S. Lig. n. 1008 sqq.; Gury n. 487; Génicot n. 449; Berardi n. 1447 sqq.

VI. Qui non sui iuris existentes cibos licitos quibus sese sustentent, non possunt habere; dummodo esus carnis ne cedat in contemptum Religionis vel in scandalum: quod utrumque protestatione generatim averti potest.

« Posse personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, si hic non possit vel nolit duo parare prandia, permitti uti cibis patrifamilias indultis » respondit S. Poen. 16 Ian. 1834. « Ratio illius permissionis non est indultum patrisfamilias, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum »: 16 Dec. 1862. — Ergo indultum illud ad rem non facit. — Tandem « sufficere permissionem factam a simplici Confessario » respondit 27 Maii 1863. — Sensus videtur, in casu exposito Confessarium, ratione *impotentiae* in qua versantur subditi patrisfamilias, *declarare* practice posse iis licere uti cibis quibus utitur paterfamilias.

Famuli et ancillae per se quidem tenentur alium famulatum quaerere si commode possint; sed saepe obligatio haec, praesertim pro ancillis, urgenda non est, si reliqua religionis officia rite obire sinuntur et periculum castitatis abest; nam valde timendum est ne alibi deteriora inveniant.

VII. Hospes qui, praeter exspectationem, prandium carnibus paratum invenit, neque alias epulas obtinere, vel discedere sine gravi incommodo potest. Nam discedere aut toti prandio assistere nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia notabilem turbationem, imo ut plurimum inimicitiam provocaret.

Non liceret tamen comedere carnes, si facile aliae epulae obtineri possent; ut solet fieri quando quis per plures dies versatur inter consanguineos vel amicissimos qui legem abstinentiae non servant.

VIII. Si bona fide condimenta vetita adhibita fuerint, v. gr. ius carneum leguminibus immixtum, et error tantum instante prandio detegatur, ratio sufficiens aderit ut cibus ita praeparatus sumatur: nam a re sub levi prohibita excusat causa rationabilis.

Quodsi integrum prandium carnibus paratum est, videndum erit num in eo relinquendo notabile adsit incommodum,

quod sat crebro occurret praesertim si iam deest tempus ad aliam convenientem refectionem parandam, si timentur irae et contentiones.

Nota. Militibus, et alicubi etiam itinerantibus, concedi solent specialia indulta, quae videantur in mandatis quadragesimalibus.

Coeterum cfr. n. 491.

CAPUT TERTIUM.

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM (1).

ARTICULUS I.

PRAENOTANDA GENERATIM.

Ius novissimum, solum hac in re hodie in Ecclesia uni- 499.
versa vigens (2), continetur Constitutione *Officiorum* lata a S. P. Leone XIII 25 Ian. 1897, seu *Decretalibus generalibus* cum eadem publicatis, atque Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida* (3); quibus anno 1900 accessit novus *Index* librorum prohibitorum: alia omnia, quae usque ad dictam diem pro tota Ecclesia statuta erant, abrogata sunt. At 11 Aug. 1905 prodiit Decretum S. R. C. de melodiis Gregorianis, cui accessit Declaratio 14 Febr. 1906. Vermeersch n. 89.

Non tamen adempta est Episcopis aliisque Praelatis iurisdictione quasi-episcopali gaudentibus potestas ferendi leges vel praecepta particularia pro suis respective subditis. Notetur tamen differentia inter episcopos, qui, ut fidei iudices, sententiam etiam condemnatoriam in libros ferre possunt, aliosque Praelatos qui, cum non sint iudices fidei, solum prohibere possunt libri lectionem etc.

---

(1) Cfr. Vermeersch, ed 4ª, et Sleutjes, uterque: *de prohibitione et censura librorum.*

(2) Huc faciunt plures ex propositionibus 65 a Pio X per generale Decretum 3-4 Iulii 1907 proscriptis: uti 7ª: Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum.... Et 8ª: Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a S. C. Indicis aliisve SS. CC. latas nihili pendunt.

(3) Haec Const. leges continet pro solis librorum censoribus, nominatim pro SS. CC. Officii et Indicis.

500. **Interpretatio** constitutionis *Officiorum,* ex communiori sententia, stricta esse potest et debet, ita ut generatim dubia in favorem libertatis resolvantur, nisi ipsum ius naturale vel verba ipsius Const. aliud postulent.

501. **Distinguenda** inter se sunt duo haec: *prohibitio,* qua librorum, qui editi iam sunt vel supponuntur, vetantur lectio aliique actus de quibus infra n. 505; atque *censura* cui libri nonnulli edendi praevie, antequam publici iuris fiant, ex praecepto ecclesiastico subiiciendi sunt. Neque enim horum unum ab altero necessario pendet: nam prohiberi potest liber etiam praeviâ censurâ permissus; atque ex neglecta censura praevia nequaquam semper sequitur libri prohibitio, sed in triplici tantum casu n. 7, 13 et 20 *Const. Officiorum.*

ARTICULUS II.

PRAENOTANDA DE PROHIBITIONE SPECIATIM.

502. **Obiectum** prohibitionis plerumque sunt libri, ut distincti ab aliis opusculis, praesertim minoribus.

Requisita ad librum constituendum ex vulgari hodie acceptione dicenda videntur, ut sit *volumen certae molis et unitatis typis impressum.*

I. *Moles* secundum mediam, inter multas et valde discrepantes, eamque probabilem sententiam requiritur et sufficit 4-6 foliorum seu 80-100 paginarum in 8°. Excluduntur itaque diaria similesque ephemerides, item concio vel epistola seorsim edita, et similia. Aliae autem publicationes periodicae ut plurimum includuntur, saltem attentis iis, quae mox dicentur de unitate.

II. *Unitas:* requiritur plus minusve *formalis* circa quam potius attenditur scopus seu tendentia totius operis quam unitas obiecti specialis.

Excluditur ergo volumen etsi compactum sed constans ex pluribus scriptis minoribus omnino diversis vel ex diariorum foliis.

Quoad publicationes periodicas (tijdschriften, revues) quae ad unum tandem volumen constituendum destinantur, distinguendum

videtur: 1° Singuli fasciculi (afleveringen, livraisons), etsi forte sat magnae molis, requisita tamen carent unitate quam ut vere libri dicantur; quare potius cadent sub n. 21 sq. Const. *Officiorum*.

2° At series articulorum (talis generis vel scopi ut, positis ponendis, sub prohibitione vel etiam sub poena cadant), pluribus huiusmodi fasciculis contentorum, attentis tum mole tum unitate requisitis, vere librum constituere possunt; idque sive plures hi fasciculi in unum compacti sunt sive non sunt (1).

III. *Typis impressum* ut volumen sit, hoc sensu AA. communiter requirunt, ut opus sit diffusioni seu divulgationi aptum: ita ut hodie *libro* opponatur *manuscriptum*, non vero opus lytographice, polygraphice similive modo multiplicatum.

Quod si sermo solum est de praevia censura, ante operis editionem faciendam requisita, distinguendum potius est, utrum opus vere publici iuris fiat an solum ad limitatum usum, puta discipulorum, plus minusve multiplicatur. Sed enim neque in hac hypothesi refert, utrum multiplicatio lytographiâ etc. an typis fiat (2).

Ea quae secundum praedicta sub nomine librorum non intelliguntur, consequenter neque lege positiva prohibita esse dicenda sunt, nisi diserte commemorentur; cfr. nn. Const. 13, 17 et 20.

Adverte 1°. quoad ea omnia quae dicta sunt vel dicentur non comprehendi lege positiva, in praxi attendendum est num cadant sub prohibitione legis naturalis, puta propter periculum reapse existens sive communiter sive pro tali homine in particulari.

2°. Ea quae dicta sunt nomine librorum prohibitorum non venire ideo solum, quia typis impressa non sunt, eadem imprimi et publicari licite non posse, ex se liquet. Cfr. dicenda de censura librorum.

I. Prohibitio afficit totum librum ita ut neque par- 503.
tes innocuae licite legi etc. possint. Quodsi tamen constet quaenam pars ansam dederit prohibitioni, et haec pars amoveatur, vel si alio quopiam modo efficiatur, ut legi haec pars non possit, probabiliter, contra plures, docetur cessare prohibitionem. Idem dicendum videtur, si opus constet pluribus tomis, et separentur tomi illi, qui prohibitionis causa fuerint; item si libri prohibiti folia innocua et ab eo separata edantur, legantur, etc.

(1) Cfr. Boudinhon, *La nouvelle législation de l'Index*, ad art. 47; Vermeersch n. 34.

(2) Cfr. n. 531, 2; Vermeersch n. 38; Hollweck, *Das Kirchliche Bücherverbot*, ed. 2ª pag. 24 sq.

II. Miscellanea litteraria (*bloemlezingen, chrestomathies*) qua talia, seu quatenus partes diversorum operum, etiam prohibitorum, continent, prohibitione comprehendi non videntur, nisi moraliter idem aliquod opus proscriptum videantur exhibere. Quatenus vero novum librum constituunt, videndum num forte ob suam ipsorum indolem sub Decreta generalia cadant, puta quia ex professo fidei vel moribus adversantur. Vermeersch n. 31; Lega *De iudiciis ecclesiasticis,* III, n. 344.

3. Prohibetur etiam libri prohibiti tum nova editio sine licentia S. C. Indicis, tum versio in quodcumque idioma; Const. *Officiorum* n. 31 et 45.

504 I. Ex Praefatione novi Indicis nota

1. « Quoties alicuius auctoris scripta omnia prohibentur, ea tantum opera intelliguntur, quae aut de religione agunt, aut decreto aliquo generali aut speciali proscripta sunt ». pag. XIV.

2. Contingit « in Indicem referri primum aut priora volumina alicuius operis, cuius posteriora illud decretum prohibitionis in lucem publicam secuta sunt; aut proscribi libellos periodicos, qui postea identidem continuati fuerunt; item opera omnia prohiberi alicuius scriptoris, qui post emanatum decretum alia opera edidit. In omnibus his casibus volumina vel libelli vel opera post ultimum decretum speciale evulgata, quamvis decreto illo speciali non comprehendantur, tamen suspecta habentur, et in decreti alicuius ex generalibus prohibitionem incidere merito praesumuntur nisi forte de auctoris resipiscentia constet ». Ibid. p, XVI.

3. Clausula *donec corrigatur* « modum tantum, non effectum prohibitionis respicit ». Ibid. p. XXII.

II. Adverte tandem 1° libros prohiberi alios propter ipsam materiam contentam, puta falsam vel periculosam sub respectu fidei vel morum; alios potius ob defectum censurae seu approbationis, quae nim., attenta materia, quandoque specialiter requirenda est. Vid. Const. n. 7, 13 et 20. In priori hypothesi prohibitio afficit quoque libros ante iam editos; sed aliud per se est in posteriori hypothesi (1).

---

(1) Cfr. Vermeersch n. 28; De Brab. v. Coll. II, n. 1309; Lega III, n. 342; Génicot I, n. 453, 4°. Hollweck pag. 16 sq.

Adverte 2° alios omnino vel fere absolute et omnibus, alios minus absolute et universaliter prohiberi.

Actus prohibiti directe sunt editio et impressio (saltem 505.
si haec in sensu morali sumatur), lectio, retentio, defensio. Vide Const. *Officiorum* n. 12 ubi dicitur: « Nefas esto libros edere, legere aut retinere » etc., et. n. 47 ubi excommunicatio statuitur in legentes, imprimentes, retinentes et defendentes. Ili ergo actus dicendi sunt cadere sub generali voce prohibitionis, proscriptionis, damnationis etc. Neque enim poenalis sanctio latius extensa intelligi potest quam ipsa prohibitio. Atque voces « edere » et « imprimere » hisce locis unum idemque videntur significare.

Praeterea ex n. 26 Const. cit. iis qui legendi licentiam obtinuerint, grave incumbit praeceptum libros ita custodiendi ut ad aliorum manus non perveniant. Atque n. 46 librorum venditoribus, qui nim. tales sunt ex officio seu professione, prohibetur quoad libros de obscenis ex professo tractantes, ne illos vendant, commodent, neve retineant; quoad ceteros autem ne illos venales habeant nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, etc.

Alia (ut venditio, commodatum, similesque actiones quibus libri prohibiti in aliorum manus deveniunt quoad alios quam de quibus agitur n. 26 et 46 cit. Const. — et probabiliter etiam impressio materialiter sumpta seu intellecta de iis qui pro domino officinae laborem imprimendi praestant) haec, inquam, potius iuri naturali subiacent, iure ecclesiastico autem indirecte prohibentur ut cooperationes ad actiones directe prohibitas.

Adverte sermonem hic esse de prohibitione: quo respectu practice non ita multum interest num directe an indirecte aliquid dicatur prohibitum, excepto quod in posteriori thypothesi facilius adest causa excusans; cfr. n. 284. De sanctione poenali dicemus in tr. de Censuris n. 564 et 593. — Iam explicantur actus directe prohibiti omnibus.

Editio et impressio, coniunctim sumpta, dicuntur de causa 506.
primaria qua liber prohibitus fit publici iuris et divulgatur; haec autem causa potius est moralis quam physica. Antiquitus causa haec una erat, veniebatque nomine imprimentis; atque typographus erat quoque editor. Si duo haec ab invicem distinguantur, ut hodie reapse duo huc spectantia officia saepius separantur,

editor suo periculo librum typis excudendum typographo committit, librumque divulgandum curat; typographus vero librum typis excudendum suscipit. In iure autem, praesertim novissimo, duo haec, nisi aliud indicetur, idem significare videntur atque alterum de altero quoque intelligi.

Libri itaque auctor, ut talis, huc non pertinet; at saepe vèl ipse editorem sui libri agit, vèl librum suum edendum et imprimendum curat, illumque *eo fine* tradit editori vel typographo, sive vendendo sive alio titulo: quo utroque casu huc pertinere dicendus est. Quamquam in posteriori casu adhuc negat Pennacchi (1).

Plures alii impressionis causam physicam quoque, saltem proximam, nomine imprimentium intelligunt. Sunt imo qui hos vel solos vel saltem potius quam ipsum typographiae dominum et editorem nomine imprimentium directe et proprie intelligi dicant. Verum hoc a vulgari acceptione discedere videtur. Etenim hodie praesertim voce « imprimentis » (*drukker, imprimeur*), nisi aliud clare indicetur, communiter non significant typorum compositores aliosve operarios, sed officinae dominum (2).

507. I. Lectio intelligitur formalis et propria (ipsius legentis), quae nim. supponit visum et aliquem intellectum eorum, quae leguntur. Quare *certo* legere dicendi non sunt, qui mere audiunt legentem, vel memoriter recitant ea quae olim didicerunt, vel ignari sunt idiomatis libri. De audiente, qui legentem ad hoc induxit, sive consilio, sive prece, sive etiam iussu, *dissentiunt* AA., sed advertatur ad cooperationem.

II. Materia gravis quaenam sit, non ex solo linearum vel paginarum numero, sed magis etiam attento fine prohibitionis diiudicandum est; et posterius quod attinet, adverte supra notatum n. 504, II. 1º.

1. De libris proprie dictis, vel hisce aequiparatis (n. 502, II), iisque in se periculosis, si agitur, 1) sola quantitate attenta, tres

(1) *Brevis commentatio* tit. II., cap. V., n. 84, coll. ib. n. 83, et ante tit. I, n. 38.

(2) Cfr. Vermeersch n. 49, et n. 125, 8. Hollweck pag. 48 in nota. Boudinhon ad art. 47 sq.; Wernz *Ius Decretalium* tom. III, n. 121, pag. 142 sqq.

quatuorve paginas fere omnes materiam gravem censent; 2) si vero legatur locus ubi materia prohibita specialiter tractactur, seu attento periculo, non pauci cum S. Alph. putant iam paucas lineas ad peccatum grave sufficere posse; alii vero amplius requirunt, puta unam alteramve paginam. Posteriorem opinionem probabilem habeo, si de solo iure ecclesiastico quaeritur; si vero de iure naturae, puto opinionem S. Alph. practice saepe veriorem esse.

2. De diariis vel similibus si agitur, paulo benignius iudicari potest; graviter tamen peccare dicendi sunt qui aut ea habitualiter vel frequenter, aut talem scienter partem notabilem legunt in qua animadvertunt fidem moresve impugnari. Is vero qui hic et nunc sola nuntia politica vel negotiatoria legit, etiam a veniali peccato, si rationabilem ea legendi causam habeat, facile excusatur. — « Ceterum — notamus cum Lehmkuhl — quum numerus eorum diariorum, qui nova hac *ecclesiastica* lege prohibetur, satis restrictus sit, iam difficilius intelligitur, quomodo homo catholicus, non dico rationem, sed speciem quandam rationis habere possit, cur sibi res ibi discussas vel etiam solas annuntiatas legere necesse esse putet. — Facilius tamen, quae de excusatione dixi, applica ad ea diaria, quae ecclesiastica quidem prohibitione non certo feriantur, propter impugnatam tamen *data occasione* fidem catholicam, naturali lege plerisque prohibentur ».

3. De aliis libris, libellis etc. si agitur, prohibitis sc. quia indebite edita, puto non facile sola lectione graviter peccari contra legem ecclesiasticam, nisi forte fundatam praebeant suspicionem falsitatis vel erroris. Cfr. Const. *Officiorum*. n. 13 et 20.

I. 1. **Retentio** prohibita *certo* ea est, qua quis *penes se* li- 508.
brum servat sive proprium sive alienum; neque hic excusat ignorantia idiomatis. Qui vero *penes alium* retinet, hunc communiter excusant, si deposuit apud habentem facultatem, idque cum pacto expresso non repetendi nisi post obtentam legitimam facultatem; si secus, contrarium commune videtur; hoc ultimum tamen non ita clarum et certum mihi est: in casu dominium (aliudve ius) proprie, ipsum vero librum minus proprie retineri potius dicerem. Patet tamen peccari posse solo animo repetendi et retinendi librum sine habita facultate: sed haec non est quaestio.

Custos bibliothecae alienae libros prohibitos continentis, hos non censetur retinere, nisi tamen eos servet in domo vel cubiculo propriis.

Bibliopegam communiter retinentibus accensent. At facile eam excusant, si libros compingendos habet vèl pro habente licentiam, vèl ex alia rationabili causa. Quod idem dicendum videtur *de famulo,* qui pro domino libros servat; Cfr. Lehmkuhl n. 924, 2°.

2. Ad grave peccatum 1° quoad libros ex communi sententia requiritur, ut quatuor pluresve dies retineantur. Qui tamen expectat legendi licentiam vel occasionem librum tradendi habenti facultatem, etiam diutius sine peccato eum retinere potest. 2° Quoad diaria et similia requiri et sufficere videtur, ut in notabili quantitate, puta 15 folia continua vel 30 non continua, colligantur. Qui talia emit vel colligit ad usum, qui omne periculum lectionis excludit, num peccet, dissentiunt AA. 3° *Propter animum retinendi* praesumptum statim graviter peccare censetur, qui librum emit vel diario pro aliquo tempore subscribit. At non ideo statim poena contrahitur annexa retentioni.

Non iam praescribitur ut libri prohibiti tradantur Ordinario; sufficit igitur, ut destruantur. Ubi bibliotheca communis habetur, ut in monasteriis, seminariis etc, sufficere videtur ut custodiantur in loco sequestrato ad hoc destinato, vulgo « inferno » dicto; idque non solum pro ipsis religiosis etc. sed etiam pro aliis; cfr. Reiffenstuel, lib. V Decret., tit. 7, n. 129 sqq.

II. **Defensio** prohibita communiter intelligitur tum *physica*, qua nim. impeditur ne liber destruatur, tradatur etc.; tum *moralis,* qua liber vèl absolute vèl quatenus ansam prohibitionis dedit, verbo vel scripto defenditur; aliud est de eo, qui solum styli elegantiam aliasve vere bonas libri dotes laudat.

Physice solum defendentem Génicot n. 457 cum Pennàchi n. 38 existimat « non violare praesentem prohibitionem... Ratio potissima desumitur e Const. Bened. XIV *Sollicita* § 10, ubi defensio de solis verbis explicatur ». Sed allata ratio valde infirma videtur; nam l. c. de alia re agitur, sc. de defensione ipsi Auctori concedenda vel uni ex consultoribus committenda, antequam liber, di quo agitur, difinitive damnetur.

ARTICULUS III.

Sequuntur ex ipsa Const. *Officiorum* Decreta generalia, quae nim. spectant genera librorum, adiectis nonnullis adnotationibus. Decreta specialia, quibus libri singuli prohibentur vel prohibita declarantur, exhibet Index librorum prohibitorum.

DECRETA GENERALIA.

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

TITULUS I.

DE PROHIBITIOME LIBRORUM.

Caput I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

509. 1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt [1]: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur [2].

1. Quod intellige de ipsa damnatione, non de censuris olim annexis, de quibus hodie secundum hanc ipsam Const. n. 41 sq. iudicandum est.

2. Cfr. nn. 3, 6, 8 et 10. Praeterea ex communi sententia a prohibitione nunc, sicut olim, excipiuntur libri haereticorum primi temporis, ut Tertuliani, Eusebii, Origenis, Pelagii etc.

510. 2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes [1], aut ipsa religionis fundamenta [2] utcunque [3] evertentes [4], omnino prohibentur.

1. Sc. additis rationibus tuentes, suadentes.

2. Alii intelligunt revelatae cuiuscumque seu solius naturalis religionis fundamenta, ut sunt existentia Dei personalis, et rerum omnium ab Eo origo per creationem, spiritualitas animae, motiva credibilitatis fidei. Alii vero hisce addenda censent fundamentalia ipsius fidei seu religionis catholicae dogmata, ut sunt Christi divinitas, S. Scripturae et Traditionis atque ipsius Ecclesiae auctoritas: quia sicut in seq. n. 4 verba *religio* et

fidei veritates ut synonima adhibentur, ita etiam h. l. nulla ratio distinctionem insinuatam suadere videtur; id autem alii negant, quia dogmata catholica iam prioribus huius n. verbis attinguntur. Prohibentur itaque in utraque opinione libri qui scepticismum, materialismum, vel generatim qui similia systemata sophistica tuentur, quibuscum religio stare non potest. Cfr. Vermeersch n. 665. De Brab. v. Coil. II, n. 1311[2].

3. I. e. quovis modo, sive serio sive irrisorie, sive directe sive indirecte.

4. Indicari videtur non sufficere si obiter tantum de religionis fundamentis sermo fiat.

Adverte 1° *haeresiarcharum* iam *non omnes* libros prohiberi; 2° prohibitionem hanc latius extendi quam *censuram* n° 47 ex Const. *Ap. Sedis* retentam.

511. 3. Item prohibentur acatholicorum [1] libri qui ex professo [2] de religione [3] tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri [4].

1. Intelligi alii dicunt *omnes* ad Ecclesiam catholicam non pertinentes, sive christianos sive infideles, alii solos pertinentes ad Ecclesiam aliquam christianam, non tamen catholicam (1).

2. Seu: data opera, ex instituto, non obiter sed in notabili saltem libri parte, vel non raro sed passim.

3. I. e. de quavis disciplina sacra, imo etiam de philosophia morali, quatenus officia erga Deum vel societatem religiosam complectitur, vel ad debilitanda dogmata adhibetur. Cfr. Vermeersch n. 87, 3.

4. Non requiritur ut constet per authenticam declarationem; sufficit quaelibet certitudo moralis. Ceterum adverte 1° hic per exceptionem in antecessum constare hac de re debere, saltem per se; cfr. Pennacchi, l. c.; Boudinhon, i. h. l. Adverte 2° ad verba *nihil* et *contineri*.

512. 4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint [1].

1. Nota differentiam inter acatholicorum libros *ex professo*, aliosque *non ex professo* de religione tractantes.

Caput II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

513. 5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatho-

(1) Cfr. Wernz n. 111, nota 56; Boudinhon, i. h. l.; Vermeersch n. 67; Pennacchi n. 41; Lega III, n. 350; Génicot I, n. 452, I.

licis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam [1], dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata [2], permittuntur.

1. Qui, sive clerici sive laici, *habitualiter*, sive in scholis sive privatim, saltem per aliquod tempus, speciali ratione haec studia excolunt, non vero qui actu transeunte tantum.

2. Quae distinguuntur ab aliis veritatibus fidei etsi theologice certis.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Caput III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lin- 514.
gua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi [1] fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus [2] desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

1. Sublata pro hisce versionibus est fidelium obligatio Parochi vel Confessarii consilium petendi.

2. Quibus assimilandae videntur versiones paraphrasticae.

Ex usu iam recepto, saltem in pluribus regionibus, permitti posse videntur *sine* adnotationibus quaedam S. Scripturae partes, quae passim in libellis precatoriis inseruntur: quae tamen «exceptio certo non est admittenda pro *libris epistolarum et evangeliorum aliisve* huiusmodi, qui ut tales et seorsum in lingua vulgari sine notis eduntur (1)». — Nec praefatae *speciali* regulae approbationis, sed *communi* tantum censurae obnosciae sunt *historia utriusque Testamenti*, quae in usum iuventutis quasi compendio exhibent S. Biblia. Sleuties n. 25 nota; Vermeersch, ed 3ª, pag. 80, n. 15 i. f.; qui ed 4ª, n. 71, 8, hic quoque applicandam dicit permissionem, de qua mox infra in Const.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non

---

1) De Brabandere - Van Coillie, n. 1314³ i. f.

semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur; iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV.

De libris obscenis.

515. 9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent [1], cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

1. Sc. eo modo ut de se ad lasciviam tendant qualiscumque sit intentio subiectiva scribentis, et quamvis forte sub praetextu scientiae hoc fiat. Aliud est de libris vere scientificis, vel etiam mere theoreticis, puta qui amores liberos non describunt, sed mere tuentur.

516. 10. Libri auctorum, sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos [1] vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii [2] aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus [3], nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

1. Qui nim. a litterarum magistris vel scriptoribus tanquam exempla adhiberi solent, atque supponuntur ob solam turpitudinis labem, non aliam ob causam, prohibiti.

2. Qui sc. non aliquo casu particulari et per accidens aliquid scribere intendunt, sed vere ratione officii quo funguntur, puta scriptoris vel critici, talibus opus habent.

3. Intelligi videntur scholares quilibet infra virilem aetatem, etiam in universitatibus. Aliter tamen quoad hos postremos sentit Lehmkuhl.

Dicta extendi possunt ad eas quoque versiones quae versantibus in litterarum studiis facultatem praebent percipiendi utilitatem ex classico auctore. Vermeersch n. 73, 7.

Caput V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

517. 11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi [1] detrahitur [2]. Eidem reproba-

tionis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur [3]. Prohibentur quoque libri qui data opera [4] Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt [5].

1. Non uni vel alteri Romano Pontifici. Quodsi tamen pluribus detrahitur, videndum num forte hoc fiat animo detrahendi ipsi S. Sedi.

2. Quamvis non expresse requiritur ut fiat data opera, neque tamen sufficit unum alterumve verbum detractionis, sed requiritur notabilis seu protracta detractio, ut ex ipsa huius capitis inscriptione deducitur. Cfr. nota 4.

3. Vid. propp. 9 sqq. ex 65 a Pio X, 3-4 Iul. 1907 reprobatis.

4. Dictio haec communiter habetur ut idem significans quod dictio *ex professo*. Ball.-Palm. n. 1182 hanc clausulam ad praecedentes quoque huius n^{i} partos referendam censet; cfr. Vermeersch n. 74, 2, qui cum aliis aliud sentit: sed ob dictum sub 2 parum refert.

5. Quod plus significat quam detrahere, maxime hoc loco cum diserte requiratur ut fiat data opera. Ceterum cfr. nota 1 ad hunc n.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur [1]. 518.

1. Non sufficit ut mere referantur seu narrentur.

13. Libri aut scripta [1], quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur [2] absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur. 519.

1. Non refert cuius molis vel formae. Supponi autem videtur huiusmodi novitates non obiter vel per transennam referri, sed librum scriptumve in hisce novitatibus spargendis vere versari. Quare minus etiam proscripta censenda sunt diaria eo quod, ut fit, miracula narrant nondum ecclesiastica auctoritate probata. Cfr. n. 41; et Génicot n. 453, 3°, quocum praeterea hic advertimus: « Neque ... videtur hodie requiri formalis protestatio quam, iuxta Urbani VIII decreta, hucusque solebant libris suis praemittere qui facta mirabilia servorum Dei nondum beatificatorum conscribebant ». cfr. n. 43.

2. Quia proscriptio supponit publicationem, dicendum requiri ut, si minus typis impressa, saltem aequivalenti ratione publici iuris facta sint.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI.

De sacris Imaginibus et Indulgentiis.

520. 15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur [1], non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

1. Non ergo comprehenduntur imagines quae in defuncti vel primi sacri oblati memoriam, similive occasione inter amicos distribui solent, etsi annexas habeant orationes indulgentiâ ditatas.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

521. 18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare [1] praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur [2].

1. Immutatus non censetur textus eo solo quod suis locis plura quam in authentica in commodum utentium extenduntur vel repetuntur.

2. Novae editiones exemplari typico conformes num adhuc egeant approbatione Ordinarii, dissentiunt AA. cfr. Vermeersch n. 88, 4; Pennacchi n. 56 i. f.

19. Litaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas [1], non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

1. Adde Litanias SS. Cordis Iesu, approbatas decreto 2 Iulii 1899.

20. Libros, aut libellos [1] precum, devotionis, vel doctrinae [2] 522.
institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

1. Non itaque folia et scripta quaecumque, sed opuscula minoris quidem quam libri molis, in forma tamen libri edita.

2. Ut tum ex titulo capitis, tam ex textu huius n.i « *ad fovendam .. pietatem* » satis patet, hic intelliguntur, non opera scientifica seu speculativae expositiones doctrinae moralis etc., sed opera et opuscula magis practica, ut catechismi, lectiones spirituales, meditationes et similia.

Caput VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici [1], qui religionem [2] aut 523.
bonos mores data opera [3] impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

1. Intelliguntur ephemerides seu publicationes periodicae quaelibet, in quavis forma prodeunt, et quae ut talia, seu in tractu suo periodico, religionem impetunt; cfr. 3.

2. Alii intelligunt de sola religione *catholica, universe tamen sumpta*, ita ut non sufficeret impugnatio unius dogmatis; alii de religione *omni, etiam naturali*, ita ut diaria etc. *ex toto* adversentur religioni cum naturali tum revelatae. Vid. Vermeersch a. 92, 4.

3. Non hic et nunc, data occasione, sed habitualiter.

22. Nemo a catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis vel foliis, vel libellis periodicis quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

Caput IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis 524.
proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem

praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes [1] pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant [2].

1. Communiter, contra paucos, hoc intelligunt quoque de Praelatis Regularium exemptorum, non solum generalibus et provincialibus, sed etiam localibus. Cfr Lehmk. ad h. l.

2. Hac Episcoporum aliorumque facultate attenta, in praxi non ita facile ob occurrentem casum necessitatis vel gravis utilitatis locus erit epikeiae (1). — Attamen cum Vermeersch l. c.: « *actuales* exceptiones a lege, si quando, *ex assumpto officio*, *moralis* te premat *necessitas* legendi damnatum aliquod opus, videntur admitti posse etiam nulla petita facultate, dummodo, ut patet, proximum vitetur periculum peccati (2). In hoc necessitate versari possunt iudex, advocatus in forensi controversia; persona cui specialiter, ex art. 27, competit facienda denunciatio, ad certum librum deferendum; superior ecclesiasticus ad hunc examinandum et reprobandum; scriptor diarii catholici ad prompte respondendum; adolescens qui ad audiendas praelectiones quas licite frequentat, vel ad periculum faciendum in re philosophica vel in litteris cogitur adhibere textus non emendatos; et, secundum Holweck, probabiliter etiam professor theologiae moralis, quatenus necesse habeat cognoscere aliquo modo libros obscoenos, pro quibus non conceditur facultas. His enim casibus licentia legendi continetur ipsa facultate exercendi talis officii; vel finis legis dici potest *contrarie* cessare et locus esse epikeiae..... Porro e republica est ut pii et catholici viri officiis et muneribus exercendis non prohibeantur ».

26. Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in Apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

---

(1) Cfr. Vermeersch n. 95; Hollweck pag. 42 sq. nota 1; Génicot I, n. 452, 4; De Brab. v. Coll. II, n. 1328, q. I.

(2) « Melius tamen, si fieri potest impetrabunt licentiam; imo hanc exigere videtur Penn. n. 61 ».

Caput X.

De denuntiatione pravorum librorum.

525. 27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denuntiare, id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus aestimatur. Iis autem ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit, denuntiantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae [1], libros, aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

1. Dubium non est quin Episcopi, etsi sola potestate ordinaria utentes, prohibere possint suis subditis ne legant etc. libros etiam a Regularibus exemptis editos. Quodsi vero quaeritur num prohibitio Episcopi obliget etiam Regulares exemptos, certe negandum erit, si Episcopus sola potestate ordinaria usus est; si vero potestate delegata, controvertitur utrimque probabiliter; at practice in utraque hypothesi exemptis sedulo cavendum, ne libros aliaque scripta ab Episcopo proscripta palam legendo, vel etiam intra suas domos accipiendo dioecesanis sint scandalo, neve aliqua immunitatis ostensione Episcopi auctoritatem labefactare videantur. Vermeersch, n. 64 in fine; Sleuties n. 1, b.

TITULUS II.

DE CENSURA LIBRORUM.

Caput I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

526. 30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos [1] nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius Sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

1. Alii intelligunt solum speciali decreto seu nominatim; alii etiam generalibus decretis proscriptos.

527. 32. Quae ad Causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici [1] Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

1. Probabiliter intelliguntur per se soli illi qui versantur in locis Missionum, ubi sc. hierarchia ordinaria non est statuta; nisi usus receptus vel peculiares instructiones S. C. P. F. aliud ferant.

528. 35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt [1].

1. Non ergo, ut antea, loci impressionis vel auctoris. Quodsi eiusdem libri plures sunt et diversarum dioecesium editores proprie dicti, sufficit unius Ordinarii, quem quis maluerit, censura.

529. 36. Regulares [1], praeter episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto [2], operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

1. Intelliguntur soli Regulares stricte dicti; quo nomine num veniant quoque simpliciter professi in Ordine stricte dicto, nondum omnino constat.

2. Decretum Tridentinum iampridem a Clemente VIII extensum fuit generatim ad quoslibet libros. Hodie, post hanc Const. communiter censent AA., Regulares hac licentia indigere pro omnibus et solis libris vel scriptis pro quibus alii egent licentia solius Ordinarii. Quoad alia Regulares servent statuta sui Ordinis; quod idem, quoad omnia, dicas de Regiosis minus stricte dictis.

37. Si Auctor Romae degens librum, non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii, alia non requiritur.

Caput II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros 530.
imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat [1].

1. Sufficit ut *quavis formula,* modo clare et distincte, indicetur factum approbationis cuius de iure.

Caput III.

De libris praeviae censurae subiiciendis (1).

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae 531.
eos subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem,

(1) Cfr. prop 1ª ex 65 a Pio X 3-4 Iul. 1907 reprobatis: Ecclesiastica lex quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas ad cultores critices aut exegeseos scientificae.... non extenditur.

Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia [1], in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit [2].

1. Praeter libros proprie dictos, et publicationes periodicas libris aequiparatas, de quibus initio huius n.[1], et praeter publicationes quae praeviae censurae specialiter subiectae declarantur n[is] 7, 13, 15, 17, 19, 20, 31-34 et 44, h. l. sub «scripta omnia» ex valde probabili interpretatione non intelliguntur publicationes quaelibet argumenti religiosi vel moralis, sed cum restrictione, quae in ipso textu: «in quibus religionis et moris honestatis specialiter intersit»; ubi nota verbum *specialiter;* quoties nim. contingit, «ut, sive ex se sive ex temporis circumstantiis, res quae tractatur, consueto maioris sit momenti, errandive periculum gravius et periculosius». Lehmkuhl.

2. Quod attinet ad praeviae censurae necessitatem respiciuntur libri etc. quatenus *publici iuris* fiunt; hinc opera quae in *privatum* auditorum usum adornare solent professores, sive *lytographice* tantum exarata, sive etiam *typis* «pro manuscripto» (uti dicitur) impressa, censurae non sunt obnoxia. Vermeersch n. 39; Sleuties n. 40 nota 2.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

532. 43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris [1], tum editoris [2] praeferat, locum insuper et annum impressionis [3] atque editionis. Quodsi aliquo in casu, iustas ob causas nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

1. Si agitur de versione, sufficere videtur, ut vèl interpretis vèl auctoris nomen et cognomen indicentur.

2. Si editor est *societas,* huius designatio est apponenda.

3. *Nomen* impressoris ut indicetur, quamvis diserte non praescribitur, *locus* tamen impressionis vix congruo et rationabili modo designabitur, nisi pro more recepto *nomen* impressoris vel typographiae addatur.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcunque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue, qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti [1].

1. Libros autem venales habent, tum qui officinam suam eis instruunt vendendi causa, tum qui undique coemptos libros *nomine proprio* sive pretio definito in catalogo emendos proponunt, sive sub hasta publica vendunt per praecones. « Vermeersch, n. 124, 5. Non autem habet venales libros, qui *nomine alieno* hastam habet, cuius pars sunt libri prohibiti, v. gr. ad defuncti bibliothecam spectantes. Cfr. id. ib. sub 6; Sleutjes n. 44.

Prohibitio absoluta est quoad libros *ex professo obscenos;* neque classicos ipsi per se retinere possunt, nisi ex n. 10 officii aut magisterii ratione excusentur. Poterunt tamen opera ista iis prudenter procurare qui ea legere permittuntur. Id. ib. sub. 4.

Alios libros prohibitos ut vendere et venales habere licite possint iis vel pro iis, qui legitime tales libros petere prudenter existimari possunt, egent speciali licentia per Ordinarium a S. C. Indicis impetranda. Opus sc. non est, ut singulos emptores hac de re interrogent.

Caput V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam [Cfr. n. 564].

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, aut earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam. [Cfr. 593, V].

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coërceantur.

TRACTATUS XI.

DE CENSURIS.

SECTIO I. DE CENSURIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO ET DIVISIO CENSURAE.

533. **Censura definitur**: poena ecclesiastica, spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti et contumaci aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium. Dicitur:

1. Medicinalis.... contumaci: quae duo sibi invicem respondent; ac hisce censura proprie dicta differt a poena vindicativa: censurae finis primarius est frangendo contumaciam vèl cohibere a crimine patrando vèl emendare delinquentem; proin fertur in tempus indeterminatum, sc. ad emendationem, adeoque ob crimina vèl futura vèl habentia tractum successivum seu non mere praeterita; atque emendatione secuta aufertur absolutione, nisi lata sit sub conditione resolutiva. Contumacia autem requiritur non tantum in legem sed etiam in poenam, seu contemptus, saltem interpretativus, « in hoc consistens quod quis sciat aliquid.... sub *censura* esse prohibitum, et tamen illud facere praesumat ». Reiff. l. 5, tit. 39, n. 15.

2. Quorundam etc. eorum nempe quae sunt in potestate Ecclesiae, horumque variorum pro variis censurarum speciebus.

I. Species triplex est censurarum: excommunicatio, 534.
suspensio et interdictum. Quae respectu eorumdum, in quibus materialiter conveniunt, effectuum, formaliter tamen differunt eo quod excommunicatio spectat communicationem cum Ecclesia et fidelibus, suspensio exercitium ministerii ecclesiastici, interdictum usum rerum sacrarum. Suspensio et interdictum non semper sunt verae censurae.

II. Distinguuntur praeterea 1° censura a iure quae per canones etc. certis criminibus est adjuncta; et ab homine quae fertur per modum vèl *praecepti* si crimina futura, vèl *sententiae* si praesentia vel praeterita cum tractu successivo respicit, estque *particularis* si personas determinatas afficit, secus *generalis;* 2° censura latae sententiae quam delinquens ipso facto patrati criminis incurrit; et ferendae sententiae quae a iudice per sententiam, condemnatoriam est infligenda; — 3° censura reservata et non reservata quoad absolutionem; censura *particularis ab homine* est per se reservata etiamsi non exprimatur. De ipsa absolutione casuum reservatorum dicemus in Tr. de Sacr. Poenitentiae.

CAPUT SECUNDUM.

SUBIECTUM ET CAUSA CENSURAE, ATQUE CAUSAE EXCUSANTES (1).

De subiecto I. Impuberes non censentur comprehendi 535.
sub lege censurae, nisi satis diserte contrarium statuatur, uti certo fit in casu ingressus in monasterium monialium: de altero casu, nim. percussionis clericorum, non conveniunt interpretes.

II. Cardinales et Episcopi suspensioni et interdicto non subiacent, nisi expresse comprehensi fuerint; neque excommunicationi latae in clericos.

III. Reges et Principes ex privilegio consuetudine inducto non possunt ab Episcopo censuris plecti.

(1) Praecipua solum notamus, eaque eorum quae censurarum magis propria sunt, atque ad censuras iuris communis pertinent.

IV. In personam moralem, ut talem, nulla censura proprie ferri potest; suspensione tamen et interdicto privari potest iuribus quibus gaudet, at excommunicationem quae semper est censura proprie dicta, unâ sententiâ in totam simul communitatem ferre, etsi omnes et singulae personae sint reae et contumaces solus Papa potest.

536. **Causa,** ob quam censura contrahitur, est culpa gravis, externa, consummata, coniuncta cum contumacia et non mere praeterita.

Gravis ex se vel ex circumstantiis; externa et externe gravis, sufficit tamen occulta; consummata secundum verba legis: attendendum ideo est 1° utrum lex requirat, necne, effectum secutum, et quem effectum; 2° utrum extendatur, necne, ad complices et cooperatores, et quosnam, ac si quidem, 3° utrum hos comprehendat accessorie solum an aeque principaliter. Ceterum cfr. n. 533, 1.

537. **Causae excusantes** praecipuae sunt ignorantia, metus et resipiscentia.

I. Ignorantia intelligitur *iuris*, i. e. legis ecclesiasticae, quae tamen ignorantia in foro externo non facile admittitur, tum *facti,* tum etiam solius *poenae,* dummodo tamen ne sit crassa vel supina (1), nisi ipsa lex diserte exigat praesumptionem, audaciam, temeritatem, scientiam etc. (2); imo tunc probabiliter excusat etiam ignorantia affectata.

Non tamen requiritur accurata censurae eiusque effectuum cognitio; sufficit nosse Ecclesiam tale crimen speciali poena prohibere: Lehmk. l. c.

II. Metus excusat quoties excusat a lege quatenus *ecclesiastica,* etsi forte non tollat peccatum contra legem naturalem; secus vero neque a censura excusat. Facilius excusat ubi lex requirit ut quid sponte fiat.

III. Resipiscentia seu revocatio interposita excusat mandantem, consulentem similesque cooperatores, supposito requiri actionem principalem secutam, *si tempestive et cum effectu* suum in-

(1) Cfr. n. 16, IV, ex quo conclude, secundum plures a censura excusare ignorantiam quam dicunt simpliciter vincibilem.

(2) Haec et similia practice nihil inter se differre, concludere licet ex Res. S. Off. 1 Febr. 1871. Distinguit tamen Lehmk. II, n. 865, I, 2.

fluxum retractaverint, etiamsi actio principalis nihilominus sit secuta. *Si secus* vero, communius et probabilius negant eos excusari. Attamen S. Alph. n. 40, cum nonnullis antiquioribus, quos et recentiorum aliqui sequuntur, probabilem dicit contrariam opinionem, dummodo mandans etc. ante secutam actionem principalem, ad censuram contrahendam requisitam, fecerint id quod moraliter potuerint. In hac autem sententia huic casui aequiparatur casus quo post actionem seu causam positam, puta potionem abortivam datam, agens ante secutum effectum pro viribus hunc impedire conatus est. Hi AA. hanc causam saepe dicunt *recessum a contumacia,* et potissimum nituntur deficiente in casu contumacia eo tempore quo censura foret contrahenda. Sed nulla ratione probatur haec necessitas *perseverantis* contumaciae. Nihilominus huic opinioni, ob auctoritatem maxime S. Alph., difficulter denegari potest probabilitas extrinseca. Cfr. Lehmk. II. n. 868, ubi ad hanc sententiam accedit pro duplici casu, quo sc. vel reus antea confessus et legitime absolutus est a peccato, vel id ipsum ut non innotuerit revocatio mandatario, ab alio malitiose effectum est.

SECTIO II. DE CENSURIS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

DE EXCOMMUNICATIONE.

ARTICULUS I.

NOTIO EXCOMMUNICATIONIS.

Excommunicatio est censura qua quis separatur a com- 538.
munione Ecclesiae.

Olim distinguebatur duplex: *maior* et *minor*. Minor privabat tantum usu passivo Sacramentorum et habilitate acquirendi dignitates et beneficia ecclesiastica; haec *pro iure communi* abolita haberi potest ex Resp. S. O. 10 Dec. 1883; et quamquam *ab*

homine infligi adhuc potest, non amplius est in usu. Hinc de sola excommunicatione maiori dicemus.

539. I. Excommunicati alii sunt *vitandi* alii *tolerati*. Vitandi ex Const. Martini V *Ad evitanda scandala* hodie tantum sunt 1° excommunicati nominatim denuntiati, 2° notorii clericorum percussores.

Ad 1^m^ Ut quis nominatim excommunicatus censeatur, requiritur 1° ut denuntiatio facta sit publici iuris; 2° ut quis a legitimo iudice declaretur non solum reus criminis, sed etiam obstrictus excommunicatione; 3° ut reus designetur individue, sive proprio notetur nomine, sive talibus circumstantiis, quibus sufficienter et in particulari designeter persona, contra quam sententia feratur. Neque satis est quod sub generali clausula aliquis comprehendatur: ut si sententia dicat: «excommunicamus Petrum et sequaces», solus Petrus erit nominatim excommunicatus.

Ad 2^m^ Probabiliter, et practice satis certo, non sufficit notorietas facti, sed requiritur aliqua notorietas iuris, ut sc. percussor in iudicio confessus vel condemnatus sit: quia secus semper poterit «aliquo suffragio excusari». Hinc etiam raro aderit obligatio vitandi percussorem qui denuntiatus non sit, quamvis hoc absolute non requiratur.

Vitandus in proprio territorio non ideo vitandus est in loco extraneo, nisi etiam ibi res notoria vèl sit vel brevi futura sit.

II. Concessio Martini V est in favorem fidelium, non directe in favorem censuratorum. Unde fideles semper licite possunt toleratos vitare si censura sit publica; et omnes excommicati tententur abstinere a communicatione cum fidelibus.

Probabilius censura non obstat, quominus fideles cum tolerato etiam in divinis (in ritu catholico tamen, non acatholico) communicent, sine speciali causa vel necessitate. Obstare tamen potest in quibusdam actionibus ratio scandali vel cooperationis ad peccatum. Eademque ratione communicatio quoque in profanis iure naturali illicita esse potest. Cfr. S. Alph. n. 139; Lehmk. n. 883.

Quoad suspensos atque interdictos eadem vitandos inter et toleratos est pro rata differentia relate ad ea quibus suspensi vel interdicti sunt.

Ceterum excommunicatio explicatur per effectus suos.

ARTICULUS II.

EFFECTUS EXCOMMUNICATIONIS.

Effctus immediati excommunicationis numerantur octo (vel novem, cfr. § sq.) de quibus ex ordine pauca dicemus, acturi de *mediatis* n. 551.

§ I. *Privatio sacramentorum.*

De usu passivo seu susceptione Sacramentorum. Quilibet excommunicatus, sive vitandus sive toleratus, *per se illicite* suscipit Sacramenta, extra mortis articulum in quo, etiam vitandus, positis ponendis, potest suscipere Sacramenta Poenitentiae et SS. Eucharistiae, imo, si confiteri non potest, etiam Extremae Unctionis. Dicitur 540.

1° *Per se;* nam, praeter ignorantiam invincibilem, excusat metus gravis: puta mortis, infamiae, iacturae bonorum, scandali etc. quia censura non obligat cum tanto incommodo. Dicitur

2° *Illicite;* nam valide suscipit omnia Sacramenta, etiam Absolutionem sacramentalem, nisi haec defectu dispositionis reddatur invalida.

Haereticis et schismaticis qui usum rationis adepti in secta haeretica vel schismatica publice aliquamdiu vixerunt, Sacramenta administrari non possunt, antequam formalem sectae abiurationem vel fidei catholicae professionem ediderunt: quia eousque in foro saltem externo ut separati a communione Ecclesiae habendi sunt.

De usu activo seu administratione Sacramentorum. 541.

Vitandus *per se illicite* (cfr. n. pr.) confert Sacramenta, excepto quod moribundis administrare potest Poenitentiam vel Baptismum, et probabiliter quoque SS. Eucharistiam et Extremum Unctionem.

Toleratus *sponte* pariter *per se illicite, rogatus licite,* quantum est ex capite censurae, Sacramenta administrat.

Valide excommunicatus confert Sacramenta; excepta quoad vitandum, extra casum qui supra, Poenitentia ab defectum iurisdictionis.

§ II. *Privatio divinorum Officiorum.*

542. I. **Divina Officia** intelliguntur ea quae clerici ut ministri Ecclesiae obeunt: ut Missa, publica recitatio vel cantus Horarum, processio, benedictiones publicae et solemnes, puta olei, candelarum, cinerum, palmarum, exequiae defunctorum, Ecclesiae consecratio, Sacratissimi expositio etc. Haec igitur *obire,* si de clericis agitur, vel his *interesse* excommunicatis prohibitum est, etiam diebus dominicis vel festis; cfr. n. 539 sqq. 550 et 559.

«Attamen probabilis est sententia quam plures recentiores tuentur (1): ex hodierna consuetudine assistentiam divinis officiis non esse tam rigorose prohibitam toleratis. Sic Ecclesia heterodoxos potius allicit ad officia sua frequentanda quam eos ab iisdem removet, cum hac frequentatione crebro ad conversionem adducantur; neque ullus Episcopus increpat catholicos excommunicatos, ex. gr. franco-muratores, qui Sacro interesse solent. Attamen non est permittendum heterodoxis ut partem in ipsis sacris caeremoniis sumant, cum, saltem exteriore professione haeresis, ab Ecclesia separati vivant ac proinde tractari nequeant tamquam fideles huius Matris filii. Ita declaravit S. Inqu. (2): non licere heterodoxos in funeribus admittere ad participandum precibus vel eis distribuere candelas benedictas, cineres, palmas etc. neque permitti posse ut parentum schismaticorum pueri officium ministri in sacris caeremoniis exerceant». Génicot II, n. 583, IV.

II. Nihilominus « quum per se, lege severe sumpta, excommunicato non liceat divinis officiis assistere, neque hodierna mitior praxis certum, sed solum probabile ius tribuat, ipse excusatur ab obligatione audiendae Missae diebus Dominicis et festivis. Atque probabile est (contra Gobat aliosque) secundum multorum scriptorum doctrinam, eum non delinquere contra *hoc* praeceptum, si negligat absolutionem quaerere atque ita impedimentum audiendi Sacri auferre». Lehmk. II, n. 892, 7.

---

(1) D'Annib. I. n. 362, nota 19; Palm. ad Ball. VII. n. 397 [ed 3ª n. 259]; Lehmk. II, n. 891.

(2) 20 Nov. 1850 et 8 Iun. 1859.

Contra, « affirmant communiter teneri excommunicatum procurare sibi absolutionem, ut possit praecepto annuae confessionis et communionis paschalis facere satis. Quia ista praecepta per se obligant ad mundandam animam »; idque ex iure etiam divino. « Fateor me non assequi vim horum argumentorum et causam discriminis. Tam praeceptum audiendi Missam diebus festis, quam praeceptum recipiendi singulis annis sacramenta, sunt determinativa iuris divini et formaliter ecclesiastica, et quamvis obligatio sit mundandi animam, imo et sumendi Eucharistiam, ea tamen iure divino non urget statim aut intra annum.... Forte ratio communis consensus DD. et discriminis inter haec duo pendet ex aliunde perspecta Ecclesiae voluntate. Constat enim, Ecclesiam reprobare eos, qui per annum in excommunicatione insordescunt: unde facile colligitur non velle ipsam eos eximere ab obligatione annuae confessionis et communionis... Ceterum ut, existente obligatione, peccet excommunicatus non petens absolutionem, oportet ei notam esse hánc obligationem ». Palmieri ad Ball. VII, n. 401, ed. 3ª n. 261.

I. Concioni interesse licet, concionari non licet excommunicatis. 543.

II. Licet etiam cuivis excommunicato veneratio et usus privatus sacrarum imaginum, reliquiarum, aquae benedictae aliorumque sacramentalium; item ingressus ecclesiae, quum non celebrantur divina officia, ad orandum private. Cfr. Palm. ad n. 398 sq. ed. 3ª n. 260.

III. Horas canonicas privatim recitare clericus vel religiosus, alias obligatus, èt potest et debet.

§ III. *Privatio suffragiorum communium.*

Communia suffragia dicuntur quae nomine Ecclesiae ab 544.
eius ministris fiunt, ut sunt Missa aliaeque publicae orationes seu functiones ecclesiasticae; atque huc revocantur Indulgentiae. Horum itaque fructibus, quantum ab Ecclesia dependent, excommunicati privantur; ita ut hi fructus, in quantum ex opere operato vel ex merito et mente Ecclesiae sequuntur, excommunicatis saltem vitandis ab ipsis Ecclesiae ministris èt illicite èt invalide applicarentur: idipsum tamen nonnulli ad *publicam* applicationem per se restrin-

gendum docent. Tolerati non videntur per se horum fructuum participes; sed, dummodo catholici sint, iis applicari ab Ecclesiae ministris, saltem probabiliter possunt. Aliud est de publice acatholicis (1). — Quod speciatim attinet ad Missae applicationem sive vitando sive tolerato, cfr. Tr. de Eucharistia.

Privatim orare pro excommunicatis quibusvis, etiam in Ecclesia et locis publicis, nemo prohibetur.

§ IV. *Privatio sepulturae ecclesiasticae.*

545. I. **Sepultura ecclesiastica** privantur excommunicati *vitandi*, et, si in loco sacro sepulti sunt, removeri inde debent, si moraliter fieri potest (quocirca attendendum est ad legis civilis statuta), atque locus sacer censetur pollutus et reconciliatione eget. — Ante factum si minis gravibus pertinaciter exigantur exequiae et sepultura ecclesiastica, «curandum ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, Parochus, neque per se neque per alios Sacerdotes, ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat». S. Poen. 15 Dec. 1860: cfr. Acta S. Sedis I, p. 563 n. 21. (2).

II. Quoad toleratos, si occulte tales, certo nihil obstat; si notorii fuerint, num priventur sepultura ecclesiastica, controvertitur: ipsa censura non videtur obstare; sed attendendum num quid aliud obstet, puta quod ut publici peccatores et impoenitentes mortui sunt.

III. Si ante mortem signa poenitentiae dederint, in loco sacro sepeliri possunt, nisi ex vulnere in duello accepto mortui sint; sed *vitandus* prius absolvi *debet*, vel si factum hoc non sit, absolutio supplenda est; at locus non censetur pollutus; *toleratus decet* ut absolvatur.

§ V. *Privatio iurisdictionis ecclesiasticae.*

546. Vitandus privatur ipsa iurisdictione ecclesiastica pro utroque foro, ita ut invalide ageret; excepto, pro foro Poenitentiae,

(1) Vid. Lehmk. II, n. 886; Gén. II, n. 582, II. Wernz III, n. 542; Gasparri *De Eucharistia* I, n. 493. — Cfr. n. 540.

(2) Noldin, n. 711, b.

casu articuli mortis. Toleratus privatur per se licito usu, cfr. n. 541; sed fideles excipere possunt contra eius sententiam ut latam a minus idoneo.

Assistentia matrimonialis, et admissio ad professionem religiosam non sunt proprie actus iurisdictionis, atque adeo huc non pertinent.

§ VI. *Privatio capacitatis acquirendi beneficia* etc.

Quilibet excommunicatus inhabilis est ad *obtinenda* beneficia, 547.
officia, dignitates aliaque munera ecclesiastica; adeoque et electio, praesentatio ac nominatio excommunicato factae irritae sunt. Excipe si collatio fiat vèl scienter a Papa, vèl, ab habente talem potestatem, cum absolutione ad cautelam, quae tamen, ex S. Alph. n. 179 per se non comprehendit casum haeresis. — Idemque est de inhabilitate ad obtinenda Rescripta pontificia, excepta causa ipsius excommunicationis et causa appellationis ad se defendendum.

At non privat excommunicatio beneficio *iam obtento* nec eius fructibus ante sententiam iudicis, modo excommunicatus per alium impleat onera, quae ipse implere nequit.

§ VII. *Privatio communicationis forensis.*

Excommunicatus privatur iis quae ad forum iudiciale, sive 548.
civile sive ecclesiasticum, pertinent. Verum privatio haec in foro civili iam non obtinet. Toleratus valide ageret donec contra illum ab eo cuius interest excipiatur, et exceptio intra certum tempus probetur.

§ VIII. *Privatio communicationis civilis.*

Secundum legem et interpretationem communem excommu- 549.
nicatis

os, orare, vale, communio, mensa negatur; sed excusant *utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.*

At ex hodierna consuetudine 1° tolerati communicando cum fidelibus iam non peccant, etsi sponte se ingerant, uti declaravit S. Poen. 5 Iuli 1867 (1); et 2° quoad vitandos quoque, probabilis, cum nonnullis recentioribus, videtur opinio Lehmkuhl II,

(1) Palm. ad Ball. VII, n. 411, ed. 3ª n. 267.

n. 897, sc.: privatio haec « hodie non videtur vigere, nisi aliqua specialis ratio ex ipsa criminis natura appareat, et nisi excipias aliquatenus actionem cum illo *orandi*. Nam etiam ad privata devotionis exercitia, nulla causa excusante, vitandum admittere, non puto licere. — De cetero vero rationes illae, quae iam diu ut *causae excusantes* afferebantur, propter quas civilis communicatio licita in singulis casibus fieret, hodie tam late patent, ut eae vix non pro quolibet adsint. Sed lex aliqua, si *communiter* servari amplius non potest, vi sua censetur destituta esse, etsi ab aliquo in particulari servari possit (1) ».

Si tamen lubeat, recitatorum versiculorum explicationem vide apud AA, passim.

Corollaria ex doctrina praecedente.

550. I. De obligatione fidelium resolves: mortaliter peccant communicando *cum vitando* vèl 1° in divinis, nisi excusent parvitas materiae, mere privata communicatio, damnum timendum, consuetudo; vèl 2° in crimine criminoso, illo nim. ipso propter quod excommunicatus est, consilium, auxilium vel favorem ei praestando. — *Per accidens* praeterea graviter peccare possunt ob periculum perversionis, vel ob confirmationem excommunicati in sua contumacia.

II. Ad 1^m^: 1. Si adsit vel superveniat vitandus in Ecclesia dum celebrantur officia divina, monendus est ut exeat; si recuset, expellatur. Quodsi expelli nequit, divina officia sunt abrumpenda, etiam die festo; Missa, nondum inchoato canone item abrumpi debet; canone vero inchoato aut abrumpi aut, ceteris praeter servientem abeuntibus, perfici debet usque ad Communionem inclusive: reliqua in sacristia aliove loco decenti. Consecratione iam peracta, manente solo serviente, pergendum est ut supra dictum. — Attamen « nec censentur in ecclesia fideles cum excommunicato communicare, si hic transiens per ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim aut omnino separatim oraret, aut si, aliis unum Sacrum audientibus, ipse aliud audiret; quia sic moralis

(1) Cfr. Palm. l. c.; Noldin, n. 713; Genicot II, n. 695, II.

coniunctio deesset. Imo cum in ecclesia non celebrantur divina, etsi ipse permixtus privatim oraret, nec ipse illis nec illi ipsi communicare dicendi sunt » (D'Annibale n. 300). Palm. ad Ball. VII, n. 398, ed 3ª n. 260.

2. Communicatio in divinis cum nominatim excommunicato specialiter punitur in Const. *Ap. Sedis* Ser. II n. 17; Ser. IV, n. 1; Ser. VI, n. 2.

III. Ad 2m. Communicatio in crimine criminoso cum nominatim excommunicato a Papa punitur eadem Const. Ser. II, n. 16.

551. **I. Effectus mediati** excommunicationis sunt 1° irregularitas, quae sequitur ex violatione *cuiusvis censurae* per culpabile exercitium Ordinis sacri. — 2° Praeterea is qui *in excommunicatione* per annum insordescit, i. e. animo pertinaci et cum contemptu potestatis Ecclesiae perseverat in eadem excommunicatione (S. Alph. n. 157), fit suspectus de haeresi, qua de re Schmalzgrueber lib. 5, tit. 39, n. 195: « Haec suspicio levis est, sufficit tamen ad indicendam purgationem; quam si subire noluerit, citari iterum debet sub poena excommunicationis. Si vero post huiusmodi citationem adhuc parere neglexerit et in contumacia per annum perseveraverit nullo allegato impedimento, ut haereticus condemnari debet (1) ». — 3° Item probatio (fictione iuris praesumpta) delicti; « permittitur tamen ipsi, ut allegare et probare innocentiam suam possit ». Id. ib. n. 196 (2). — 4° « Triennio perseverans in excommunicatione indurato animo, a iudice privari debet beneficiis omnibus... Ob annalem perseverantiam, etsi possint iudices hanc poenam privationis beneficiorum irrogare, non tamen tenentur: quia nuspiam in iure cavetur haec obligatio ». Id. ib. n. 197 (3).

II. Ad 1m. Hoc intellige de violatione censurae et propriae et proprie dictae; non vero alienae vel minus proprie dictae, saltem generatim: nam

1. Excipitur 1° quod utrumque requisitum: interdictum locale vèl speciale, vèl etiam generale si tum divina celebrentur

(1) Ball.-Palm. VII. a. 371, ed. 3ª n. 241.
(2) Id. ib. n. 372, ed. 3ª n. 242.
(3) Id. ib. n. 375, ed. 3ª n. 244.

non servatis restrictionibus praescriptis; cfr. n. 559; 2° quoad posterius requisitum: suspensio lata a Rom. Pontifice hac expressa lege, ut is qui illam violat, irregularitati obnoxius fiat: cuiusmodi duplex casus occurrit in iure antiquo sc. suspensionis ab officio per annum, in cap. *Cum aeterni, de Sententia et re iudicata,* atque suspensionis ab ingressu ecclesiae et divinis officiis per mensem unum, in cap. I *de Sent. Excomm.* in 6°, latarum in iudices ecclesiasticos iniuste agentes. — Sed

2. Controvertitur 1° num idem hodie resolvendum sit de omnibus poenis quae nomine censurarum in Const. *Ap. Sedis* continentur; 2° de suspensione *ex informata conscientia,* maxime si non adsint omia requisita ad veram censuram; verum violator saltem in foro externo haberetur ut irregularis, propter resulutiones S. C. C. 21 Iunii 1625, et S. C. P. F. Instr. 20 Oct. 1884; cfr. Gén. II, n. 617: 3° de suspensione *oretenus* lata, nisi sic ferens speciale ad hoc habeat privilegium; probabilius negatur, quia Superior praesumi debet meram prohibitionem intendisse.

CAPUT SECUNDUM.

DE SUSPENSIONE.

ARTICULUS I.

NOTIO. DIVISIO. EFFECTUS.

552. **Suspensio** est censura qua clericus privatur usu potestatis ecclesiasticae; quam nim. habet ratione officii (ordinis vel iurisdictionis) vel beneficii. — Itaque

I. Subiectum est solus clericus; et quia hodie officia Ordinum minorum exerceri solent a laicis, horum usu suspensio non amplius censetur privare.

II. Suspensus non privatur communione fidelium, neque suffragiis communibus, neque susceptione Sacramentorum. Et hinc

1. Suspensus sacramentaliter absolvi potest a quolibet Confessario, non obstante suspensione; atque ad alia Sacramenta admitti.

2. Suspensus vitandus, seu nominatim denuntiatus, a tolerato solum differt quod illi, non huic, aufertur ipsa potestas, in quan-

tum haec dependet ab Ecclesia, puta iurisdictio si ab hac suspensus est. Quoad fideles vero, hi non peccant mere communicando cum suspenso vitando, puta audiendo Missam ab ipso celebratam; sed solum ei cooperando in tali actu, puta serviendo.

Distinguitur 1° suspensio generalis quae privat utraque potestate: officii et beneficii; et specialis quae privat potestate unius vel alterius speciei tantum, vel etiam solius ordinis vel solius iurisdictionis; — 2° totalis et partialis prout quaevis ex praedictis ab omni potestate saltem talis speciei, vel solum ab huius parte privat. 553.

Suspensio absolute et sine limitatione lata intelligitur generalis et totalis, nisi aliud ex adiunctis colligi possit.

Suspensiones partiales variae in iure occurrunt.

Variae suspensiones explicantur per effectus. Praecipua notamus: 554.

I. Generatim suspensio non est extendenda ultra sensum proprium verborum quibus lata est.

II. 1. Suspensio ab Ordine non includit suspensionem a iurisdictione, et vice versa. Ad Absolutionem sacramentalem tamen quod attinet, utraque simul potestas requiritur; ita ut alterutra quoque suspensio eius liceitatem vel valorem impediat.

2. Suspensus ab Ordine superiore licite inferiorem exercet; — v. gr. suspensus ab Ordine pontificali licite Missam celebrat more aliorum sacerdotum — et probabilius etiam vice versa saltem per se, nisi sc. actus Ordinis superioris exercitium inferioris Ordinis includat.

3. Suspensus a iurisdictione simpliciter, privatur usu iurisdictionis fori tum interni tum externi.

4. Suspensio a iurisdictione extra territorium ferentis probabilius vim non habet; sed suspensio ab Ordine ubique ligat.

5. Suspensio *a divinis* secundum alios eadem est ac suspensio ab Officio; secundum alios eadem ac suspensio ab Ordine solum.

6. Suspensus ab Officio, quia non ideo suspensus est a beneficio, ea quae ipsi non licent per alium praestare potest et debet, sicque fructus beneficii percipere. Sed quamdiu suspensio durat, non potest novum beneficium accipere quod daretur ob officium

prohibitum; nullo tamen iure cautum est huiusmodi collationem esse irritam. S. Alph. n. 316, Dub. 3.

7. Suspensus a beneficio privatur 1° iure percipiendi fructus beneficii; quorum tamen nomine non veniunt iura stolae aliaeve incertae oblationes; 2° iure administrandi beneficii, ita ut actus huc pertinentes a vitando illicite et invalide, a tolerato valide sed per se illicite ponerentur. Novum beneficium pariter illicite, sed probabilius non invalide ei conferretur.

555. Suspensio ex informata conscientia dicitur ea quam Ordinarius, potestate collata a Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 1 de Ref., ferre potest ex causis sibi notis, adeoque extraiudicialiter, nulla praemissa monitione, et omni appellatione remota; recursus tamen ad Apost. Sedem semper liber erit. Constans nunc praxis est, ut non nisi temporanea haec suspensio permittatur, minime vero perpetua: S. C. C. 8 April. 1848. Utrum vero huiusmodi suspensio ferri possit non solum *ob occultum crimen,* verum etiam ob delictum publicum, controvertitur. Sententia affirmans innititur potissimum in Conc. Trid. l. c. Sententia negans vero *constat* ex Instr. S. C. P. F. 20 Oct. 1884, n. 7; S. C. C. 26 Apr. 1853. Haec suspensio sustinetur etsi oretenus data; attamen praestat ut scripto fiat. C. C. C. 8 April. 1843, 14 Sept. 1882. Bucceroni II, n. 1125.

CAPUT TERTIUM.

DE INTERDICTO.

556. **Interdictum** generatim privat usu divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum et sepultura ecclesiastica, ut res sacrae sunt; cfr. n. 559. Saepe poena vindicativa vel mera prohibitio est potius quam vera censura. Tum hoc, tum varii effectus ut discernantur, attendendae sunt divisiones et distinctiones.

557. I. Est locale, personale, vel mixtum, prout immediate afficit locum, personas, vel utrumque.

II. Est generale vel speciale prout fertur in aliquod totum vel determinatum secundum dicenda n. sq.

III. Est totale vel partiale prout dicta n. pr. omnia interdicuntur vel eorum pars solummodo.

Ex I et II n. pr. distingui possunt: 558.

1. Interdictum *locale generale,* quod fertur in locum communem qui sub se comprehendit loca sacra simul et profana, puta in regnum, dioecesim, civitatem, parochiam. — Hoc non iam in usu est; cfr. Gén. II, n. 622 in nota.

2. Interdictum *locale speciale,* quod fertur in determinata loca sacra, unum vel plura.

3. Interdictum *personale generale,* quod fertur in coetum personarum, puta in populum, clerum, capitulum.

De maiori minorive extensione horum trium interdictorum vid. Ball.-Palm. VII n. 553-557, ed. 3ª n. 385-387; vel Aertnys, II Tr. de cens. n. 66.

4. Interdictum *personale speciale,* quod fertur in determinatos homines, unum vel plures. Hoc solum vera censura est.

Iam, distinguendo tum varios effectus tum varia interdicta, notamus:

I. **Quoad divina Officia**: 1° ad 1 et 3: interdictum ge- 559.
nerale ut effectum habeat, oportet ut publice denuntietur. Verum opus non est singulas personas aut singulas ecclesias interdictas sententiâ recensere. D'Annib. I, n. 372, nota 21.

2° Ad 2. In loco specialiter interdicto, si SS. Eucharistia asservari ibi solet pro infirmis, licet semel in hebdomada, non pulsatis campanis, ianuis clausis et voce submissa Missam celebrare ad renovandam SS. Eucharistiam, ne desit morituris, et hinc probabilius quoties forte ad dictum finem opus fuerit; exclusis saltem excommunicatis et interdictis, imo, secundum multos, laicis omnibus.

3° Ad 1. In loco generaliter interdicto idem eodem modo licet clericis et religiosis, at non admissis laicis, singulis diebus, itemque alia officia divina celebrare, sicut prius. Si adsit vel superveniat interdictus denuntiatus, agendum ut dictum est quoad excommunicatum vitandum, n. 550 II. Praeterea in festis Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Corporis Christi huiusque tota Octava licet pulsatis campanis et alta voce officia divina solemniter celebrare, exclusis solis excommunicatis.

4° Ad 3. Si interdictum latum est in populum, quia neque loca neque clerum comprehendit, quotidie eadem licent quae supra ad 1 dicta, sed sub iisdem conditionibus. At hoc casu ob praesentiam interdicti denuntiati non esset cessandum a divinis.

II. Quoad Sacramenta: 1° ad 1-3. Interdicto generali vel locali prohibentur *SS. Eucharistia* excepto Viatico, *Extrema Unctio* excepto casu quo moribundus confiteri nequit, *Ordo* et *solemnis benedictio Nuptiarum,* non ipsum Matrimonium.

2° Ad 4. Is, qui specialiter interdictus est, nullum sacramentum, Matrimonio excepto, licite recipere vel conferre potest, excepto casu periculi mortis si tum signa dentur poenitentiae. Sed neque vitandus privatur ipsa iurisdictione, ita ut valide absolveret.

III. Quoad sepulturam ecclesiasticam: 1° ad 1 et 2. Tempore interdicti localis negatur omnibus etiam infantibus et innocentibus. Sed excipiuntur clerici et religiosi (in lato sensu), dummodo ipsi interdictum servaverint; idque cum Missa sed sine pompa si generale, sine Missa si speciale est interdictum.

2° Ad 3. Tempore interdicti personalis generalis negatur omnibus et solis iis qui ei subsunt, etiam innocentibus et infantibus.

3° Ad 4. Ei qui specialiter interdictus est, negatur si denuntiatus est et signa poenitentiae non dedit; secus non negatur nisi alio titulo, puta publici peccatoris sine poenitentia defuncti.

560. I. Interdictum ab ingressu Ecclesiae est personale speciale partiale, et vera censura. Eo prohibetur 1° celebratio et assistentia divinorum officiorum *in Ecclesia,* quo nomine veniunt etiam oratoria publica; 2° sepultura ecclesiastica, nisi interdictus obierit poenitens. Probabilius non prohibetur ingressus in Ecclesiam, dum ibi officia divina non celebrantur, ibique tunc orare et sacramenta recipere. — In Oratorio privato, et generatim extra Ecclesiam, etiam in coemeterio etsi Ecclesiae contiguo, hoc interdicto quoad officia divina nihil prohibetur.

II. Quod autem ante Const. *Ap. Sedis* omnes causam dantes interdicto locali vel generali ipso iure subiacebant interdicto personali speciali, hoc non amplius obtinet; cfr. n. sq. Ita absolute docent D'Annibale I, n. 371, nota 8, et Bucceroni II, n. 1146. Quamquam alii hac de re loquuntur sicut antea.

SECTIO III. DE CENSURIS SINGULIS.

Praenotamina.

I. In Constitutione *Apostolicae Sedis* 12 Oct. 1869 S. P. Pius 561.
IX statuit: « ut ex quibuscumque censuris... quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant ».

II. Dein declarat « eos quoque quos S. Conc. Trid. sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit, nos pariter ita excommunicatos esse declaramus: excepta anathematis poena in decreto Sess. IV de editione et usu Sacrorum librorum etc. ». Cfr. n. 593 V. Idem de iis declarat: « quoscumque alios S. Conc. Trid. suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit ».

III. Et tandem « quae vero censurae.... praeter eas, quas recensuimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum, Locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus et declaramus ».

IV. His itaque si addas censuras post Const. cit. latas, habes omnes censuras latae sententiae, quae hodie ex iure communi vigent.

Ad I. Eae iuris veteris censurae, quae integrae vel partim in 562.
hac Const. insertae sunt, « non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Const. conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Const. Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debent ». Eaedem itaque, etsi iam in desuetudinem abierant, in quantum insertae sunt *et conveniunt,* vi huius Const. revixerunt.

Ad II. Communiter docent AA. confirmari solas illas censuras quas SS. Trid. Synodus directe tulit, i. e. vel ipsa primum sta-

tuit, vèl iam latas distincte et expresse confirmavit, seu denuo sua auctoritate inflixit; non vero eas quas mere allegando innovavit.

Ad III. Ex verbis: « atque hactenus in suo vigore perstiterunt », concludo has censuras non esse renovatas si vel inquantum forte abolitae iam erant, sed solum retentas si vel in quantum adhuc vigebant.

CAPUT PRIMUM.

EXCOMMUNICATIONES SPECIALI MODO ROM. PONTIFICI RESERVATAE.

Sunt quae ligant

563. I. Omnes a christiana fide [1] apostatas [2] et omnes et singulos haereticos [3], quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant eisque credentes [4] eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores [5].

1. « Cum non videatur hic esse usus, ut nomine *fidei christianae* intelligatur fides haereticorum, et simus nunc in odiosis, non est cur haec excommunicatio extendatur » ad baptizatos in secta haeretica qui a fide penitus deficiunt. Palm. ad Ball. n. 422, ed 3ª n. 273 (a).

2. Huc veniunt *increduli* illi moderni qui ab omni religione alienos se profitentur, ut *liberi cogitatores* quos dicunt, non vero illi multi qui solum in practica indifferentia vivunt.

3. Neque sufficit neque requiritur ut sectae haereticae adscripti sint, sed comprehenduntur omnes et soli formaliter haeretici. At sectae adscripti in foro externo praesumuntur censuram contraxisse. Attamen Episcopi, per se vel per delegatum, in utroque foro a quavis haeresi absolvere possunt, *si* ad eorum forum iudiciale fuerit deducta. « Hinc protestantes omnes qui vellent suam haeresim abiurare, et consequenter eam ad forum externum deducere, necesse non habent Romam recurrere ». Bucc. II, n. 1164.

4. Intelliguntur illi qui credunt alicui contra Ecclesiam docenti, adeoque et ipsi vere haeresim committunt, quamvis nihil distincte credunt contra fidem. Ita probabilius plerique commentatores cum Suarez in Bullam Coenae.

5. 1° Requiritur ut hi omnes: receptores etc., *formaliter* tales sint, seu in ordine ad haeresim vel apostasiam, adeoque horum criminum participes.

2° Probabiliter secundum multos hi omnes non aeque principaliter sed accessorie solum excommunicantur, ita ut requiratur effectus secutus, puta favor etc. oblata et acceptata, quaeque reapse profuerint.

564. II. Omnes et singulos scienter [1] legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae [2] libros [3] eorumdem apostatarum et haereticorum [4] haeresim propugnantes [5], necnon libros cuiusvis au-

ctoris per Apostolicas litteras [6] nominatim [7] prohibitos [8], eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes [9].

1. Cfr. n. 537. I. Clausula haec ad retinentes etc. quoque pertinet.
2. Cfr. Const. *Officiorum*, Tit. I, Cap. IX.
3. Cfr. n. 502 sqq.
4. Probabiliter non comprehenduntur libri credentium aliorumque de quibus sub I; neque illi quos a prohibitione exceptos diximus n. 509, 3. Quodsi auctor non est aliunde notus ut apostata vel haereticus, sed ex ipso libro cognoscitur ut talis, solum tunc censura contrahitur quum post hanc acceptam notitiam lectio etc. continuatur; cfr. Bucc. II. n. 1165.
5. Cfr. n. 510, 1.
6. Quae nim. nomine Romani Pontificis *immediate* prodeunt, quavis tamen forma, dummodo in iis legatur: « Auctoritate Apostolica » vel quid aequivalens.
7. Sc. expresso proprio libri titulo, saltem per genericam tituli indicationem, ut v. gr. prohibiti sunt a Pio VII « Catechismi Carbonariorum etc. ». Cfr. Vermeersch, Op. cit. n. 125, 6, b.
8. Ex horum verborum generalitate nonnulli deducunt sufficere vèl prohibitionem simplicem, vèl certe prohibitionem sub poena excommunicationes. Sed communiter AA. haec intelligunt de prohibitione sub poena excommunicationis Rom. Pontifici reservatae; cfr. Godschalk i. h. l.; Bucc. l. c.
9. De actionibus censurâ hic punitis generatim cfr. n. 505-508. Praeterea observa:

1° Nomine imprimentium veniunt editor proprie talis, typographus, et auctor si huius curâ liber editur. Plerique Constitutionis *Ap. Sedis* commentatores huc referunt quoque proxime cooperantes ad impressionem. Quam sententiam, hodie saltem, minus certam iudicamus. Nim. vix admitti potest eamdem vocem « imprimentes » in duobus eiusdem Const. *Officiorum* numeris quorum alter alterum subsequitur, sc. 47 et 48, tam diverso sensu accipi; sed n. 48 satis certo significat Typographos; cfr. infra n. 593, V, et supra n. 505 sq.; Vermeersch n. 125, 8. — Pro contraria opinione Vid. De Brab. v. Coil. II, n. 1357 sq.

2° Mere vendentes aliove modo divulgantes hic non nominantur; sed facile vèl veniunt nomine retinentium. vèl cadunt sub praecedenti excommunitione ut fautores haereticorum.

3° Quod posterius dictum pariter valet tum de correctoribus (praeterquam quod hi facile erunt legentes) tum de iis qui editionis expensas tribuunt.

4° Defendentes aeque principaliter puniri videntur ac alii, ita ut sufficiat sola ipsa defensio, non vero requiritur effectus obtentus; cfr. Lehmk. II, n. 924; Vermeersch. l. c. sub 9; Boudinhon op. cit. pag. 301.

Schismaticos [1] et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt [2], vel recedunt [3]. 565.

1. Intelligi videntur rebelles erga *Sedem* Romanam, itàque distingui ab iis qui sequentibus verbis indicantur; cfr. mox dicenda.
2. Intelliguntur ii qui non Romanae Sedi generatim sumptae, sed *actuali Pontifici* Romano obedientiam denegant, id autem, non simplici inobedientia, sed eius auctoritatem spiritualem abiiciendo.

3. A praecedentibus distingui hi possunt eo quod solum *in re particulari* auctoritati spirituali Romani Pontificis rebelles sunt; cfr. Bucc. II, n. 1166. — Aliorum AA. sensus videtur, hos intelligi quidem, sed non distingui a praecedentibus

Comprehendi itaque hac censura dicendi sunt *Liberales* illi qui pertinaciter obedientiam detrectant Romano Pontifici in iis quae ad relationes Ecclesiam inter et Statum pertinent, cfr. n. 195. Quod vero illi qui catholico-liberales se dicunt, publice se gerunt ut solutos ab obedientia Romani Pontificis, hoc sufficere non videtur: horum enim plerique mandata S. Sedis potius violant tamquam suis placitis contraria, fere ut alia Ecclesiae praecepta negligunt. Cfr. Génicot, II, n. 588.

Ad fautores etc. censura haec non extenditur.

566. IV. Omnes et singulos cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit [1].

1. 1° Notate verba: «universale» et «futurum». — 2° Quoad ipsos appellantes non requiritur effectus secutus; quoad complices requiritur appellatio secuta.

567. V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes [1] directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori [2], et [3] ad hoc recurrentes ad forum [4] saeculare, eiusque mandata procurantes [5], edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes [6].

1. Ipsum verbum indicat necessitatem effectus secuti; impedire enim est efficere ut quis iurisdictione sua vèl non plene vèl non utiliter uti possit.

2. Certo itaque non comprehenditur exercitium vèl *solius* Ordinis, vel *solius* officii, ita nim. ut iurisdictio exercenda nequaquam concurreret. Sic v. gr. certo iurisdictionis episcopalis est tum ea quae sunt Ordinis aliis peragenda committere, tum ad officia alios deputare.

At quaestio est, num iurisdictio in casu stricte an late sumenda sit: alii illud alii hoc absolute docent, alii dubitanter loquuntur. Quaestio haec spectat speciatim forum externum. Sic v. gr. constat Parochum iurisdictionem fori externi proprie dictam non habere: unde videri potest concludendum huc non venire casum impedientis Parochum ab administratione

Sacramentorum, (Poenitentia excepta propter iurisdictionem interni fori) vel a praedicatione etc. Sed si latius res sumitur, huc pertinent tum casus impedientis ab iisdem sive Parochum sive quemvis Sacerdotem ab Episcopo ad haec deputatum; tum casus impedientis Parochum a celebranda Missa pro grege.

Et specialis quaestio hic est de munere *docendi;* nam quoad ipsos Episcopos AA. hic dissentiunt; item si sermo est de *collatione Beneficiorum*, non omnino conveniunt AA.; cfr. Palmieri ad Ball. VII, ed 3ª n. 281 in nota prima.

3. «Et» hic disiunctive accipiendum est: sequitur alia classis excommunicatorum.

4. Alii stricte intelligunt de potestate iudiciali, alii late de qualibet potestate saeculari.

5. «Recurrentes.... procurantes». Hisce verbis alii duas classes, alii unam tantum classem hominum significari putant.

6. Quoad auxilium etc. praestantes satis certo requiritur effectus secutus; item probabiliter quoad recurrentes etc.; at non est una quoad hos sententia.

VII. Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad tra- 568.
heudum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; itemque edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae [1].

1. S. Off. 23 Ian. 1886 declaravit: caput *cogentes* non afficere nisi legistatores et alias auctoritates.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras 569.
vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac Supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.

De absolutione complicis.

570. **Ad X.** Duo in hac materia sunt distinguenda: subtractio iurisdictionis et excommunicatio incurrenda. De utroque agit Bened. XIV in Const. « *Sacramentum Poenitentiae* » 1 Iunii 1741; de sola posteriori Pius IX in hac Constitutione.

Subtractio iurisdictionis. « Interdicimus et prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo.... confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi.... excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate ac iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit ». Bened. XIV, Const. cit.

Tria itaque requiruntur et sufficiunt ad casum subtractae iurisdictionis: 1° ut peccatum sit contra sextum Decalogi praeceptum, atque *mortale* quoad actum tum internum tum externum; 2° ut *uterque sit complex formalis,* i. e. ut tam Sacerdos quam poenitens graviter peccarint, et delicti turpis fuerint participes; 3° *certitudo* praemissorum, i. e. certum sit peccatum fuisse interius et exterius mortale, idque ab utraque parte. Aertnys II, L. VI, n. 249 II.

571. Ad 1^m^ Intelligitur quodvis peccatum turpe, sive cum masculo sive cum femina commissum, modo complicitatem importet; etiam aspectus vel colloquia: id quod hodie constat ex Decl. S. Off. 29 Maii 1873; sed in praxi quoad haec complicitas facile dubia erit. Nec refert, ex communi sententia, utrum quis adhuc laicus an iam Sacerdos peccatum commiserit.

Ad 2^m^. Probabile videtur requiri ut complices sese invicem ut tales noverint vèl tempore peccati commissi vèl postea: v. gr. si Confessarius peccasset cum persona prorsus nesciente se peccare cum illo Sacerdote, et hic in tribunali Poenitentiae adverteret eandem personam, sacrilegii adhuc ignaram, nunc sibi confiteri, probabiliter non esset casus complicis. « Praeterea Confessarius non tenetur se prodere poenitenti, et si hunc non absolvat, periculum est ne, dum poenitens alteri revelat negatam absolutionem, in su-

spicionem veniat uterque peccati Sacerdotis». Ball.-Palm. V, n. 650, ed. 3ª n. 417. Cfr. Lehmk. II, n. 935, 22. Alii tamen aliter sentiunt.

Aliud foret, si complices se invicem nossent, et solum poenitens non adverteret se confiteri Confessario complici.

572. «Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus Confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe in quo idem Confessarius complex fuit», respondit S. Poenitentiaria 16 Maii 1877.

I. Quandiu peccatum complicitatis non est directe remissum, Confessarius complex certo invalide absolveret, si poenitens solum illud peccatum clavibus subiiceret. Sed

II. Controvertitur 1° num, posito illud peccatum iam directe absolutum esse, Confessarius complex in posterum ab illo absolvere possit; 2° num ante directam illius peccati absolutionem Confessarius complex valide absolveret poenitentem ab aliis peccatis, ita ut etiam illud peccatum indirecte remitteretur, positis ponendis: puta si poenitens bona fide illud vel non confiteretur, vel una cum aliis declararet. — Attamen etiam necessitate urgente praestaret, ordinarie saltem (cfr. n. 577), ut poenitens, praemisso actu contritionis, accederet ad S. Communionem. Et certo incurreret censuram Confessarius complex, qui poenitentem directe vel indirecte induxisset ad peccatum complicitatis reticendum: S. Poen: 19 Febr. 1896 approbante Leone XIII. — Controvertitur 3° num, ut invalida censeatur absolutio a peccato complicitatis, in Confessario absolvente supponatur scientia: communius negant, quia iurisdictio absolute adempta est; sed recentiorum plures affirmant, quia Bened. XIV loquitur de Confessario qui sciens volens complicem absolvat; addit Ball.-Palm. V n. 650, ed. 3ª n. 417, «sane si, sacerdote inadvertenter absolvente, nulla esset absolutio, damnum subiret solus poenitens, etiamsi bona fide accessisset, quod certe alienum est a scopo Const. et a recta ratione».

573. In articulo seu periculo saltem probabili, mortis Confessarius complex semper valide absolvit; *licite* vero *solum* in circumstantiis indicatis supra n. 569, X, et cfr. n. 576. Quodsi

autem illicite agit, excommunicationem non effugit. Porro huiusmodi casus plures sunt, in quibus sc. valet absolutio et tamen censura contrahitur; tum etiam vice versa.

574. **Excommunicationem incurrit** absolvens complicem in peccato turpi si ét 1° illicite absolvit, ut generatim supponitur — nam quoties ob rei adiuncta absolvens excusatur a gravi peccato violatae legis ecclesiasticae, excusatur consequenter a censura contrahenda — ét 2° absolvit ab ipso peccato cuius est complex, ut pariter generatim supponitur; cfr. n. 572.

575. «Non vitari excommunicationem per fictionem absolutionis S. Poen. 9 Iulii 1751 respondit S. Alphonso. Et ad dubium: «Utrum Confessarius qui suum vel suam complicem.... simulaverat absolvisse, recitando v. gr. orationem quandam, vel alia verba pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per signa vel manuum gestus revera poenitentem a peccatis relaxare, incurrit excommunicationem....?» 1 Mart. 1878 respondit: «Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem....» S. Off. vero ad Quaesitum Episcopi Petrocorensis: «An potest orator permittere ut in suo Seminario doceatur [omnium quoad fingentem] commentatorum sententia responso S. Poenitentiariae opposita 5 Dec. 1883 respondit: «Negative, facto verbo cum Ssmo.»

Ob haec, maxime ob duo postremo recitata, responsa recentiores communissime resolvunt, fingentem quovis modo, sive simulando proprie, i. e. verba absolutionis ficto animo pronuntiando, sive dissimulando omissam absolutionem, ut in dubio ad quod responsum S. Poen. 1 Mart. 1878, incurrere excommunicationem. Quocirca duo notamus:

1° In ista opinione saltem supponendum erit dissimulatione deceptum fuisse ipsum poenitentem, non solos circumstantes; idque putamus esse secundum mentem ipsorum AA.; secus enim nullimode urgeret ratio legis, quae ipsa videtur ratio intrinseca huius opinionis.

2° Supponunt AA., et nonnulli diserte dicunt, in Responso S. Poen. 1 Mart 1878 verbum «simulantes» intelligendum esse in sensu dubii expositi, adeoque in sensu latiore; ita ut compre-

hendat quoque dissimulationem. Hoc autem neque ipsa S. Poen. dixit, neque AA. probant. Quare existimamus rem constare solum de fingente qui vere simulat absolutionem: hic enim reapse vero aliquo sensu dici potest absolvere, ut habent Constitutiones Bened. XIV et Pii IX: id quod de dissimulante dici non potest.

576. «**Etiam in mortis articulo,** si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem», absolvens contrahit excommunicationem: Const. *Ap. Sedis.*

I. Periculum infamiae vel scandali oportet 1° ut sit verum, non mere confictum; utque 2° a Confessario complice anteverti vel removeri, opportunis adhibitis mediis, non potuerit.

II. Alius Sacerdos censetur etiam non adesse 1° si hic infirmi confessionem audire recusat, vel 2° infirmus illi confiteri renuit, neque ad id adduci potest, saltem sine sacrilegae confessionis periculo.

III. Posito mortis periculo, si Confessarius complex confessionem infirmi audire incepit, pergere atque absolvere poterit, etiamsi forte vèl alius Sacerdos supervenerit, vèl periculum cessaverit. Tum autem 1° censuram non contrahet, si *licite* incepit; 2° si vero *illicite* incepit, censuram absolvendo contrahet, saltem per se: nam probabiliter excipitur casus quo Confessarius, antequam absolvit, facti vere poenitet; 3° quodsi ponas Confessarium complicem necessitatem excipiendi infirmi confessionem, atque periculum infamiae vel scandali anteverterè antea potuisse, sed iam avertere illa non posse cum inchoat confessionem excipere, probabile videtur eum, etsi antea graviter peccaverit, tamen nunc neque censuram incurrere, neque, supposito sincero dolore, peccare; cfr. V. d. Velden, *Praxis.* P. I, Cap. I, Casus; et Lehmk II, n. 938.

IV. In praxi periculum istud facile aderit, si non adest vel vocari potest nisi aut suspensus vel excommunicatus ut tales noti, aut non approbatus. Contra, facilius anteverti potest, si plures Confessarii praesto sunt. Timor autem dedecoris apud unum illum Confessarium advocandum incurrendi communiter non censetur sufficiens excusatio.

577. I. Ob paritatem rationis etiam extra imminens mortis periculum admittenda cum nonnullis videtur exceptio pro

casu extraordinario (qualis in dissitis regionibus occurrere potest) quo nim. poenitens complex diu omnino careret occasione alii Confessario confitendi, vel tali saltem cui sine magno sacrilegii periculo confiteri posset. Constitutiones enim Pontificiae supponere videntur copiam Confessariorum praeter complicem; atque alienum a mente et praxi Ecclesiae est, fideles cogere ut per longum tempus contenti sint contritione perfecta vel etiam indirecta peccatorum remissione. Adde sequelas infamiae, suspicionis vel scandali secus timendas ex diuturna abstinentia a Sacramentis, tempore etiam Paschali; cfr. Ball.-Palm. V, n. 655, ed. 3ª n. 425; Lehmk. II. n. 937.

II. In aliis casibus necessitatis occurrentis Confessarius complex poterit facultatem absolvendi complicem petere pro aliquo sacerdote in genere seu sub ficto nomine, atque obtenta facultate ipse uti. Hanc autem facultatem Episcopi concedere non possunt, nisi forte habeant Indultum speciale, quod ipsis petentibus concedi non solet nisi pro casibus numero paucis.

578. XI. Usurpantes [1] aut sequestrantes [2] iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas [3] ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum [3] pertinentes [4].

1. Usurpantes sunt qui rem alienam quasi ad se pertinentem occupant; non sunt: 1° iniuste ea detinentes sine praevia occupatione; 2° titulo ex se legitimo ea acquirentes ab usurpatore; 3° fures, latrones etc.; 4° titulum saltem probabilem in illa habentes.

2. Intellige de sequestro iudiciali, non de conventionali.

3. Non ergo comprehenduntur 1° bona spectantia ad ipsas ecclesias, puta destinata aedibus reparandis, divinis officiis celebrandis, etc.; 2° bona nosocomiorum, seminariorum, etc., et probabilius neque bona monasteriorum, nisi sint bona Ecclesiae cui superior regularis aliusve religiosus est praepositus; 3° probabiliter, contra multos, bona beneficii vacantis; 4° bona alio titulo ad personas ecclesiasticas pertinentia.

4. Supponi videtur ius in re, ita ut v. gr. censuram hanc non incurreret heres vel legatarius, qui bona Ecclesiae relicta tradere aut consignare recusaret. Cfr. Piat in h. l.

Praeter hanc tres aliae excommunicationes statutae sunt contra illicite disponentes de bonis Ecclesiae, sc.: 1° contra invasores etc. temporalis dominii Ecclesiae Romanae, n. sq.; 2° contra usurpatores etc. bonorum cuiusvis Ecclesiae vel loci pii: quae est simpliciter reservata, n. 587, XIX. 3° contra alienantes etc, bona ecclesiastica sine Beneplacito Apostolico: quae non est reservata, n. 592, III.

579. XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia:

vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praestantes [1].

1. Ex quo Pius IX 1 Nov. 1870 declaravit etiam adhaerentes excommunicationem incurrere; plures censent hos quoque hoc canone comprehendi. Alii tamen negant; saltem supponendum erit adhaesionem influxisse in unam ex praedictis actionibus.

580. XIII. 1° Dignitates et canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium, ac illos qui, deficientibus capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant, qui, ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum, concedere et transferre in nominatum et praesentatum [1] ad eamdem Ecclesiam eius curam, regimen et administrationem, sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, ausi fuerint. 2° Nominatos et praesentatos [1] ad vagantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus et canonicis aliisque, de quibus supra, peractis. 3° Eos qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiuscumque gradus, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint [2]. Ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873.

1. Ex plurium AA. interpretatione quae nititur ipsa littera Constitutionis, intelliguntur soli nominati etc. a laica potestate; non vero electi quoque ab ipso Capitulo, ut alii volunt propter scopum et rationem legis.
2. Non tamen comprehendi videntur Episcopi, utpote qui hac eadem Constitutione puniuntur suspensione et interdicto. Cfr. n. 596 et 599, II.

XIV. Nomen dantes societati catholicae italicae pro recuperatione iurium quae competunt populo christiano et maxime populo romano in electione Summi Pontificis; vel eam (societatem) promoventes, aut ei quomodocumque faventes vel adhaerentes. Ex Resp. S. Poen. 4 Aug. 1876 approbato a Pio IX.

CAPUT SECUNDUM.

EXCOMMUNICATIONES ROMANO PONTIFICI SIMPLICITER RESERVATAE.

Latae sunt in:

581. I. Docentes vel defendentes [1], sive publice sive privatim, propositiones ab Apostola Sede damnatas sub excommunicationis poena

latae sententiae; item docentes vel defendentes [1] tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, pronti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745, *Ubi primum* 2 Iunii 1746, *Ad eradicandum* 28 Sept. 1746 [2].

1. Voce vel scripto. Non comprehenduntur 1° mere asserentes, vel 2° perperam sentientes; — neque 3° in praxi illicite agentes, vel 4° docentes praxim istam illicitam a gravi excusari posse, vel 5° exceptiones aequo plures admittentes.

2. Damnata est praxis *passim* inquirendi nomen complicis, huiusque revelationem *sub denegatione absolutionis* exigendi. Cfr. Tr. de Sacr. Poen.

582. II. Violentas manus [1], suadente diabolo, iniicientes [2] in Clericos vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat [3].

1. Punitur omnis iniuria externa et graviter peccaminosa, sive corpus, sive libertas sive dignitas laeditur.

2. Quamvis generatim late interpretandum esse hunc Canonem AA. consentiunt, controvertitur tamen num comprehendantur 1° impuberes, 2° cooperatores.

3. Absolvere possunt Episcopi *ex iure* plerumque, *per facultates* temporaneas semper. Praelati Regularium subditos suos absolvere possunt *ex iure* communi, si percussus est eiusdem Ordinis et percussio non enormis; *ex privilegio* a quavis percussione cuiusvis Clerici vel Religiosi Cfr. Piat-V. d. Velden, in h. l.

835. III. Duellum [1] perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes [1], et quoslibet complices [1], vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes [2], illudque permittentes [3] vel quantum in illis est non prohibentes [3], cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

1. Duellum supponitur *de se* lethale. Duellantes, provocantes et acceptantes aeque principaliter puniuntur; de omnibus aliis controvertitur.

2. Sunt qui locum duelli adeunt ut spectent, idque palam, ita ut ad pugnam acuendam inducant; non vero casu transeuntes ibique consistentes, neque a longe vel e loco occulto spectantes. Ex Resp. S. Off. 31 Maii 1884 excommunicationem incurrunt medicus et confessarius qui duello *assistunt* etsi cum intentione ministerium suum exhibendi ubi opus fuerit; item si *ex condicto* eadem intentione in domo vicina vel loco propinquo sistunt.

3. Intelliguntur, non privati, sed auctoritate civili vel militari praediti quorum est non permittere vel prohibere.

584. IV. Nomen dantes [1] sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis [2], quae contra Ecclesiam vel legitimas

potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem quemcumque praestantes, earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint [3].

1. Supponuntur nosse scopum societatis seu sectae.

2. Ad hoc ut aliae sectae dicantur *eiusdem generis*, secundum plures sufficit ut eumdem finem prosequantur, ita ut verba quae sequuntur: « quae... machinantur », explicent ista praecedentia verba: « eiusdem generis »; alii praeterea requirunt secretam seu occultam organizationem (non tamen secreti iuramentum, neque clandestinam machinationem) atque arctum foedus quo socii uniantur.

Tales hinc certo sunt sectae Fenianorum, Nihilistarum, Internationalistarum, Communistarum, Anarchistarum.

Hisce Leo XIII in Encycl. *Quod Apostolici* 28 Dec. 1878 aequiparat Socialistas. Verum quoad hos distinguendum videtur tum pro variis Socialistis (neque enim omnes, qui hoc nomine vocantur, eosdem omnes errores profitentur vel iisdem mediis utuntur) tum pro circumstantiis temporum et locorum. Quibus attentis, dicendum videtur hodie in plerisque regionibus Socialistas potius *factionem politicam* quam veram sectam constituere. Cfr. Vermeersch n. 83; Boudinhon ad n. 14 Const. *Officiorum*, pag. 123; Lehmk. *Casus* I, n. 1058; Génicot II, n. 596.

Ceterum attendatur id quod monet S. Inqu. (1): « Praeter istas (quae sub censura prohibentur) sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt ». « Ubi tale iuramentum non exigitur, vix umquam expediet, absque Ordinarii vel S. Sedis auctoritate, denuntiare aliquam societatem tamquam sub peccato gravi vitandam ». Génicot II, n. 596.

3. Facta denuntiatione cessat saltem reservatio, imo probabiliter ipsa censura.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes. 585.

VI. Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima venia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

---

(1) Instr. 10 Maii 1884.

IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes, qui quaestum facientes ex Indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum* 2 Ian. 1569.

XII. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent [1].

1. Vel etiam in eodem loco ubi collectae sunt: ex Resp. S. Off. 13 Ian. 1892; at tum supponitur colligi stipendia taxam excedentia, tradi vero taxam statutam, excessu retento.

Communius censent *hanc* censuram non contrahi ab eo qui partem e stipendiis detrahit ut hanc in pios usus impendat; sed cfr. n. 590, IV, et n. 597, VIII.

586. XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos* 4 Kal. Aprilis 1567, Innocentii IX *Quae ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Iunii 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras* 9 Kal. Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

XIV. Religiosos [1] praesumentes [2] clericis aut laicis [3] extra casum necessitatis [4] Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi [5] licentia [6].

1. In stricto iuris canonici sensu, quibus aequiparantur Scholastici in Societate Iesu, etsi simplicia solum vota emiserint.

2. Scientes et volentes.

3. Non itaque 1° si religiosis, saltem in Ordine stricte dicto vel cui privilegium exemptionis concessum est, sive professis, solemniter vel simpliciter, sive novitiis: nec refert utrum hi sint eiusdem an diversi Ordinis, nec utrum intra an extra monasterium his Sacramenta administrentur; neque 2° si clericis aut laicis iis ad quos iurisdictio in Regulares extenditur; cfr. P. III, Tr. de Sacr. Poen.

4. Quoties nim. Parochus non potest tempestive vel non vult periculose infirmo Sacramenta ministrare.

5. Huiusve vices gerentis vel in iurisdictione ordinaria Superioris, puta Episcopi. Supponuntur parochiae erectae et parochianus infirmus: unde 1° neque si alibi, 2° neque si peregrino vel vago administrentur Sacramenta, censura haec contrahi videtur; ad 2^m^ aliter Berardi *Praxis* ed. 3^a^, IV, n. 1077.

6. Sufficit rationabiliter praesumpta; item data infirmo suscipiendi Sacramenta a quovis Sacerdote.

XV. Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex sacris 587.
Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

XVIII. Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata.

XIX. Si quem clericorum vel laicorum [1], quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat [2], in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum [3] locorum iurisdictiones, bona [4], census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios [5], vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere [6], illosque usurpare [6] praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupavit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.... Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit [5], eisdem poenis subiaceat.... Conc. Trid. Sess. 22, Cap. 11 de Ref.

1. Non comprehenduntur Regulares.
2. Hinc probabiliter intelligitur occupatio, non quaelibet, sed auctoritative et cum potentia facta.
3. Stricte: quae nim., auctoritate Ecclesiae erecta, dependenter ab Ecclesia reguntur et administrantur.
4. Probabiliter intelliguntur solum immobilia vel mobilia pretiosa.
5. Comprehenduntur mandantes; item clerici cooperantes et consentientes.

6. Sumitur copulative utrumque; at usurpatione praesupposita, censura contrahitur ab omnibus ad quos et quomodocumque usurpata, in quantitate notabili perveniunt. Excusari tamen videtur qui talia bona una cum aliis, a quibus divelli non possent, per modum unius emeret; Pennacchi apud Génicot II, n. 606. — Neque hic comprehenduntur alienantes de quibus n. 592, III. — Vid. quinque decisiones S. Poen., datae anno 1906, huc spectantes, cum observationibus Boudinhon, in *Le Canoniste contemporain* anni 1907, pag. 190 sqq.

CAPUT TERTIUM.

EXCOMMUNICATIONES EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

Statutae sunt in

588. I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes [1].

1. Censura incurritur etsi obstet aliud quoque impedimentum, ut consanguinitatis vel affinitatis; item per matrimonium civile, etiam in locis ubi viget Decretum *Tametsi* ex Respp. S. Off. 13 Ian. 1892 et 22 Dec. 1880, seu ubi tale matrimonium est invalidum.

589. II. Procurantes [1] abortum [2], effectu secuto [3].

1. Procuratio supponit voluntarium *directum* et causam de se efficacem de industria positam; comprehenditque *mandantes*, non vero consulentes vel opem ferentes; et probabiliter neque mandatarios seu exsequentes. « Hinc a censura excusandi videntur medici et obstetrices qui abortum inducunt unice ut patri vel matri obsecundent: licet enim libere agant, sunt tamen veri mandatarii, cum alieno nomine agant; contrarium vero dicendum est, si sponte idem scelus patrant, ut alterutri parenti grati sint ». Gén. II, n. 608. — *Ipsa mater* probabiliter non contrahit censuram, sicut et quia etiam in veteri iure probabiliter negabatur; cfr. S. Alph. L. IV, n. 395.

2. Stricte dictum: non accelerationem partus, nec craniotomiam.

3. At non iam distinguendum est animatum inter et inanimatum foetum.

590. III. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

IV. Laicos violantes Decretum S. C. C. 25 Iul. — 31 Aug., datum 9 Septembris 1874 circa eleemosynas Missarum (ex Decreto S. C. C. 25 Maii 1893 specialiter approbato a Leone XIII) vel Decretum eiusdem S. C. 14 Maii 1904, confirmatum a Pio X, quoad ibi statuta art. 8, 9, 10 et 11. Cfr. n. 597 IV et P. III, tr. de SS. Euch.

CAPUT QUARTUM.

EXCOMMUNICATIONES NEMINI RESERVATAE.

Latae sunt in

I. Mandantes seu cogentes [1] tradi ecclesiasticae sepulturae [2] haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos. 591.

1. Non ipsos sepelientes vel aliter cooperantes. — Mandantes sunt qui iubent vel rogant rem *suo nomine* fieri; cogentes ii qui, ipsi non coacti, vi vel metu alios compellunt. Ex subiecta materia videntur restringendi ad mandantes seu cogentes publica potestate seu vi. Agitur enim de publica et communi sepultura. Bucceroni II, n. 1207.

2. Hoc loco requitur et sufficit inhumatio in loco sacro, non ritus sacer.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes aliosve ministros S. Officii, eiusve sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes. 592.

III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de rebus ecclesiasticis non alienandis [1].

1. Cfr. D'Annibale, ed 3ª n. 77-84; ubi n. 83: Hac Extravagante, ait, «*non omnium rerum* alienatio prohibetur, sed immobilium mobiliumque pretiosarum dumtaxat; *et ea dumtaxat* qua dominium transfertur, hypothecae et locationes ultra triennium. Amplius, omnes alienantes hac excommunicatione coercentur; non item omnes qui eas res recipiunt, sed recipere *praesumentes:* nec consentientes, consulentes, faventes; nec hi qui quaesita subinde alienant aliis, non enim administratores sunt. Et tunc demum eam incurrunt cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque»,

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus Nostris Gregorio XV Const. *Universi* 20 Augusti 1622 et Benedicto XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Iunii 1741. — Cfr. P. III, Tr. de Sacr. Poen. 593.

V. Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt [1] aut imprimi faciunt. — Cfr. post. n. 532 Const. *Officiorum* n. 48.

1. Hic magis etiam quam n. 564, probabile videtur non comprehendi operarios subordinatos etiamsi proxime concurrant; quia nec ipsum Conc. Trid., ex quo haec censura desumpta est, eos comprehendisse videtur. Cfr. Génicot II, n. 611.

594. Ex Concilio Tridentino adde:

VI. Docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumentes, Sacramento Eucharistiae sumendo, ab illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, non necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Sess. 13, can. 11.

VII. Qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Sess. 24, cap. 1 de Ref.

VIII. Raptorem ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes. L. c. cap. 6.

IX. Qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant. L. c. cap. 9.

X. Magistratus qui renuunt praebere Episcopo auxilium adversus eos qui clausuram monialium violant vel restitui prohibent. Sess. 25 de Reg. et Mon. cap. 5.

XI. Omnes qui quomodocumque coegerint quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. — Eosque qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediunt. L. c. cap. 18.

Tandem ex declaratione Pii IX per S. Off. 4 Dec. 1872 adde

XII. Missionarios sive saeculares sive regulares cuiuscumque Ordinis et Instituti mercaturam exercentes, etiam semel tantum, in Indiis Orientalibus, America sive Australi sive Septentrionali,

China et Iaponia; eorumque Superiores sive mediatos sive immediatos, qui eosdem non puniunt saltem per amotionem a loco delicti.

Non videntur comprehendi Sacerdotes indigenae.

Quoad censuras latas pro interno regimine Ordinum Regu- 595.
larium nota (1).

1. Simplicem excommunicationem incurrunt:

1° Qui *temere* habitum suae Religionis dimittunt.

2° Monachi aut Regulares Canonici, si ut suis Praelatis aut monasteriis damnum aliquod inferant, ad curias Principum se conferre praesumpserint.

3° Monachi intra septa, sine licentia Abbatum, arma tenentes.

2. Excommunicationem Romano Pontifici reservatam incurrunt:

1° Regularium Superiores, qui quosvis Religiosos, etiam non subditos, quos haeresis labe infectos vel etiam suspectos esse noverint, non denuntiant.

2° Superiores, qui in causis ad S. Officium spectantibus sese utcumque intromittere audeant.

3° Superiores, qui subditos suos ad S. Officium recurrere volentes, quoquo modo avertant, retrahant, dissuadeant.

4° Religiosi, etiam subditi, si non denuntient confratres vel etiam Superiores eiusdem Ordinis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos. — Supponitur tamen *grave* crimen.

5° Quicumque Religiosi, retrahentes aut retardantes a denuntiando sub quolibet respectu, sive fraternae correctionis sive alio, eos qui a se petunt consilium.

II. Pro Fratribus Minoribus notamus duas excommunicationes latas in Constitutionibus Generalibus promulgatas anno 1897, ubi statuitur:

1° N. 86. « Omnes et singulos Ordinis apostatas vi huius statuti excommunicamus et anathematis vinculo innodamus ». — Additur n. 87: « Apostatam autem intelligimus non tantum Fratrem, quem talem ius retinet, sed etiam illum, qui contra grave Superioris praeceptum a Conventu vel Residentia discedit quovis praetextu, etiam accedendi ad Superiores ».

---

(1) Vid. Hilarius a Sexten *De Censuris ecclesiasticis* cap. III, Art. 1, i. f.

2° N. 282. « Non audeant Fratres, sive per se sive per Syndicos, coram iudice quocumque, annuas praestationes seu Legata ab haeredibus petere sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda ».

At notandum quoque id quod habetur n. 348: « Omnes poenas et censuras, quas Constitutiones nostrae minantur, quamvis latae sententiae, non incurri declaramus, nisi post Praelati sententiam vel criminis declarationem ».

CAPUT QUINTUM.

SUSPENSIONES HODIE VIGENTES.

596. Suspensionem specialiter S. Sedi reservatam ab exercitio Pontificalium incurrunt illi de quibus supra n. 580, si charactere episcopali insigniti sunt. Ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873; cfr. n. 580 et 599, II.

Suspensiones Romano Pontifici simpliciter reservatae.

597. I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam [1] ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi [2] eiecti [3]; extra Religionem degentes.

1. Id est: duraturam quamdiu extra Religionem degunt, cessaturam vero quum iterum recepti fuerint, vel ad aliam Religionem canonice transierint.

2. In sensu stricto; cfr. infra dicendum.

3. Eiecti iuste et servato iuris ordine, nisi speciale habeatur privilegium: non fugitivi vel apostatae.

Ad 2. Quoad alios ex Decreto S. C. EE. et RR. 4 Nov. 1892: « Alumni votorum solemnium vel simplicium, perpetuorum vel temporalium, in sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Qui in sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus, quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata ». Cfr. Génicot. II, n. 619.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico aut schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, postquam in praedicto examine reiecti fuerint: necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam Dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

VIII. Violans Decretum S. C. C. 9 Sept. 1874 circa eleemosynas Missarum ex Decreto S. C. C. 25 Maii 1893, confirmato a Leone XIII, vel Decretum eiusdem S. C. 11 Maii 1904, confirmato a Pio X, quoad ibi statuta artt. 8, 19, 10 et 11, si est sacerdos suspensionem a divinis S. Sedi reservatam, clericus autem non-sacerdos eamdem suspensionem quoad susceptos ordines, (praeterea inhabilitatem ad superiores Ordines recipiendos) contrahit; (laicus tandem excommunicationem Episcopis reservatam; cfr. n. 590, IV).

598. Suspensionem a divinis non reservatam ipso facto incurrunt.

1° Missionarius quilibet latinus, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat. Litt. Apost. Leonis XIII 30 Nov. 1894.

2° Clerici et sacerdotes saeculares et regulares, qui suam deserentes Dioecesim ad Urbem citra necessitatem et iustam causam pro lubitu demigrant, ibique commorantur. Leo XIII per S. C. C. 22 Dec. 1894 (1). — Quibus tandem addendae:

Suspensiones ex Conc. Trid. non reservatae vel reservatae sicut ex tenore verborum vel subiecta materia patet:

I. Episcopus qui Pontificalia in alterius Dioecesi exercet sine Ordinarii loci expressa licentia, incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium; sic ordinati ab executione Ordinum sunt ipso iure suspensi. Sess. 6, cap. 5 de Ref.

II. Qui arctati occasione beneficii recepti sive recipiendi non fuerint, et Sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias a Capitulo acceptas fuerint ordinati, si in maioribus Ordinibus sic fuerint constituti, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi. Sess. 7, cap. 10 de Ref.

III. Episcopi titulares qui alterius subditum, etiam sub praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promoverint, suspensionem ab exercitio Pontificalium per annum incurrunt;

(1) Vid. Hilarius a Sexten Cap. III, Art. II i. f.

taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure suspensus est. Sess. 14, cap. 2 de Ref.

IV. Qui ordinat subditum alienum sine litteris testimonialibus Ordinarii sui, a collatione Ordinum per annum, sic ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videdebitur expedire, est suspensus. Sess. 23, cap. 8 de Ref.

V. Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus concedentes, ut ab aliis ordinentur, ab Officio et Beneficio per annum sunt suspensi. Sess. 23, cap. 10 de Ref.

VI. Si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi qui Matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Sess. 24, cap. 1 de Ref.

VII. Episcopi qui a crimine concubinatus non abstinuerint, et a Synodo Provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. Sess. 25, cap. 14 de Ref.

CAPUT SEXTUM.

INTERDICTA HODIE VIGENTIA.

599. I. Interdictum Rom. Pontifici specialiter reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Rom. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia. Cfr. n. 566.

II. Interdictum ab ingressu Ecclesiae specialiter S. Sedi reservatum ipso facto incurrunt illi de quibus n. 580, si Episcopali charactere insigniti sunt. Ex Const. *Romanus Pontifex* Pii IX 28 Aug. 1873; cfr. n. 580 et 596.

III. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nomi-

natim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Satisfactione praestita, censura vèl eo ipso cessat, vèl saltem non est reservata, secundum varias sententias.

600. Ex Concilio Tridentino:

I. Metropotitanus Episcopos (ultra secundum semestre tempus) absentes, Metropolitanum vero (pariter) absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Rom. Pontifici denuntiare teneatur. Sess. 6, cap. 1 de Ref.

II. Interdicto ecclesiastico subiacent Capitula Ecclesiarum quae, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias concesserint alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit. Sess. 7, cap. 10 de Ref.

FINIS.

INDEX ANALYTICUS.

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS.

Tract. I. De Actu Humano.

Cap. I. **Notio et divisio actus humani** . . . . . *Pag.* 7
Cap. II. **Principia actus humani** 8
Art. I. Requisita ex parte intellectus 9
Art. II. Voluntarium in genere 10
Art. III. Voluntarium in causa speciatim. 14
Cap. III. **Impedimenta voluntarii** 18
Art. I. Ignorantia 19
Art. II. Violentia. 21
Art. III. Metus 21
Art. IV. Concupiscentia 22
Cap. IV. **Moralitas actus humani.** 24
Art. I. Notio et regulae moralitatis 24
Art. II. Fontes moralitatis. 26
§ I. Moralitas ex obiecto 28
§ II. Ex circumstantiis 29
§ III. Ex fine 30
Scholion I. Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu . 32
» II. Actus indifferens. 33
» III. Actus externus 34

Tract. II. De Conscientia.

Cap. I. **Conscientia moralis generatim** 35
Art. I. Notio et divisio conscientiae 35
Art. II. Conscientiae certae necessitas et vis directiva 38
Cap. II. **Conscientia recta et erronea** 40
Cap. III. **Conscientia in dubio formanda** 42
Art. I. Distinguuntur dubia 43
Art. II. Necessitas et modus conscientiae in dubio formandae . . . 44
Art. III. Conscientia probabilis... et probabilismus 47
§ I. Varia systemata. 48
§ II. Probabilismus probatur 49

Art. IV. Sensus seu extensio probabilismi . . . . . *Pag.* 52
§ I. Dubia certo exclusa 52
§ II. Opinio notabiliter minus probabilis 54
§ III. Dubium facti de legis cessatione etc. 57
Punct. I. Principium praesumptionis. 58
Punct. II. Principium possessionis. 61
Scholion I. Effata plura explicantur 66
» II. Probabilitas externa. 68
» III. Promiscuitas sententiarum 71
Art. V. Conscientia scrupulosa 72

Tract. III. De Lege.

Cap. I. **Legis notio, divisio, conditiones** 76
Cap. II. **Legis obiectum et subiectum** 80
Art. I. Obiectum Legis. 80
Art. II. Subiectum legis 83
Cap. III. **Obligatio legis** 85
Art. I. Legis obligatio in se. 85
Art. II. Modus implendi legem 87
Art. III. Appositio causae deobligantis 88
Scholion. Interpretatio legis 89
Cap. IV. **Cessatio legis** 92
Art. I. Dispensatio 92
Art. II. Cessatio finis 94

Tract. IV. De Peccatis.

Cap. I. **Notio peccati** 96
Cap. II. **Peccatorum distinctio specifica.** 97
Cap. III. » » **numerica** 99
Art. I. Interruptio actus interni 101
Art. II. Pluralitas actuum externorum. 101
Cap. IV. **Peccatorum divisiones** 105
Art. I. Peccatum omissionis 106
Art. II. Peccatum mortale et veniale 108
§ I. Peccatum mortale et veniale per accidens 110
§ II. Peccata venialia multiplicata 112
Art. III. Peccata interna 114
§ I. Motus ad malum generatim. 114
§ II. Desiderium et gaudium 115
§ III. Delectatio morosa. 117
Cap. V. **Peccata capitalia** 122
Art. I. Superbia 123
Art. II. Avaritia 124
Art. III. Gula et ebrietas 124
Art. IV. Ira 126
Art. V. Acedia 127

THEOLOGIA MORALIS DECALOGALIS.

Tract. V. De Virtutibus.

Cap. I. **Notio Virtutum** . . . . . *Pag.* 129
Cap. II. **Conspectus virtutum moralium.** 131
Art. I. Prudentia et virtutes annexae 132
Art. II. Fortitudo et virtutes annexae. 133
Art. III. Temperantia et virtutes annexae 134
Scholion de donis Spiritus Sancti, etc. 135

Tract. VI. De Virtutibus theologicis.

Praenotamina 136
Sectio I. **De Fide** 137
Cap. I. **Necessitas fidei** 138
Art. I. Necessitas actus interni fidei 138
Art. II. » » externi » 142
Cap. II. **Peccata contra fidem** 148
Art. I. Pericula fidei vitanda. 149
Art. II. Liberalismus. Propositiones reprobatae 150
Sectio II. **De Spe.** 152
Sectio III. **De Charitate.** 154
Cap. I. **Charitas erga Deum** 156
Cap. II. **Charitas erga seipsum** 157
Cap. III. **Charitas erga proximum.** 159
Art. I. Praecepta affirmativa 159
§ I. Ordo charitatis 160
§ II. Eleemosyna 162
§ III. Correctio fraterna 165
Art. II. Praecepta negativa 168
Art. III. Dilectio inimicorum 170
Cap. IV. **Scandalum et Cooperatio** 173
Art. I. Scandalum 173
§ I. Notio et divisio scandali 173
§ II. Malitia scandali 175
§ III. Obligatio cavendi scandalum passivum. 177
§ IV. Casus scandali frequentius occurrentes 181
§ V. Obligatio reparandi scandalum 182
Art. II. Cooperatio 183
§ I. Notio et divisio cooperationis 183
§ II. Regulae de cooperatione. 184
§ III. Casus particulares cooperationis 185
§ IV. Resolutiones speciales de cooperatione 190

Tract. VII. De Virtute Religionis.

Praenotamina . . . . . *Pag.* 193
Sectio I. **Praeceptum I Decalogi** 194
Cap. I. **Actus et praecepta religionis** 194
Art. Un. Oratio 194
Cap. II. **Peccata contra Rel. quasi per excessum** 195
Art. I. Superstitio in genere 195
Art. II. Idololatria 196
Art. III. Observantia superstitiosa 197
§ I. Divinatio 198
§ II. Vana observantia 199
§ III. Maleficium 199
Appendix de Hypnotismo, Magnetismo et Spiritismo 200
Cap. III. **Peccata contra Rel. per defectum** 202
Art. I. Tentatio Dei 202
Art. II. Blasphemia 203
Art. III. Sacrilegium 210
Art. IV. Simonia 212
Sectio II. **Praeceptum II Decalogi** 216
Cap. I. **Votum** 216
Art. I. Conditiones voti 217
§ I. Conditiones ex parte voventis 217
§ II. » » » materiae 219
Art. II. Obligatio et interpretatio voti 221
Art. III. Cessatio voti 228
§ I. Voti cessatio simplex 228
§ II. Voti dispensatio 231
§ III. Voti commutatio 233
§ IV. Voti irritatio 234
Cap. II. **Iuramentum** 237
Art. I. Notio et divisio iuramenti 237
Art. II. Requisita ad licitum iuramentum 241
Art. III. Speciatim de iuramento promissorio 243
Art. IV. Iuramentum fictum 245
Art. V. Extinctio iuramenti promissorii 246
Appendix de adiuratione 247
Sectio III. **Praeceptum III Decalogi et I Ecclesiae** 248
Cap. I. **Obligatio Missae audiendae** 248
Cap. II. » **feriandi** 254

Tract. VIII. Praeceptum IV Decalogi.

Cap. I. **Obligationes in societate domestica** 259
Art. I. Obligationes filiorum 259
Art. II. » parentum 264
Art. III. » aliorum 269
Cap II. **Obligationes in societate publica** 272

Tract. IX. VI et IX Praeceptum Decalogi.

Notiones praeviae . . . . . *Pag.* 274
Sectio I. **Debitum Coniugale** 280
Cap. I. **Actus coniugalis ut licitus** 280
Art. I. Fines actus coniugalis 280
Art. II. Circumstantiae eiusdem. 283
Art. III. Impedimenta prohibentia eumdem. 286
Cap. II. **Actus coniugalis ut debitus**. 289
Art. I. Ipsa obligatio actus 289
Art. II. Causae a debito excusantes 290
Cap. III. **Accessoria actus et peccata coniugum** 292
Appendix de Onanismo. 296
Scholion. Monita ad confessarios 301
Sectio II. **Luxuria** 303
Notiones praeviae 303
Cap. I. **Luxuria completa naturalis** 304
Cap. II. **Luxuria completa contra naturam.** 308
Art. I. Pollutio, distillatio, motus carnales 308
Art. II. Sodomia. 314
Art. III. Bestialitas 315
Cap. III. **Luxuria non consummata** 315
Art. I. Principia et regulae generales. 315
Art. II. Resolutiones speciales 317
§ I. Oscula et tactus. 317
§ II. Aspectus 319
§ III. Sermones et lectiones turpes. 320
§ IV. Chorcae et comoediae 321

Tract. X. Praecepta Ecclesiae.

Praenotamina. 324
Cap. I. **Ieiunium sensu stricto**. 325
Art. I. Refectio unica 326
Art. II. Causae excusantes 328
Cap. II. **Abstinentia** 331
Art. I. Ipsa abstinentia. 331
Art. II. Causae excusantes. 335
Cap. III. **Prohibitio et censura librorum**. 337
Art. I. Praenotanda generatim 337
Art. II. » speciatim de prohibitione. 338
Art. III. Constitutio *Officiorum* exhibetur et explicatur 345
Titulus I. Prohibitio librorum 345
Titulus II. Censura » 353

Tract. XI. Censurae Ecclesiasticae.

Sectio I. **Censurae generatim** 358
Cap. I. **Notio et divisio censurae** 358

Cap. II. **Subiectum, causa et causae excusantes** . . . . . *Pag.* 359
Sectio II. **Censurae speciatim** 361
Cap. I. **Excommunicatio** 361
Art. I. Notio excommunicationis. 361
Art. II. Effectus eiusdem 363
§ I. Privatio Sacramentorum 363
§ II. » Officiorum divinorum 364
§ III. » suffragiorum communium. 365
§ IV. » sepulturae ecclesiasticae 366
§ V. » iurisdictionis ecclesiasticae 366
§ VI. » capacitatis acquirendi beneficia etc. 367
§ VII. » communicationis forensis 367
§ VIII. » » civilis. 367
Corollaria articuli praecedentis 368
Cap. II. **Suspensio** 370
Art. unic. Notio, divisio, effectus suspensionis. 370
Cap. III. **Interdictum** 372
Art. unic. Notio, divisio, effectus interdicti 372
Sectio III. **Censurae singulatim** 375
Praenotamina 375
Cap. I. **Excommunicationes specialiter Rom. Pont. reservatae** 376
Cap. II. » **simpliciter** » » » 385
Cap. III. » **Episcopis sive Ordinariis** » 390
Cap. IV. » **nemini** » 391
Cap. V. **Suspensiones hodie vigentes**. 394
Cap. VI. **Interdicta hodie vigentia** 397

APPROBATIO.

Cum opus, cui titulus: " **Compendium Theologiae Moralis auctore Fr. Eugenio Cornelisse Ordinis Fratrum Minorum** „ Provinciae Hollandiae filio, ac S. Theologiae iamdudum lectore iubilato, de mandato Nostro a duobus confratribus, pariter S. Theologiae lectoribus iubilatis, revisum atque apprime doctrinae fidei morumque catholicae consonum sit indicatum, facultatem hisce facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Datum Romae ex Curia Nostra Generalitia in Collegio Nostro Internationali S. Antonii Paduani, die 4 Octobr. S. P. N. Francisco sacra, anno Domini 1908.

Fr. Dionysius Schuler
Minister Generalis totius Ord. Fr. Min.

Nihil obstat.

Florentiae, die 7 Octobris 1908.

Can. Fridericus Lapini, *Censor.*

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 8 Octobris 1908.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Glis.*

239.02
C 815

31324

CORNELISSE, EUGENIUS
AUTHOR

Compendium Theologiae Moralis
TITLE

Tom. 1

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

31324